

D. LUDOVICI HABERT,
Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris, Theologi, & Socii Sorbonici,

THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS,

Ad usum
SEMINARII CATALAUNENSIS.
Planissima, Critica, & solidissima Methodo conscripta,
Nunc verò
Ad usum totius Orbis litterarii
Post Editiones Parisiensem & Venetam in Germania denuò recusa,
in VIII. TOMOS divisa,
à
plurimis Mendis sollicitè purgata.



TOMUS V.

Continens Tractatus
DE SACRAMENTIS IN GENERE; DE BAPTISMO; DE CONFIRMATIONE; ET DE EUCHARISTIA.

Editio prima in Germania.
Superiorum Permissu.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MATTHÆI RIEGER, Bibliopolæ,
MDCCLI.





INDEX CAPITUM.

Tractatus DE SACRAMENTIS IN GENERE.

INDEX CAPITUM.

Cap.

Tractatus
DE
BAPTISMO.



Tractatus
DE
SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Cap. IV.



Tractatus
DE
EUCHARISTIA.

PRIMA PARS.

De
Euchariſtiæ Sacramento.

Cap. VII.

Cap.

SECUNDA PARS.

De

Eucharistia, ut Sacrificium est.

Cap.



Tra-



Tractatus DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine Sacramenti, & varia ejus acceptione.

Q. 1. *Unde Nomen Sacramenti?*

R. Deducitur vel à ſacrando, quia ad res ſacras initiat, ſeu conſecrat: vel à ſecreto, quia rem arcanam continet. Hinc

quod apud Latinos eſt Sacramentum, apud Græcos myſterium dicitur.

Q. 2. *Quotuplici ſenſu Sacramentum ſumitur?*

R. 1. Apud Auctores profanos ſumitur 1. Pro pignore, quod olim à litigantibus in loco ſacro depoſitum illi peribat, qui ſua cadebat cauſa. 2. Pro juramento, quod per rem ſacram ſupremo ſcilicet, invocato Numine fieri ſolet: Et idcircò qui per jusjurandum rei militari nomen dabant, Sacramentarii dicebantur.

R. 2. Apud Scriptores ſacros & Eccleſiaſticos Sacramenti nomen accipitur

1. Pro re arcana & latente, ſive ſacra ſit, ſive non. Sic Tobiæ 12. *Sacramentum Regis*, (id eſt, ſecretum Regis) *abſcondere bonum eſt.* Et Sapientiæ 2. *Neſcierunt Sacramenta Dei*, id eſt, conſilia Dei ſecreta. Item Epheſ. 1. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ.* Atque eodem ſenſu dicimus myſterium Trinitatis, Incarnationis, & cætera ſecretiora Religionis dogmata.

2. Pro ſigno rei ſacræ, ut Epheſiorum 5. ubi de matrimonio, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Id eſt, unio viri & mulieris eſt ſignum ſacræ unionis Chriſti cum Eccleſia. Unde ſanctus Auguſtinus Epiſtola 5. nunc 138. ad Marcellinum monet ſigna, cùm ad res divinas pertinent, Sacramenta appellari. Et Lib. 10. cap. 5. de Civ. *Sacramentum*, inquit, *dicitur ſacræ rei ſignum.* Quæ verba non definitionem continent, ut nonnulli Theologi exiſtimarunt, ſed nominis interpretationem, ut advertit Hugo Victorin. Lib. 1. de Sacramentis, part. 9. cap. 2.

3. Sumitur pro ſigno rei, non ſolùm ſacræ, ſed etiam ſacrantis: *Sacramenta*, inquit ſanctus Thomas

Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. *Propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur in Lege veteri Dei cultoribus ad quandam consecrationem.* Et S. Augustinus Lib. 15. de Civ. Dei cap. 26. docet Sacramentis credentes initiari.

Q. 3. *Quo sensu sumitur hìc nomen Sacramenti?*

R. Postremo, nempe pro signo rei sacræ initiantis, seu sacrantis.

Q. 4. *Quid est signum?*

R. Definitur à S. Augustino Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, facit in cognitionem alterius venire; sic fumus, qui objicitur oculis, deducit nos in cognitionem ignis.

Q. 5. *Quotuplex est signum?*

R. Duplex: Naturale, quod ex natura sua significat, ut fumus, qui naturaliter ignem demonstrat: & arbitrarium, quod ex instituto solùm significat; sic hedera est signum arbitrarium, quia ex solo usu hominum vinum venale significat.

Q. 6. *Quotuplex est signum arbitrarium?*

R. Quadruplex. Primum est rememorativum, quod in memoriam revocat rem præteritam, sic Agnus Paschalis apud Judæos repræsentabat egressum eorum ex Ægypto. Secundum est demonstrativum, quod exhibet rem præsentem, sed occultam: sic cibus Eucharisticus demonstrat spiritualem animæ refectionem communicantis. Tertium prognosticum, quod significat rem futuram, putà gloriam æternam: hoc sensu ingressus Summi Pontificis in Sancta Sanctorum adumbrabat Ascensionem futuram Christi Domini in cœlum, Hebr. 9. Quartum commonitorium, quod admonet suscipientes proprii officii: sic circumcisio

carnalis monebat Judæos desideria carnis esse resecanda.

Porrò hoc quadruplici modo Baptismum significare docet Apostolus. 1. Est repræsentatio præteritæ passionis & sepulturæ Christi: *An ignoratis*, (inquit, Rom. 6.) *quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* 2. Exhibet nobis spiritualem regenerationem & salutem, *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ad Tit. 3. 3. Vitam æternam figurat, Rom. 6. vers. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* 4. Admonet baptizatum quomodo vitam instituere debeat, ibid. vers. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus?*

Q. 7. *Estne essentiale omni Sacramento, ut ista quatuor significet?*

Novatores affirmant omne Sacramentum, sive novæ, sive veteris Legis esse signum rememorativum divinæ promissionis, quam non solùm in memoriam revocat, sed etiam confirmat: unde secundùm eos Sacramenta dicenda sunt potiùs sigilla & pignora, quàm signa practica; quia in eorum sententia sola Fides justificat, quod confutavimus Tract. de Gratia, ubi de Justificatione. Contra hunc errorem

R. Non esse de essentiali ratione Sacramenti, quòd sit signum rememorativum; nam ordinatio Levitarum in veteri Lege erat verum Sacramentum, cùm esset signum rei sacræ initiantis, quamvis res præteritas in memoriam non revocaret.

Q. 8.

Q. 8. *Quid igitur Sacramentum in genere essentialiter significat?*

R. Essentialiter est signum demonstrativum gratiæ, & cujusdam sanctitatis.

Probatur; Quia Scriptura & sancti Patres constanter docent Sacramenta sanctificare, justificare, initiare, & consecrare: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* ad Tit. 3. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* Joan. 6. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum;* Act. 8. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi,* &c. Hebr. 9. Ex quibus patet, Sacramenta esse signa alicujus sanctitatis, sive interioris, ut in nova Lege; sive exterioris & legalis, ut in veteri.

Q. 9. *Quid est sanctitas interior, quidve exterior & legalis?*

R. Sanctitas interior est ipsa gratia sanctificans, per quam anima interiùs renovatur, efficiturque justa, sancta, & Deo grata. Exterior verò seu legalis, est exterior consecratio & initiatio ad cultum divinum. Primam sanctitatem esse effectum Sacramentorum novæ Legis, posteriorem verò Sacrificium veteris, infrà probabitur.

Q. 10. *Estne essentiale cuilibet Sacramento, sive novæ, sive veteris Legis, aliquam efficere Sanctitatem?*

R. Negant quidam Theologi, contendentes, Sacramentum ex sua ratione generica esse signum tantùm gratiæ interioris; quod verò eam producat vel non producat, pertinere ad differentiam specificam. Sed probabilius videtur Sacramentum in genere esse signum practicum & efficax ali-

 cujus

cujus ſanctitatis, ſive interioris, ſi pertineat ad novam Legem, ſive exterioris, ſi ad veterem; adeo ut nullum ſit Sacramentum, quod non producat ex ſe aliquam ſanctitatem. Et ratio eſt, quia Sacrificia, cæremoniæ, & figuræ veteris Teſtamenti erant ſigna gratiæ dandæ in novo: cur autem non fuerint Sacramenta propriè dicta, alia ratio non poteſt afferri, niſi quòd nullam ſanctitatem conferrent. Ergo eſſentiale eſt cuilibet Sacramento, quòd ſit ſignum practicum alicujus ſanctitatis.

Sequitur ex hac reſponſione, Sacramentum in genere eſſe univocum reſpectu Sacramentorum novæ & veteris Legis, utpote quæ habeant non ſolùm idem nomen, ſed etiam rationem nomine ſignificatam planè eandem. In eo enim conveniunt quòd ſint ſigna practica ſanctitatis: differunt verò, quatenus vetera producebant ſolam ſanctitatem exteriorem & legalem, noſtra verò interiorem, quæ longè eſt nobilior. Sic homo & brutum univocè conveniunt in ratione generica animali: differunt verò per differentias proprias & ſpecificas, nempe per rationalitatem & irrationalitatem.

Dices: ſanum eſt nomen analogum reſpectu coloris, pharmaci, & animalis; quia ratio ſanitatis diverſimodè illis competit: ideò enim color dicitur ſanus, quia ſanitatem animalis ſignificat, & pharmacum ſanum, quia illam efficit: animal verò ita denominatur, quia formaliter illam continet. Ergo à pari Sacramenti nomen eſt analogum reſpectu Sacramentorum veteris Legis & novæ; illa enim ſignificabant tantùm gratiam ſanctificantem, quam noſtra efficiunt. Sanctitas au-

tem legalis, quam producebant, erat mera figura ſanctitatis interioris.

Nego paritatem; quia ex dictis Sacramenta veteris Legis præcisè non erant Sacramenta, eo quòd ſanctitatem interiorem ſignificarent; aliàs Manna figura gratiæ per Euchariſtiam conferendæ, & tranſitus Maris rubri, ſignum remiſſionis peccatorum in Baptiſmo obtinendæ, dicenda eſſent Sacramenta. Itaque erant Sacramenta; quia directè ſanctitatem legalem ſignificabant, & conferebant. Licèt autem illa ſanctitas exterior adumbraret ſanctitatem interiorem, ad eam tamen unicè non referebantur, nec ab ea denominationem accipiebant; per ſe enim verè initiabant, & conſecrabant Judæum ad cultum divinum, adeò ut Judæus denominaretur mundus & Sanctus à conſecratione in ſe facta, non verò à ſanctitate aliquando conferenda per Chriſti Sacramenta, ſicut color dicitur ſanus per ordinem ad ſanitatem animalis.

Q. 11. *Nonne Sacramenta veteris Legis ſanctitatem interiorem ſignificabant?*

R. Immediatè ſignificabant ſanctitatem legalem, cujus erant cauſa: mediatè verò ſanctitatem interiorem, quatenùs initiatio & conſecratio exterior in Lege veteri erat ſignum ſanctitatis interioris, quam etiam conſequebatur Judæus, non quidem vi ſigni exterioris, ſed merito ſuæ devotionis, & perfectæ diſpoſitionis.

CAPUT II.

De Definitione Sacramenti in genere.

Exponemus hìc duntaxat definitionem Sacramenti

menti in genere; quia Sacramenta in ſpecie definiri non poſſunt, priuſquàm eorum differentias ſpecificas aſſeruerimus contra Pſeudo-Reformatos, quibuſcum graves controverſias habemus circa notionem Sacramenti tum in genere, tum in ſpecie ſpectati.

Lutherani igitur & Calviniſtæ ex præſtructo principio, quo omnes eorum errores nituntur, nempe hominem ſola fide juſtificari, hanc definitionem conficiunt, Sacramentum eſt externum ſymbolum, ſeu teſtimonium, quo Deus conſcientiis noſtris promiſſiones ſuas obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem.

Refellitur hæc definitio 1. ex Scriptura, quæ nullibi docet, Sacramenta eſſe mera ſigna, ſeu ſigilla, & teſtimonia divinæ promiſſionis; ſed expreſſè aſſerit in Lege nova ſanctificare, juſtificare, renovare, & regenerare, ut patebit ex dicendis, ubi de efficacia Sacramentorum novæ Legis. 2. Quia Baptiſmus nullam in parvulis fidem actualem excitat, utpote qui omnis cognitionis ſint expertes, ac proinde dici non poteſt per Baptiſmum ſuſtentari in eis fidei imbecillitatem.

Q. 1. *Quomodo itaque definitur Sacramentum in genere?*

R. Rectè definitur, ſignum ſenſibile, ſacrum, & permanens gratiæ, inſtitutum à Deo ad noſtram ſanctificationem.

Dicitur 1. *ſignum*; quia ducit nos in cognitionem rei alterius, nempe gratiæ, & ſanctificationis. *Sacramentum*, inquit S. Chryſoſtomus Hom. 7. in 1. ad Corinthios, *aliud oculis, aliud menti exhibet.*

Dicitur 2. *ſenſibile*, id eſt externum, & ſenſibus ſubjectum; quia ex S. Thoma 3. p. q. 60. art. 4.

art. 4. homo anima & corpore conſtans debet per res ſenſibiles pervenire ad cognitionem intelligibilium. *Si incorporeus eſſes, ita & incorporea dediſſet tibi Deus dona; ſed quoniam corpori anima conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*, ait Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. Deinde Sacramentum eſt ſymbolum diſtinctionis, & Religionis, *in nullum autem nomen Religionis*, inquit S. Auguſtinus Lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

Dicitur 3. *ſacrum*, id eſt, cujus uſus ſit actus religioſus & ad cultum Dei pertinens. Hujus conditionis defectu lignum vitæ in ſtatu innocentiæ, Iſraelitarum per Mare rubrum trajectio, Manna, Serpens æneus, aqua fluens de petra, non erant Sacramenta; quia licèt ſignificarent gratiam nobis per Chriſtum conferendam, non referebantur ad cultum Dei, ſed uſus eorum erat merè profanus; lignum enim vitæ erat ad conſervandam vitam naturalem: Serpens æneus ad curanda vulnera per ſerpentes ignitos inflicta: tranſitus Maris rubri ad fugiendos inſequentes Ægyptios. Manna ad alendum & aqua de petra ad depellendam ſitim Populi Iſraelitici.

Dicitur 4. *permanens;* quia cùm Sacramenta ſint ſymbola diſtinctionis & Religionis, tamdiu durare debent, quamdiu Religio. Hinc immolatio Iſaac, illapſus Spiritus Sancti ſub forma Columbæ in Baptiſmo Chriſti, & ſub forma linguarum ignearum die Pentecoſtes, inſufflatio Chriſti in Apoſtolos, Joan. 20. & lotio pedum, Joan. 13. non fuerunt vera Sacramenta; quia non erant ſigna permanentia.

 Dices 1.

Dices 1. in lotione pedum à Chriſto Domino celebrata reperitur quidquid pertinet ad rationem veri & propriè dicti Sacramenti. In ea ſiquidem cernitur ritus externus à Chriſto Domino inſtitutus, promiſſionem habens gratiæ; *ſi non lavero te*, inquit Chriſtus, *non habebis partem mecum*; & præceptum obſervandi illam cæremoniam: *exemplum enim dedi vobis*, inquit, *ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Confirmatur ex S. Bernardo, qui ſermone 1. de Cœna Domini annumerat lotionem pedum inter novæ Legis Sacramenta: *Vis autem noſſe*, inquit, *quia pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum, illud attendo, quod Petro dictum eſt*, ſi non lavero te, non habebis partem mecum. *Aliquid igitur latet, quod neceſſarium eſt ad ſalutem . . . unde ſcimus, quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non poſſumus ante mortem, ablutio iſta pertineat? Ex eo planè*, &c. ſimilia habent auctor Tractatus de ablutione pedum inter opera S. Cypriani, & S. Ambroſius Libri de initiandis cap. 6. & Libri 3. de Sacramentis c. 1. Ergo.

Nego antecedens: in illo enim humilitatis exemplo Chriſtus Dominus nobis ſolùm commendavit charitatis & humilitatis officia erga fratres. Minæ Petro intentatæ ſpectant ejus inobedientiam, nec gratiæ promiſſionem ad ſalutem conſequendam continent, ut patet vel ex eo quòd Chriſtus agnoſcat Petrum eſſe mundum totum, ac proinde non damnandum defectu lotionis, ſed debitò obedientiæ. Deinde per lotionem pedum S. Bernardus loco cit. & alii communiter intelligunt peccatorum venialium remiſſionem,

nem, quæ certè non ita eſt neceſſaria, ut ſine ea Juſtus privandus ſit regno cœlorum.

S. Ambroſius (tamen auctor eſt Librorum de Sacramentis) ſcribit quidem illam ablutionem non eſſe tantùm ad humilitatis exemplum, ſed etiam ad myſterii ſignificationem. Verùm facilè ex illius contextu colligitur hæc verba non intelligenda de Sacramento propriè dicto, ſed de cæremonia Eccleſiaſtica numeranda inter ſacramentalia, quæ effectum ſpiritualem habent, ut dicetur cap. ultimo hujus Tractatus; 1. quia illa cæremonia obſervabatur erga Catechumenos ante Baptiſmum, quo tempore non erant capaces Sacramenti propriè dicti, 2. quia auctor hujus Libri agnoſcit Eccleſiam Romanam caput & matrem omnium Eccleſiarum illam cæremoniam omittere, nec propterea reprehendendam exiſtimat. Addo hunc Eccleſiæ Romanæ morem, teſte ſancto Auguſtino tract. 58. in Joan. multas Eccleſias fuiſſe ſecutas: imò Can. 48. Concilii Eliberitani, initio quarti ſæculi, prohibitum fuiſſe lavare pedes Neophytorum. Ex quibus patet, mandatum Chriſti Domini non eſſe intelligendum de illa cæremonia, ſed de officiis charitatis, & humilitatis, ut notat ſanctus Auguſtinus cit. tract. 58. in Joan. Et revera mos erat in Oriente hoſpitum lavare pedes, ut legitur Gen. 18. & 19. & 1. ad Tim. 5. ubi Apoſtolus vult examinandum antequam eligatur vidua, *ſi Sanctorum pedes lavit.* Denique, ſecundùm interpretationem Sanctorum Patrum, lavamus pedes proximi, cùm ejus imperfectiones patienter ſuſtinemus, & ea, quæ in nos delinquit, facilè condonamus, & ſic corruunt objectiones ex ſancto Bernardo, & ex aliis Patribus petitæ.

Con-

Confirmatur ſolutio auctoritate univerſalis Eccleſiæ, quæ optima Scripturæ interpres, verba Chriſti Domini de officio charitatis tantùm intellexit, & à pluribus ſæculis lotionem pedum ad litteram non ſervat.

Dices 2. Baptiſmus Joannis erat Sacramentum: atqui Baptiſmus Joannis non fuit ſignum permanens: ergo ad rationem Sacramenti non requiritur ut ſit ſignum permanens.

Nego maj. Baptiſmus enim Joannis erat nuda cæremonia, & exterior profeſſio pœnitentiæ. *Ego quidem*, inquit Matth. 3. *baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, id eſt, in ſignum quo profitemini vos ſeriò pœnitere, & præparari ad recipiendum eum, qui poſt me venturus eſt.

Dicitur 5. *interioris gratiæ;* qua eſſentiale eſt omni Sacramento ſignificare gratiam interiorem, ſive immediatè, ut nova, ſive mediatè, ut vetera Sacramenta. Hujus conditionis defectu imagines Sacramenta non ſunt, cùm gratiam non ſignificent.

Dicitur 6. *inſtitutum:* quia Sacramentum eſt ſignum arbitrarium, nec naturaliter ſignificat, ſed ex inſtituto; neque enim aqua in Baptiſmo ſignificat ex natura ſua purgationem animæ à peccatis, neque ſpecies panis in Euchariſtia refectionem animæ. Advertit tamen S. Auguſtinus Epiſt. 98. aliàs 23. Sacramentum habere aliquam ſimilitudinem cum effectu, quem producit; *ſi enim non haberent*, inquit, *omnino Sacramenta non eſſent.*

Dicitur 7. *inſtitutum à Deo*, ſive immediatè, ſive mediatè; quia ſolus Deus poteſt Sacramentis virtutem dare conferendi gratiam: qua de cauſa tonſura

tonſura clericalis, aqua benedicta, & cæteræ cæremoniæ, quæ ſunt humanæ inſtitutionis, non ſunt vera Sacramenta.

Dicitur denique, *ad noſtram ſanctificationem*; conſtat enim ex dictis capite præcedenti vim productivam alicujus ſanctitatis, ſive internæ, ſive externæ eſſe eſſentialem omnibus Sacramentis, in quocumque hominum ſtatu extiterint. Hinc ſacrificium non eſt Sacramentum; quia primariò non ordinatur ad ſanctificationem hominis, ſed ad ſupremum Dei dominium agnoſcendum.

CAPUT III.

De Exiſtentia Sacramentorum in diverſis hominum ſtatibus.

Q. 1. *Quotuplex numeratur hominum ſtatus?*

R. Quadruplex. Primus dicitur innocentiæ, qui duravit à creatione primi hominis, uſque ad ejus lapſum. Secundus naturæ, qui cœpit à lapſu primi hominis, uſque ad Legem ſcriptam ſub Moyſe. Dicitur autem naturæ, non quòd homines ſolo naturæ ductu regerentur; certum eſt enim neminem poſſe rectè vivere, & ſalutem conſequi ſine gratiæ Salvatoris auxilio; ſed idcircò dicitur ſtatus naturæ, quia homines per illud tempus ſine Legis ſcriptæ adminiculo, ſed ſola Dei inſpiratione regebantur. Tertius eſt ſtatus Legis ſcriptæ, qui à Lege per Moyſen data, uſque ad Chriſtum Dominum, Legis Evangelicæ Auctorem duravit. Quartus eſt ſtatus Legis Evangelicæ, in quo vivimus, qui permanebit uſque ad conſummationem ſæculi.

Q. 2. *Fueruntne Sacramenta in ſtatu innocentiæ?*

R. Non fuerunt in ſtatu innocentiæ, colligiturque ex ſilentio Scripturæ & Traditionis, quæ nuſquam meminerunt alicujus Sacramenti in illo ſtatu, quod ſignum evidens eſt nullum reverà extitiſſe. Deinde cùm homo in ſtatu innocentiæ ſoli Deo perfectè ſubjiceretur, congruum erat ut gratiam immediatè ab illo acciperet; pœna enim peccati eſt & exercitatio neceſſaria ad domandam hominis ſuperbiam, quòd nunc rebus inferioribus ſubdatur, v. g. aquis baptiſmalibus, ſi ſanctificationem velit conſequi.

Dices 1. Matrimonium Adami cum Eva inſtitutum fuit in ſtatu innocentiæ; atqui matrimonium illud vocatur ab Apoſtolo, Eph. 5. *magnum Sacramentum.* Unde S. Aug. Lib. de Nuptiis & Concupiſcentia, docet tria bona matrimonii, ſcilicet prolem, fidem, & Sacramentum futura fuiſſe in Paradiſo; Ergo.

Diſtinguo majorem, inſtitutum fuit matrimonium in Paradiſo in uſum naturæ, hoc eſt, ad propagandos homines, Concedo: inſtitutum fuit in ratione Sacramenti, ſubdiſtinguo: Sacramenti impropriè dicti, quatenus erat ſignum rei ſacræ figuratæ, nempe conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, Concedo maj. Sacramenti propriè dicti, hoc eſt ſacrantis ſuſcipientes, Nego maj. Neque enim Adamus & Eva ſanctificati, aut initiati ſunt ad cultum divinum per illam conjunctionem.

Similiter diſtinguendæ ſunt minor, & auctoritates in ejus confirmationem adductæ; quanquam Apoſtolus loco citato non loquitur de matrimonio Adami, ſed de matrimonio, quod celebratur in Lege Evangelica, ut patet ex ejus con-

contextu. 1. Enim indicat Apoſtolus aliquod matrimonium præſens, *Sacramentum hoc*, inquit, quod non cadit in matrimonium Adami jamdudum præteritum. 2. Addit *magnum eſt . . . in Chriſto, & in Eccleſiâ;* quod manifeſtè denotat Sacramentum, quod tempore Apoſtoli celebrabatur.

In eodem ſenſu latiori & minùs proprio, lignum vitæ, & ſomnus Adami dicuntur Sacramenta, propter myſticas ſignificationes, nempe lignum vitæ figurabat ſapientiam, de qua Prov. 3. dicitur: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Sed à Deo producta erat hæc arbor ad conſervandam vitam naturalem. Item ſomnus Adami, ad mentem ſancti Auguſtini, adumbrabat mortem Chriſti in cruce pendentis. *Dormiente Adamo, fit Eva de latere: mortuo Chriſto, lancea perforatur latus, ut ſupereffluant Sacramenta, quibus formatur Eccleſia.*

Dices 2. naturale eſt homini ex rebus ſenſibilibus ad inviſibiles aſſurgere. Ergo Sacramenta conveniebant ſtatui innocentiæ.

Diſtinguo anteced. ex rebus ſenſibilibus, quæ naturaliter deducunt in cognitionem ſpiritualium, ſicut exiſtentia creaturarum demonſtrat exiſtentiam Dei, Conc. quæ non ex natura ſua, ſed ex ſolo Dei inſtituto ſignificante res ſpirituales, Nego anteced.

Dices 3. ſi duraſſet ſtatus innocentiæ, cæteri homines, æquè ac Adamus, peccare potuiſſent: ergo præſto eis eſſe debuit aliquod remedium.

Reſpondeo cùm hac de re nihil ſit revelatum, *quis enim cognovit ſenſum Domini?* Rom. 11. fortè Adamo perſeverante, poſteri ejus fuiſſent in gra-

tia

tia confirmati. Fortè si aliqui ex eis peccassent, absque misericordia, peccati sui pœnas, sicut Angeli, luissent. Denique supposito quòd Deus peccantibus remedia præparasset, illa non pertinuissent ad statum innocentiæ, à quo illi supponuntur excidisse.

Dices 4. fuisset Religio in statu innocentiæ: atqui ex sancto Augustino homines in nullum nomen Religionis coadunari possunt sine aliquo signaculorum visibilium consortio: Ergo.

Concessa majore, respondeo ad min. coadunandos homines in illo statu per Sacrificia, per quæ homo non creaturis inferioribus, sed soli Deo subjicitur.

Q. 3. *Fueruntne Sacramenta in statu naturæ?*

R. 1. Neque ex Scriptura, neque ex Traditione quidquam in eam rem discimus. Circumcisio quidem instituta fuit exeunte statu naturæ, nempe tempore Abrahami; sed non tam pertinet ad statum Legis naturæ, quàm ad statum Legis scriptæ, quæ tunc temporis concipiebatur; erat enim Circumcisio solemnis professio Legis Mosaicæ, juxta illud Apostoli Gal. 5. *Testificor . . . omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ.*

R. 2. Ex S. Augustino Lib. 5. contra Julian. c. 11. *Non est credendum ante circumcisionem famulos Dei (quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos parvulis suis, quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* S. Augustinum secuti sunt auctor de Vocatione Gentium Lib. 2. cap. 23. Sanctus Gregorius Lib. 3. Moral. cap. 3. Venerabilis Beda Lib. 1. in Luc. cap. 8. S. Bernardus Epist. 77.

Innocen-

Innocentius III. capit. *Majores.* S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. & alii communiter Theologi.

Q. 4. *Quale fuit illud remedium pro parvulis?*

R. Fuit professio Fidei in Christum venturum, aliquo signo sensibili expressa, per quam parvuli Deo à parentibus, vel ab aliis offerebantur & consecrabantur. *Superioribus temporibus*, inquit S. August. Lib. 2. de Nuptiis & Concupisc. c. 11. *Omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis.*

Dices: ex S. Gregorio Lib. 4. Moralium cap. 2. *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.* Eadem habet S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. *Non requirebatur*, inquit, *aliquod signum protestativum hujus fidei.* Ergo professio fidei non exprimebatur aliquo signo sensibili.

Distinguo antecedens, sola fides, hoc est solus fidei actus exterior, Concedo: solus actus fidei interior, Nego antecedens; nam cùm per illam fidem parvuli initiarentur ad verum Dei cultum, & coadunarentur in unum nomen Religionis, professio illa debebat exprimi aliquo signo sensibili. Sed ad mentem S. Gregorii & S. Thomæ, hoc discrimen erat inter fidei professionem pro parvulis, & professionem, quam adulti pro se emittebant, quòd ad professionem illam Adulti cæremonias, putà sacrificia adhiberent, cùm professio pro parvulis nuda esset, & nullis cæremoniis vestita.

Q. 5. *Quænam erat illa fides, an charitate formata & perfecta, an informis, qualis reperitur in peccatoribus?*

R. 1. Ad mundandam maculam peccati, ſive originalis, ſive actualis requirebatur in Adultis fides charitate formata, adeoque profeſſio illa non operabatur in eis, niſi ex opere operantis. Quia privilegium eſt Sacramentorum novæ Legis, ut per ſe & virtute propria, ſeu, ut loquuntur Theologi, ex opere operato juſtificent, & ſanctificent.

Ergo, inquies, fides illa non erat verum Sacramentum, reſpectu adultorum, cùm in eis nihil per ſe efficeret; eſſentiale verò ſit ex dictis cuilibet Sacramento, ut ſit ſignum practicum ſanctitatis.

Nego ſequelam; operabatur enim per ſe ſanctitatem legalem, conſecrabatque fidelem ad verum Dei cultum.

R. 2. Ad mundandam maculam peccati originalis in parvulis, ſufficiebat actus fidei informis; quia ex S. Thoma in 4. diſt. 1. q. 2. art. 6. ad 2. *Fides parentum non juſtificabat infantem, in quantum erat actus perſonæ, ſed quatenùs reſpiciebat ſuum objectum, nempè Chriſtum Dominum, quod erat medicina totius naturæ, in quo habebat quandam ſimilitudinem cùm Sacramentis noſtris, in quantum juſtificabat ex objecto quaſi ex opere operato, non autem ex opere operantis.*

Q. 6. *Extiteruntne Sacramenta in Lege ſcripta?*

R. Dubium non eſt quin extiterint; videmus enim in veteri Teſtamento multa ſigna ſenſibilia divinitus inſtituta ad ſanctificationem populi Iſraelitici, nihilque frequentius in Conciliis, & ſanctorum Patrum ſcriptis, quàm comparationes Sacramentorum veteris Legis cum Sacramentis noſtris.

Q. 7. *Quot extiterunt Sacramenta in veteri Lege?*

R. Plura

R. Plura extitiſſe docet S. Auguſtinus Lib. 19. contra Fauſt. cap. 13. *Prima Sacramenta*, inquit, *quæ obſervabantur & celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo adventu Chriſtus implevisſet, ablata ſunt . . . & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Et reverà præter Circumciſionem, Agnum Paſchalem, & conſecrationes tum Sacerdotum, tum Levitarum, quamplurima in toto Libro Levitici recenſentur Sacrificia, quæ erant ut plurimùm Sacramenta, utpotè, quæ non ſolùm eſſent inſtituta ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium, ſub quo reſpectu erant Sacrificia, ſed etiam ad expiandum & ſanctificandum populum, qua ratione erant Sacramenta, ut patet ex definitione Sacramenti in genere. At cùm de ſingulis Sacrificiis judicari non poſſit, an fuerint inſtituta, etiam ad ſanctificationem Hebræorum, certò definiri non poteſt quot fuerint Sacramenta Legis ſcriptæ.

Nullus revocat in dubium, an extent Sacramenta in nova Lege, ſed gravis controverſia nobis eſt cum Novatoribus. 1. Circa numerum Sacramentorum, de quo dicemus capite penultimo hujus Tractatus. 2. Circa virtutem, & efficaciam Sacramentorum, de qua nunc dicendum.

CAPUT IV.

De Differentia Sacramentorum veteris & novæ Legis.

Q. 1. *Differuntne Sacramenta veteris, & novæ Legis?*

R. 1. Negari non poteſt differre ſaltem ritu externo; nam Circumciſio & Agnus Paſchalis alio ritu peragebantur in Lege veteri, quàm Baptiſmus & Euchariſtia in Lege Evangelica.

Sed gravis eſt controverſia Catholicos inter & Heterodoxos, utrùm virtute, & efficacia differant. Hi ex falſo ſuo principio, nempe *ſolam fidem juſtificare*, omnibus Sacramentis tum novæ, tum antiquæ Legis vim ſanctificandi adimunt, nullamque eis efficaciam concedunt, niſi ad excitandam, & ſuſtinendam fidem ſuſcipientis, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd noſtra Sacramenta aptiora ſint ad fidem roborandam, utpotè ſigna expreſſiora: *Sophiſticæ ſcholæ*, inquit Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 4. §. 14. & 17. *tradiderunt Sacramenta novæ Legis conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis: quæ ſententia dici non poteſt, quàm ſit exitioſa .... Certè diabolica eſt. Quamobrem fixum maneat, non eſſe alias Sacramentorum, quàm Verbi Dei, partes.*

Nihilominus ut Catholicis imperitis fucum faciant, & Sacræ Scripturæ, ſanctorumque Patrum textus eludant, magnificis verbis noſtra Sacramenta præ veteribus extollunt; quamvis de iis humilia admodùm ſentiant. 1. Inquiunt, noſtra faciliora ſunt. 2. Chriſtum Dominum habent Auctorem, eumque clariùs annuntiant. 3. Celebrantur alio ritu, & quidem efficaciori, etſi non ad producendam gratiam, tamen ad excitandam & obſignandam fidem promiſſionum.

Verùm hæc diſcrimina ſpectant tantùm circumſtantias accidentales, & ritum exteriorem, miniméque cadunt in ipſam naturam, & eſſentiam Sacramentorum noſtrorum. Quid enim refert

fert ad essentiam Sacramenti, quòd sit à Christo auctore, si Christus majorem ei non indidit virtutem? Quid interest parvuli, quòd Baptismus significet Christum non jam venturum, ut circumcisio, sed de facto venisse, aut celebretur ritu significantiori, & magis idoneo ad excitandam fidem; cùm parvulus ista non percipiat? Pura fictio est quorundam Lutheranorum, parvulum in administratione Baptismi elicere actum fidei: gemitus & clamores, quos emittit dum baptizatur, si eorum ratio haberetur, essent signa ipsum abnuere fidem, & gratiam Baptismi. Quod de parvulis asserimus, idem dicendum de ægris adultis, quibus Concilium Carthag. IV. Can. 76. an. 368. præcipit dandam absolutioem, & Eucharistiam, etiamsi usum rationis amiserint. 3. Denique si Sacramenta nostra eo solùm sunt efficaciora veteribus, quòd perficiantur ritu aptiori ad excitandam fidem, minoris sunt virtutis, quàm lectio Evangelii: tum quia promissiones divinæ in illo clariùs exprimuntur, tum quia in mente adversariorum Sacramenta testimonium accipiunt à Verbo Dei scripto. His & similibus rationibus permotus Ludovicus le Blanc, Verbi Divini Pseudo-Minister deseruit in hac parte suum Prophetam Calvinum, agnovitque in suis thesibus Sedannensibus, Sacramenta novæ Legis esse per se causam instrumentalem sanctitatis. Quare

R. 2. De fide est, Sacramenta novæ Legis differre à veteribus non solùm externo ritu, sed continere gratiam, quam significant, eamque conferre ex opere operato non ponentibus obicem. Ita enim definiit Concilium Trid. Sess. 7. Canonibus sequentibus.



Can. 2. *Si quis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis . . . . . sufficere; anathema sit.*

Q. 2. *Quid est Sacramentum justificare ex opere operato?*

R. Sensus est, Sacramentum ipsum, seu applicationem signi exterioris non quidem naturaliter; & tanquam causam principalem, physicè (ut falsò nobis imponunt Novatores) sed ex instituto & meritis Christi per se, tanquam per causam instrumentalem, habere vim & efficaciam ad producendam gratiam sive moraliter, sive physicè, in suscipiente disposito tamen, si sit adultus.

Nec movere nos debet quod objiciunt Novatores, illum loquendi modum esse barbarum, & contra Grammaticæ regulas; Ecclesia quippe illas plerumque spernit, non curans quanta eloquentia, sed quanta evidentia doceat; nam, ut ait S. Augustinus, *quid potest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si potest?* Esto modus ille loquendi sit novus, & à Scholasticis inventus, meritò tamen Ecclesia illum consecravit, cùm sublata omni æquivocatione tam clarè distinguat virtutem Sacramenti à fide suscipientis.

Dixi

Dixi 1. *sive moraliter*, *sive physicè*; quia mera est Scholæ quæstio, an Sacramenta novæ Legis moraliter, aut physicè producant gratiam, quam neque Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi IV. neque Eugenius Quartus in decreto pro Armenis, neque Concilium Tridentinum ullatenus attigerunt.

Dixi 2. *disposito*; Quemadmodum enim ignis v. g. quamvis ex se, naturaque sua vim habeat comburendi, nihilominus prærequirit dispositiones in ligno, sine quibus non comburet; ita & Sacramenta novæ Legis, licèt per se efficacia, non operantur tamen, nisi in suscipiente adsint fides, pietas, & cæteræ dispositiones prærequisitæ. Quod tam apertè declarat Concilium Tridentinum, ut mirari liceat frontem Novatorum, calumniantium Ecclesiam Romanam salutem polliceri suscipientibus Sacramenta, etiamsi fide, & pietate careant.

Dixi 3. *Si sit adultus*; Quia Sacramenta novæ Legis nullam in infantibus prærequirunt dispositionem; si enim voluntas primi parentis potuit eis nocere, cùm nondum usum haberent propriæ voluntatis, convenientissimum fuit pietatem & sollicitudinem sanctæ matris Ecclesiæ prodesse eis etiam non cooperantibus.

Q. 3. *Quis sensus hujus propositionis, Sacramentum producit gratiam ex opere operantis?*

R. Sensus est, Sacramentum ex se non habere virtutem & efficaciam; sed totum fructum, qui à suscipiente percipitur, tribuendum esse ejus fidei, & devotioni.

Q. 4. *Quid Concilium Tridentinum in laudatis Canonibus proponit fide credendum?*

R. 1. Fide credendum præcisè docet, Sacramenta novæ Legis 1. differre plusquam ritu externo à Sacramentis veteribus. 2. Gratiam continere, eamque conferre ex opere operato non ponentibus obicem.

R. 2. Concilium non attingere quæstionem, utrùm Sacramenta veteris Legis producerent, vel non producerent gratiam, an ex opere operantis, aut ex opere operato, ac proinde intactam relinquere sententiam tum Magistri Sententiarum scribentis Libro 4. distinct. 1. Sacramenta veteris Legis (excepta Circumcisione, quam putat datam in remedium peccati originalis) à Deo imposita fuisse in servitutem, non in justificationem: tum Hugonis Victorini Lib. 1. de Sacramentis part. 8. & sancti Bonaventuræ in quartum dist. 1. docentium instituta fuisse illa Sacramenta ad significationem futurorum, & efficiendam justitiam exteriorem; per accidens autem & secundariò, nempè ratione fidei justificasse, etiam ex opere operantis.

R. 3. Ex iis Canonibus facilè colligi mentem Concilii fuisse, Sacramenta vetera non produxisse gratiam ex opere operato. Etenim Can. 2. declarat nostra Sacramenta differre à veteribus non solo ritu externo: differunt ergo virtute, & efficacia. Atqui non differrent, si vetera, sicuti & nova, conferebant gratiam ex opere operato; ergo ad mentem Concilii, Sacramenta veteris Legis non habent per se, & ex opere operato vim justificandi, sed solùm justificarunt ex opere operantis. Et hæc est sententia sancti Thomæ 3. part. qu. 62. art. 6. & omnium ferè Theologorum, quibus adhærendum est; maximè cum eam doceat

Cate-

Catechiſmus Rom. part. 2. num. 27. & Eugenius IV. illam credendam Armenis propoſuerit in ſuo decreto poſt Concilium Florentinum ann. 1439. tanquam doctrinam Eccleſiæ Romanæ.

Q. 5. *Quomodò probatur Sacramenta veteris Legis non produxiſſe ex opere operato ſanctitatem interiorem?*

R. Probatur 1. ex Scriptura. Apoſtolus quippe in Epiſtola ad Galatas, & ad Hebræos diſertè docet Sacramenta, & ſacrificia veteris Legis fuiſſe elementa egena & vacua, nec potuiſſe auferre peccata, ſolúmque valuiſſe ad emundationem carnis, id eſt, ad munditiem legalem, denique fuiſſe reprobata ob ſuam inutilitatem. Verba ejus ſunt cap. 4. verſ. 9. Epiſt. ad Galat. *Quomodò convertimini iterùm ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?* Cap. 7. verſ. 18. ad Hebr. *Reprobatio quidem ſit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Porrò ſi tota Lex fuit infirma, & inutilis ad mundandam conſcientiam, etiam antequam abrogaretur per Evangelii prædicationem, à fortiori ſacrificia, & Sacramenta, quæ in Lege continebantur tanquam pars in toto. Et cap. 9. verſ. 9. ejuſdem Epiſtolæ expreſſis verbis tradit vetera Sacramenta produxiſſe ſanctitatem exteriorem, non verò interiorem, *juxta quam* (Legem) *munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis*, ubi Apoſtolus manifeſtè loquitur de Lege ante, non verò poſt ejus abrogationem. Et verſ. 13. ejuſdem capitis, *ſi enim*, inquit, *ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis* (en ſan-

ctitas legalis) *quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?*

Probatur 2. ex Patribus.

S. Baſilius Lib. de Spiritu Sancto cap. 14. ſcribit tantam eſſe differentiam inter Sacramenta vetera & noſtra, quanta inter ſomnia, & veritatem, & inter umbras, vel imagines, & ea, quæ vera ſunt.

Sanctus Chryſoſtomus Oratione de Baptiſmate Chriſti: *Judaica*, inquit, *expiatio nequaquam à peccatis liberabat, ſed à corporis ſordibus tantùm; noſtra verò talis non eſt; nam & à peccatis liberat, & animam abſtergit, & ſpiritus gratiam largitur.*

S. Auguſtinus in Pſalm. 73. *Sacramenta novi Teſtamenti*, inquit, *dant ſalutem: Sacramenta veteris promiſerunt Salvatorem.* Et quæſt. 25. in Lib. Num. *Si per ſe attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto poſſunt mederi; ſi autem res ipſæ, quarum hæc Sacramenta ſunt, inquirantur, in iis inveniri poterit curatio peccatorum.*

Q. 6. *Unde colligitur Sacramenta veteris Legis produxiſſe gratiam interiorem ex opere operantis?*

R. Colligitur 1. ex Scriptura, Gen. 4. verſ. 1. ubi ſic habetur: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit:* quæ verba expendens Apoſtolus cap. 11. ad Hebr. verſ. 4. ſic ſcribit: *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtum:* ergo vetera ſacrificia juſtificabant per fidem offerentium: *Pro peccatis*, inquit S. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 2. *Offerebantur ſacrificia quædam in veteri Lege, non quia*

ipsa sacrificia à peccato mundarent; sed quia erant quædam protestatio fidei, quæ à peccato mundat. Item 2. Machab. cap. 12. *Judas misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.*

Colligitur 2. ratione Theologica: tunc actus religiosi Deo grati sunt, & meritorii gratiæ, quando fide & charitate exercentur: atqui offerre sacrificium & recipere Sacramentum sunt actus religiosi à Deo in Lege præscripti: Ergo cùm fide & charitate exercebantur, Deo grati erant & apud illum meritorii gratiæ, quam significabant, & promittebant. Hinc Levitici 1. vers. 17. dicitur: *Holocaustum est, & oblatio suavissimi odoris Domino.* Et Rom. 2. vers. 13. *Factores Legis justificabuntur.*

Q. 7. *Quomodo probatur Sacramenta novæ Legis producere sanctitatem interiorem ex opere operato?*

R. Probatur 1. generatim ex allatis textibus tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum, quibus demonstravimus Sacramenta vetera fuisse egena & vacua, nostra verò plena & efficacia: illa extitisse figuram & umbram, ista esse corpus, seu rem ipsam & veritatem; priora promisisse Salvatorem, posteriora dare salutem.

Probatur 2. speciatim de singulis Sacramentis.

De Baptismo habetur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hìc per Baptismum datur Spiritus & nova nativitas, quod S. Joannes Baptista negat de suo Baptismo: *Ego quidem*, inquit Matth. 3. *baptizo vos in aqua in pœnitentiam .... ipse* (Christus) *vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Marci 1. Baptismus Joannis dicitur Baptismus *pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, ubi remissio peccatorum non tribuitur immedia-

immediatè Baptiſmo Joannis, ſed pœnitentiæ; ut moneamur illud baptiſma non remiſiſſe peccata niſi ex opere operantis; at non ita de Baptiſmo Chriſti, nam ex Apoſtolo cap. 3. ad Titum, *ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

De Confirmatione legimus Actuum 8. *Imponebant* (Apoſtoli) *manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

De Euchariſtia Joannis 6. *Caro enim mea verè eſt cibus . . . qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem . . . vivet in æternum.*

De Sacramento pœnitentiæ Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

De extrema Unctione Jacobi 5. *Si in peccatis ſit* (infirmus) *remittentur ei.*

De Ordine 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

De Matrimonio expreſſè quidem non legitur in Scriptura quòd gratiam conferat, ſed colligitur tum ex cap. 5. Epheſ. ubi dicitur magnum Sacramentum; tum ex Traditione, ut ſuo loco exponetur.

Nec dicant adverſarii hæc dici de Sacramentis, quatenus ritus exterior excitat fidem, quæ immediatè remittit peccata. Namque 1. ex ipſis non licet addere Verbo Divino, maximè quando additio non tam eſt explicatio, quàm corruptio Scripturæ: textus autem allati nihil continent de fide promiſſionum, ſed totam efficaciam tribuunt ritui exteriori. 2. Primis ſæculis, quibus concedunt adverſarii Verbum Dei fuiſſe purè prædicatum, Eccleſia miniſtrabat parvulis Baptiſmum &

& Euchariſtiam, & adultis decumbentibus, etiamſi uſum rationis amiſiſſent, ut conſtat ex Conc. IV. Carthag. cit. cap. 4. nec S. Jacobus, dum præſcribit ungendos infirmos in remiſſionem peccatorum, requirit ut mente ſani ſint. Denique primis illis temporibus Eccleſia admiſit Baptiſmum, Ordinationes, & alia Sacramenta ab hæreticis collata, qui ſana fide carebant: ergo vel his ſolis exemplis conſtat Eccleſiam primis ſæculis docuiſſe Sacramenta Evangelica per ſe immediatè operari.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scripturæ eodem prorſus modo loquuntur de Sacramentis antiquis ac de noſtris: ergo par in utriſque virtus. Probatur anteced. 1. ſicut Jacobi 5. de extrema Unctione dicitur: *Orent* (Presbyteri) *ſuper eum . . . . . & oratio fidei ſalvabit infirmum;* ſic legitur Levit. 4. & 5. de ſacrificiis, *rogabitque pro eo Sacerdos . . . . & dimittetur ei:* & Hebræor. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus . . . . ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* 2. Actuum 8. refertur de Confirmatione, quòd per impoſitionem manuum Fideles accipiebant Spiritum Sanctum; & de Joſue ſimiliter habetur Deuteron. cap. ult. *repletus eſt Spiritu ſapientiæ; quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Item de Saule primo Regum cap. 10. legitur, mutatum eſſe in virum alium virtute unctionis per Samuelem miniſtratæ.

Diſtinguo anteced. Eodem modo loquuntur abſolutè & univerſaliter, Nego antec. nullibi enim legitur in Scriptura de Sacramentis noſtris,

ſicut

ſicut de veteribus, quòd ſint egena, vacua, infirma, & inutilia elementa: Eodem modo loquuntur aliquando, ſubdiſtinguo, reſpectu munditiæ legalis, quam conferebant ex opere operato, Conc. Reſpectu munditiæ interioris, & gratiæ ſanctificantis, Nego anteced. & conſequent.

Confirmatur reſponſio 1. ex Apoſtolo, qui cap. 9. ad Hebræos ſeipſum explicat, & textum Levitici in objectione citatum exponit, nempe Pontificis orationem valuiſſe tantùm ad eluenda peccata legalia, ſeu immunditias legales; *Si enim ſanguis hircorum*, inquit, ... *inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*, &c. de peccatis verò propriè dictis ſubdit cap. 10. *impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Confirmatur 2. ex S. Auguſtino, qui qu. 25. in Librum Numerorum notat ſacrificia vetera offerri ſolita tantùm pro peccatis ignorantiæ, nulla vero pro peccatis ſuperbiæ, ſeu malitiæ: *quod genus peccati*, inquit, *non dixit Moyſes ullo genere ſacrificii purgare oportere, tanquam inſanabile judicans illa duntaxat curatione, quæ per ſacrificia gerebatur.*

Ad ſecundum & tertium textum in confirmationem prolatos reſpondeo hujuſmodi textus non eſſe ad rem; nec enim manus impoſitio facta à Moyſe ſuper Joſue, nec unctio Saulis per Samuelem collata erant Sacramenta; cùm non eſſent ritus ſacri & permanentes, ſed quædam cæremoniæ tranſeuntes, quæ pertinebant ad gratiam miraculorum non infrequentem apud Iſraelitas.

Inſtabis: Scriptura diſertè tradit hominem juſtificari per fidem, *arbitramur enim*, inquit Apoſtolus, Rom. 3. verſ. 28. *juſtificari hominem per fidem ſine operibus*

operibus Legis: ergo necesse est dicere hominem non justificari per Sacramenta, nisi velimus Apostolo contradicere.

Distinguo anteced. Per fidem, tanquam per dispositionem ad Sacramenta cum fructu percipienda, Conc. Per fidem simpliciter, quæ excludat Sacramenta, Nego anteced. Scribit enim Apost. cap. 3. ad Titum: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

Objicies 2. Apostol. 1. Cor. 1. monens Christianos, ne neglectis bonis operibus, nimium confidant in Baptismo, & in Eucharistia, proponit exemplum Judæorum, qui perierunt, licèt eandem escam spiritualem nobiscum manducaverint, & eumdem potum spiritualem biberint, *bibebant autem*, inquit, *de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Unde S. Augustinus in Ps. 77. *Idem in mysterio Judæorum cibus & potus, qui noster.* Ergo si Judæi eandem escam spiritalem, & eundem potum nobiscum habuerunt, procul dubio Sacramenta eorum erant ejusdem virtutis spiritualis cum nostris.

Respondeo 1. locum illum non esse ad rem, manna enim, & aqua de petra scaturiens non erant Sacramenta, ut dictum est cap. 2.

Respondeo 2. distinguendo antecedens, ex Apostolo Judæi eandem escam manducarunt, & eundem potum biberunt inter se, Concedo: nobiscum, Nego anteced. aliàs Discipulus loqueretur contra Magistrum, qui expressis verbis Joannis 6. vers. 32. distinguit manna ab Eucharistia, *non Moyses*, inquit, *dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum . . . ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* v. 50.

Scopus

Scopus ergo Apoſtoli eſt deterrere Chriſtianos à fornicatione, & aliis peccatis, exemplo Judæorum, qui licèt omnes ſingularibus Dei beneficiis fuerint cumulati, per mare inſigni miraculo tranſierint, eadem eſca & eodem potu uſi ſint; plures tamen ex illis in peccatum lapſi proſtrati ſunt in deſerto. Unde concludit Apoſtolus duriora Chriſtianos manere, ſi carne Chriſti ſaginati, & ſanguine ejus potati, efficiantur idololatræ & fornicarii, ſicut & Judæi. Obvius & apertus erit ſenſus legenti caput integrum.

Porrò manna, aqua de rupe ſcaturiens, tranſitus maris, & columna, quæ erat nubes per diem & ignis per noctem, dicuntur ſpiritalia propter ſignificationes myſticas; manna enim præfigurabat Chriſtum Dominum panem verum nobis de cœlo miſſum, tranſitus maris Baptiſmum, in quo merguntur peccata; aqua ſcaturiens è rupe percuſſa, Spiritus Sancti dona, quæ nobis fluxerunt à Chriſto in cruce percuſſo, columna viam Judæis demonſtrans, fidem prælucentem Chriſtianis ad patriam cœleſtem pergentibus.

Ad confirmationem ex S. Auguſtino petitam reſpondeo diſtinguendo, idem Judæorum cibus & potus, qui noſter ſignificatione, Concedo: idem virtute & efficacia, Nego. Addit enim ſanctus Doctor, *ſignificatione idem, non ſpecie; quia idem ipſe Chriſtus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus.*

Inſtabis 1. ex eodem S. Auguſtino virtus omnium Sacramentorum eſt gratia: ergo omnia Sacramenta ſunt virtute paria.

Diſtinguo antecedens, virtus major, vel minor, Concedo: eadem, Nego anteced. nam ex citato

citato libro contra Faustum *vetera Sacramenta promittebant Salvatorem, nostra verò dant salutem*, hoc est illa sanctificabant ratione fidei, & ex opere operantis, ista virtute signi, & ex opere operato.

Sic intelligendus S. Leo, serm. 2. in die Pentecostes, ubi sic loquitur, *sine hac gratia nulla sunt instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria, ut eadem semper fuerit virtus Charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.* Totus enim ibi est S. Pontifex ut ostendat SS. Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes eodem spiritu, quo Apostolos, afflatos fuisse; adeo ut mysterium Pentecostes *non fuerit* (verba ejus sunt serm. 3. de Nat.) *inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: nec minùs adepti sint, qui credidere Christum promissum, quàm qui suscepere donatum.* At quomodo Abraham, Samuel, Daniel, cæteri Prophetæ tantam sanctitatem consecuti sunt? Certè non efficacia Sacramentorum & sacrificiorum, utpotè quæ essent egena & vacua elementa, sed virtute fidei in Christum Dominum.

Instabis 2. Augustinus c. 11. lib. 2. de nup. & concupisc. & cap. 14. lib. 4. contra Donatistas scribit Circumcisionem id parvulis contulisse, quod nunc confert Baptismus. Ergo.

R. 1. Circumcisio, quamvis in lege Moysis fuerit præcepta, tamen non est ex Moyse, sed ex Patribus, Joan. 7. v. 22. quare non est confundenda cum Sacramentis Mosaicis, sed revocanda ad Sacramenta Legis naturæ, quæ Concilium Tridentinum non comprehendit in Canonibus citatis de Sacramentis novæ & veteris Legis, ut relinqueret Theologis liberam opinandi facultatem circa Circumcisionem, quam plures existi-

marunt per ſe remiſiſſe peccatum originale in parvulis.

R. 2. S. Auguſtinum videri ſenſiſſe Circumciſionem eſſe inſtitutam ad delendum peccatum originale. Duo autem traxerunt S. Doctorem in illam ſententiam, ſcilicet error, qui irrepſit in Codicibus Græcis, quibus utebatur, & Pelagianorum pertinacia in negando peccato originali, à qua, ut eos removeret, efficax videbatur Circumciſionis præceptum, prout deſcribitur in iisdem Codicibus; ſic enim habent c. 17. Gen. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit octavo die, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex quibus verbis ſic ratiocinabatur S. Doctor. Parvulus non circumciſus octavo die damnandus eſt propter irritum pactum: quodnam autem pactum? certè non pactum initum cum Abrahamo; parvulus enim præcepti capax non eſt: ergo non poteſt intelligi niſi pactum, quod pepigit Deus cum Adamo, in quo omnes prævaricati ſunt; atque ideo damnandi, niſi aliquo ſalutari remedio adjuventur, qualis poſt Chriſtum eſt Baptiſmus, & ante illum Circumciſio juxta S. Auguſtini ſententiam, cujus authoritate permoti Patres ipſo poſteriores, communiter docuerunt inſtitutam fuiſſe Circumciſionem ad delendum peccatum originale.

At verò Patres S. Aug. antiquiores, unanimi conſenſu tradiderunt Circumciſionem datam eſſe ſolùm in ſignum diſtinctionis, non ut juſtitiæ opus, ut loquitur S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone. *Non per eam juſtificabatur homo*, inquit S. Irenæus, *ſed in ſigno data eſt.* Item Tertul. lib. contra Judæos cap. 3. ſic ſcribit: *Providens Deus*

quòd

quòd hanc circumcisionem in signum, non in salutem, esset daturus, &c. Et S. Chrysost. hom. 7. in Genesim, *ad justitiam*, inquit, *ipsa circumcisio nihil contulit.* Similia habent S. Cyprianus lib. contra Judæos, S. Ambrosius epist. 72. & lib. de Abrahamo cap. 4. S. Hieronymus in cap. 3. ad Galatas.

Hanc posteriorem sententiam tandem amplexus est S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ubi mutavit quod scripserat in 4. dist. 1. q. 2. art. 4. *In Baptismo*, inquit, *confertur gratia ex ipsius virtute Baptismi . . . . In Circumcisione autem non conferebatur gratia ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi.*

Duo itaque, juxta Angelicum Doctorem, in Circumcisione sunt attendenda. Primum est ipsummet circumcisionis signum in Abrahamo institutum. Secundum est professio fidei in Messiam venturum, quam diximus à Deo inspiratam in statu naturæ ad delendum peccatum originale; quamque usque ad Christi Domini adventum permansisse fatendum est: cùm non esset aliud remedium apud Judæos pro fœminis, & parvulis maribus ante octavum diem decedentibus. Porrò ex dictis constat non fuisse signum determinatum ad emittendam illam professionem, sed potuisse fieri pro parvulis per quoslibet nutus, & pro adultis per sacrificia qualiacumque. Unde postquam instituta est Circumcisio, illa communiter usi sunt parentes ad profitendam illam fidem pro parvulis. Et ita in Circumcisione revera deletum fuit peccatum originale, non quidem virtute Circumcisionis, quia ad hoc non fuit instituta, sed virtute professionis fidei, quæ in illo ritu emittebatur pro parvulis; cui sententiæ adhærendum probatur

1. Ex Scriptura, Genes. 17. ubi in Hebræo, & in Vulgata editione legitur simpliciter : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, ubi omittuntur duo illa vocabula (octavo die) quæ S. Augustinus legebat in codice Græco non sano ; quibusque nitebatur ejus sententia. Unde corruente fundamento, superstructam opinionem corruere quoque necessum est. Itaque juxta veram lectionem hujus textus, præceptum Circumcisionis dirigitur ad adultos sub pœna capitis, si pactum Circumcisionis irritum fecerint, hoc est, si se aut suos circumcidere neglexerint. Quòd autem is sit proprius sensus Scripturæ, colligitur tum ex contextu citati capitis, tum ex cap. 4. Exodi, ubi Dominus ob neglectam Circumcisionem in filio Mosis, non infantem, sed patrem voluit occidere. Præterea Apostolus c. 3. & 4. epist. ad Romanos, totus est ad probandum non Circumcisionem, sed fidem justificasse; ait enim c. 3. *quæ utilitas Circumcisionis?* tum subdit, *multùm per omnem modum, primùm quidem, quia credita sunt illis* (Judæis) *eloquia Dei*. Hoc præcipuum munus circumcisionis in mente Apostoli; nec Verbum addit, ex quo colligere liceat eam remisisse peccatum, quod est quid longè majus. Imò capite seq. ex professo probat Circumcisionem non habuisse hanc efficaciam. *Beatus vir*, inquit, *cui non imputavit Dominus peccatum; beatitudo ergo hæc in Circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? . . . non in Circumcisione, sed in præputio*. Legenda sunt hæc duo capita.

2. Circumcisio non applicabatur mulieribus, nec maribus ante octavum diem, ad quem sanè multi non perveniebant morte præoccupati. Item

Item per quadraginta annos, quibus Judæi commorati ſunt in deſerto, omiſſa eſt Circumciſio, Joſue 5. v. 5. quid ita? niſi quia, cùm tantùm eſſet inſtituta ad diſtinguendum genus Abrahæ ab aliis nationibus, inutilis videbatur, quamdiu Judæi in deſerto omnibus ſeparati manſerunt.

R. 3. Poſſe utcunque conciliari ſententiam S. Auguſtini cum oppoſita, ſi dicatur in Circumciſione deletum fuiſſe peccatum originale, non vi ritus externi, qui ad hunc effectum non fuit à Deo inſtitutus; ſed ratione profeſſionis fidei, ut ſupra docebat S. Thomas.

COROLLARIUM.

Ex dictis tum in hoc capite, tum in duobus præcedentibus, Sacramenta veteris & novæ Legis definiri poſſunt per differentias ſpecificas hoc modo.

Sacramentum veteris Legis eſt ſignum ſenſibile ſacrum, à Deo permanenter inſtitutum ad producendam per ſe ſanctitatem legalem, ſolùmque ſignificandam interiorem. Hæc definitio convenit etiam Sacramentis Legis naturæ.

Sacramentum novæ Legis eſt ſignum ſenſibile, ſacrum, à Chriſto Domino permanenter inſtitutum, ad producendam per ſe & ex opere operato ſanctitatem interiorem.

In duobus ergo potiſſimùm differunt Sacramenta nova à veteribus. 1. quia ſunt inſtituta à Chriſto Domino, ut infra probabitur, 2. quia gratiam ſanctificantem & juſtitiam conferunt ex opere operato.

Cæterùm, cùm res ſenſibiles & materiales poſſint dupliciter conſiderari, ſcilicet metaphyſicè,

hoc eſt, ſecundùm genus & differentiam: & phyſicè ſecundùm partes phyſicas, ex quibus eſſentialiter conſtant; duplex eſt quoque earum definitio: homo v. g. methaphyſicè definitur animal rationale, phyſicè verò totum compoſitum ex anima rationali, & corpore organico; ſic duplex eſt Sacramenti definitio, alia ſecundùm genus & differentiam, quales ſunt mox allatæ definitiones: alia ſecundùm partes, ex quibus componitur. Quamvis enim ſacramentum non ſit totum propriè phyſicum, cùm partes ejus non ſint ſubſtantiales, incompletæ, & realiter unitæ, nec faciant unum per ſe, eſt tamen unum morale conflatum ex quibusdam partibus, de quibus jam dicendum.

CAPUT V.

Ex quibus partibus conſtant Sacramenta novæ Legis?

Advertes quæſtionem eſſe de Sacramentis novæ Legis: etenim de illi ſolis deinceps dicturi ſumus, cùm nihil examini ſubjiciendum ſuperſit circa vetera Sacramenta. Igitur ad propoſitam quæſtionem.

R. Eugenius IV. in Decreto ſæpius citato, ſic definit: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.*

Dicitur 1. *perficiuntur*, non verò conſtant aut componuntur, quia Miniſter & ejus intentio non ingrediuntur compoſitionem Sacramenti; ſed ſunt

ſunt quid Sacramento extrinſecum, pertinentque ad ejus cauſam efficientem, de qua inferiùs.

Ergo Sacramenta novæ Legis ex duobus tantùm conſtant; ſcilicet rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.

Dicitur 2. *omnia Sacramenta*; quod intelligendum eſt de Sacramentis novæ Legis. Licèt enim eſſentiale ſit omni Sacramento cujuſcunque ſtatus conſtare ex rebus, cùm omne Sacramentum neceſſario ſit ſignum ſenſibile; tamen neceſſe non eſt, ut omne Sacramentum conſtet verbis; multa ſiquidem in Lege veteri, ut Circumciſio, Gen. 17. ritus agni Paſchalis, Exod. 12. conſecrationes Pontificum & Sacerdotum, lib. Lev. c. 8. celebrabantur abſque præſcripta verborum forma; quia verba ſunt ſigna expreſſiora, minimèque convenientia ſtatui Legis veteris, in qua myſteria ſub umbris latebant. Negari tamen non poteſt quin in celebratione quorundam Sacramentorum verba adhiberentur, nam Lev. 5. & 6. præcipiuntur preces in Sacrificiis pro peccato.

Dicitur 3. *rebus tanquam materia*, *verbis tanquam forma:* & hoc per analogiam ad compoſitum phyſicum, in quo pars imperfectior & minus determinata, dicitur materia; & actus, quo determinatur materia ad tale eſſe, dicitur forma. Materia ligni v. g. ex ſe indifferens eſt & indeterminata, vel ad formam ignis, vel ad formam ligni aut cineris, & conſequenter ad hoc vel illud eſſe; determinatur autem per formam ignis ad eſſe ignis, & per formam ligni ad eſſe ligni. Similiter aqua ex ſe indifferens eſt, vel ad abluendum, vel ad refrigerandum, ſive ad emol-

liendum; ſed determinatur ad ablutionem ſignificandam per verba: *Ego te baptizo.*

Q. 2. *Quotuplex eſt materia?*

R. Duplex remota, circa quam verſatur actio Miniſtri, ut aqua in Baptiſmo, peccata in Sacramento Pœnitentiæ: & proxima, quæ eſt uſus materiæ remotæ, ut ablutio.

Q. 3. *A quo tempore Theologi Sacramentorum noſtrorum partes appellant materiam & formam?*

R. Ex quo Philoſophia Ariſtotelis in Scholas Theologiæ penetravit. Qui enim ſcripſerunt ante Guillelmum Antiſſiodorenſem, qui primus legitur hanc loquendi rationem uſurpaſſe circa ann. 1215. ritum externum Sacramenti, vel formam, id eſt, formulam Sacramenti, vel materiam, ſive rem Sacramenti appellaverunt: quanquam S. Aug. per rem Sacramenti ſolet intelligere effectum Sacramenti; unde diſtinguit inter Sacramentum & rem Sacramenti.

Dices: Apoſtolus 1. ad Timot. 6. præcipit ut devitemus profanas vocum novitates.

R. 1. Voces illas nihil habere profani. 2. Apoſtolum loqui de novitatibus, quas Hæretici inducunt ad oppugnanda fidei dogmata. Addit enim, *& oppoſitione falſi nominis ſcientiæ. Sunt autem*, inquit S. Aug. tract. 97. in Joan. *& doctrinæ Religionis congruentes verborum novitates, adversùs impietatem Arianorum novum nomen homouſion Patres crediderunt.*

Q. 4. *Quomodo probatur omnia Sacramenta novæ Legis conſtare rebus & verbis, ſeu materia & forma?*

R. Probatur 1. ex Scriptura, de Baptiſmo habetur Epheſ. 5. v. 26. *mundans* (Eccleſiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Unde S. Auguſt. tract. 80. in Joan. *accedit verbum*, inquit, *ad elementum, &*

fit

fit Sacramentum. Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? De Confirmatione, Actuum 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum .... tunc imponebant manus super illos.* De Eucharistia Matth. 26. *Accepit Jesus panem ... deditque ... & ait ... hoc est Corpus meum.* De Extrema unctione, Jacobi 5. *orent super eum, ungentes eum oleo.*

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ Traditione, quæ semper res sensibiles, & aliqua verba ad conficienda Sacramenta adhibuit.

Dices 1. Eucharistia non constat verbis tanquam forma.

Distinguo, Eucharistia in facto esse, seu secundùm ejus esse permanens, Concedo: Eucharistia in fieri, Nego. Perficitur enim per verba Christi Domini.

Dices 2. Matrimonium non perficitur verbis, cùm à mutis validè contrahatur.

R. Si Sacerdos est minister hujus Sacramenti (quod expendetur suo loco) profert verba benedicendo sponsum & sponsam quæ habent rationem formæ: si ipsi contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti, nutus, quibus muti exprimunt suum consensum, habent rationem verborum & formæ.

Dices 3. in Sacramento Pœnitentiæ non inveniuntur nisi verba, nimirum absolutionis, & confessionis.

Respondent Tridentini Patres sess. 14. c. 3. actus pœnitentis esse quasi materiam hujus Sacramenti; quia absolutio Sacerdotis proximè versatur circa illos actus, tanquam circa propriam materiam, illosque determinat ad significandam remissionem peccatorum.

Nec dicas aliquando abſolvi ægrotum, qui cùm uſu rationis careat, & omni ſenſu nullum producit actum; nam ſupponitur antea produxiſſe, nec retractaſſe, ſicque actus præteriti moraliter conjunguntur cum verbis abſolutionis.

CAPUT VI.

De verbis, quibus Sacramenta novæ Legis perficiuntnr.

Controverſia eſt Catholicos inter & Pſeudoreformatos, num verba, quibus perficiuntur Sacramenta, ſint conſecratoria; an concionalia tantùm & promiſſoria. Catholici primum conſtanter aſſerunt, Hæretici contra pertinaciter negant. *Vulgò dicunt* inquit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 7. *conſtare Sacramentum verbo & externo ſigno, verbum intelligere debemus, non quod ſine ſenſu & fide inſuſurratum ſolo ſtrepitu, velut magica incantatione conſecrandi elementi vim habet . . . promiſſionem intelligamus, quæ clara voce à Miniſtro prædicata, plebem eò manu ducat, quò ſignum tendit ac dirigit.*

Q. 1. *Quid eſt verbum promiſſorium & concionatorium?*

R. Eſt verbum promiſſionem aliquam continens, quod per modum concionis profertur ad excitandam audientium fidem & devotionem.

Q. 2. *Quid eſt verbum conſecratorium?*

R. Eſt verbum, quod ordinatur non præcisè ad erudiendam plebem, cùm ſæpiùs ignoto idiomate proferatur; ſed ad ſanctificandum & conſecrandum tum materiam, puta aquam in Baptiſmo, quatenus accedente verbo percipit virtutem ſancti-

ctificandi; *detrahe enim verbum*, inquit S. Augustinus cit. tract. *quid est aqua, nisi aqua?* tum ipsum suscipientem; verbum enim & materia simul juncta ipsum consecrant & sanctificant.

Q. 3. *Quare Novatores volunt verba Sacramentorum non esse nisi promissoria & concionalia?*

R. Quia in eorum mente non justificamur per applicationem signi sacramentalis, sed per solam fidem promissionum Christi, ex quo principio erroneo & hæretico sequitur alius error, nempè verba sacramentalia non habere alium effectum, quàm excitare fidem promissionum, ac proinde debere pronuntiari eo modo, qui aptus sit ad generandam fidem, & obsignanda promissa.

Q. 4. *Quomodo probatur, verba sacramentalia verè esse consecratoria, non verò promissoria, & concionalia?*

R. Probatur primò iisdem argumentis, quibus c. 4. ostendimus Sacramenta novæ Legis non esse instituta præcisè ad fidem promissionum obsignandum; sed ad sanctificandum per se & ex opere operato suscipientem; illa enim verba verè sunt consecratoria, quæ per se, & ex opere operato consecrant & sanctificant suscipientem sacramentum, si obicem non ponat: atqui verba Sacramentorum novæ Legis materiæ conjuncta per se, & ex opere operato consecrant & sanctificant suscipientem. Ergo.

Majorem concedunt adversarii: est enim ex ipsis terminis nota; minor probata manet ex dictis cap. 4. de efficacia Sacramentorum novæ Legis.

Concio quidem prærequiritur respectu adultorum, juxta ilud Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, ut disponantur per fidem, & alios actus à Concilio Trid. recensitos, sess. 6. c. 6. sed non

est

eſt pars Sacramenti, ut conſtat vel ſolo exemplo parvulorum, quibus, dum baptizantur, foret inutilis ejuſmodi concio, cùm eam nec audire poſſint, nec intelligere.

At, inquit Calvinus, intelligent, cùm ad ætatem adultam pervenerint.

Contrà 1. ſi non perveniant morte præoccupati, nunquam intelligent, nec credent, & tamen non fruſtra baptizatos confitetur. 2. In ejus ſententia concio non eſt minùs eſſentialis Baptiſmo, quàm aqua. Ergo ſicut nullus eſſet Baptiſmus, ſi aqua non attingeret corpus infantis: ita, ſi nec concio ejus auditum afficeret.

Nec dicat Calvinus, concione attingere auditum aſtantium; nam 1. validus eſſet Baptiſmus collatus ab infideli miniſtro ſine teſtibus. 2. nec fides, nec infidelitas teſtium prodeſt aut obeſt ſuſcipienti Baptiſmum.

Probatur 2. è Scriptura, quæ conſtanter vocat verba ſacramentalia, benedictiones, invocationes, nuſquam conciones. De Baptiſmo habebetur Actuum 22. verſ. 16. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipſius*, nimirum Chriſti. Hinc communiter à Sanctis patribus verba baptiſmalia dicuntur invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis. De Confirmatione habetur Act. 8. *Oraverunt* (Apoſtoli) *pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum.* De Euchariſtia, 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* De Extrema unctione, Jacobi 5. *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Objiciunt 1. illud 1. Petri cap. 3. ubi Apoſtolus loquens de arca, in qua pauci, id eſt octo animæ

mæ ſalvæ factæ ſunt, ſubdit, *quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ubi notat Lutherus in textu Græco pro interrogatione haberi pactum ſeu ſtipulationem: Ergo verba Baptiſmi ſunt ad excitandam fidem promiſſionum Dei, & confirmandum pactum, quòd anima init cum Deo.

Nego conſequentiam; locus enim citatus obſcuriſſimus dupliciter exponi poteſt. 1. ita ut Apoſtolus probet ex teſtimonio conſcientiæ, jam poſt Baptiſmum pacatæ, noſtrum lavacrum longè differre à purificationibus Judæorum, in quibus ſordes carnis ſolùm deponebantur, cùm in Baptiſmo peccata verè ablui teſtetur tranquillitas conſcientiæ, & fiducia quam habet ad Deum, 2. ita ut notet Apoſtolus reſponſiones ſeu ſponſiones, quæ à primis ſæculis ſolitæ ſunt fieri à baptizando. *Sub Antiſtitis manu*, inquit Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3. *conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus.* Inde Baptiſmus ſolet vocari à Sanctis Patribus, *ſponſio ſalutis*, qua initiandus confidenter renuntiat Satanæ, omnibus ejus operibus & pompis, polliceturque ſe deinceps Chriſto adhæſurum. Quid autem ex hac explicatione elicere poſſunt Novatores in gratiam ſui erroris? Imò caput illud Apoſtoli nobis arma ſuppeditat ad illum confodiendum; docet enim expreſſis verbis Baptiſmum nos ſalvare, ſicut arca ex aquis diluvii octo animas liberavit. Porrò arca non per fidem promiſſionum, ſed per ſe ipſam familiam Noe liberavit: Ergo.

Objiciunt 2. multos Sanctorum Patrum textus, ubi Sacramenta dicuntur ſignacula, pignora, arrhæ

arrhæ. Deinde ex Sancto Ambrosio, lib. de initiandis cap. 5. *aqua baptismi sine prædicatione divinæ Crucis, ad nullos est usus futuræ salutis.* 3. S. Hieronymus in caput 5. Epist. ad Ephes. exponens illud Apostoli, *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*, docet verbum vitæ esse doctrinam. 4. S. Augustinus, tract. 80. in Joan. quærens unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat respondet totum fieri per verbum, non quia dicitur, sed quia creditur, de quo Dominus ait: *Jam vos mundi estis, non propter Baptismum, quo loti estis, sed propter verbum, quod locutus sum vobis*: Ergo.

Respondeo ad singula.

Ad primum, fatemur Sacramenta novæ Legis esse signacula significantia & obsignantia, res sacras, pignora & arrhas promissionum divinarum; Deus enim in nostris Sacramentis exhibet quæ promisit: in Eucharistia v. g. dat carnem, quam dandam promiserat Joan. 6. in Baptismo confert Spiritum sanctum, in quo baptizandos fideles præmonuerat ejus Præcursor, Matth. 3. Sed nullus Sanctorum Patrum scripsit ista nobis conferri in Sacramentis, quatenùs fidem excitant per verbum concionale.

Ad secundum S. Ambrosius loquitur de benedictione præparatoria fontis baptismalis, cujus benedictionis meminit etiam S. Cyprianus epist. 69. in qua hæc habet: *Oportet mundari & sanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Non quòd hæc benedictio sit de necessitate Sacramenti; sed ita loquuntur Sancti Patres, ut probent Sacramenta haurire suam efficaciam ex Passione

Chri-

Chriſti, qui invocatur in hac benedictione. Poteſt etiam dici ipſum Baptiſmum eſſe prædicationem Crucis; quia ſignum eſt mortis & ſepulturæ Chriſti Domini; *in morte ipſius* (Chriſti) *baptizati ſumus*, ait Apoſtolus Rom. 6.

Ad tertium, opus illud non eſt S. Hieronymi, ſed Pelagii Hæretici, ut monet S. Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis c. 1. & lib. de peccato originali cap. 21. quanquam auctor hujus libri, quisquis ille ſit, non loquitur de Baptiſmo, ſed de animarum purgatione in genere, quæ fit communiter per doctrinam.

Ad quartum, 1. ex Facundo lib. 9. cap. 5. quemadmodum calumniantium Hæreticorum eſt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari, ita ſolitum eſt prudentiæ ac pietati Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus firmare ambigua, & latentia declarare. Quare juxta hanc regulam, opponimus S. Auguſtini textus luce clariores obſcuriſſima in objectione citatos. Primus petitur ex cap. 10. lib. 3. de Baptiſmo, ubi ſic ſcribit: *Non eſt aqua profana & adultera, ſupra quam Dei nomen invocatur ... Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt.* Quibus verbis S. Auguſtinus manifeſtè docet, verbum in Baptiſmo eſſe conſecratorium. Secundus ex tract. 80. in Joannem. *Hoc verbum fidei*, inquit, *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillùm mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere.* Ergo ex S. Auguſtino verbum, quo aqua concipit virtutem, non eſt concionatorium, ſed conſecratorium. Unde

Respondeo 2. distinguendo, verbum in Baptismo mundat, non quia dicitur, sed quia creditur, id est, non quatenùs est quid naturale, & sonus transiens, sed quatenùs est verbum Christi supernaturale, sola fide apprehensibile, Concedo: *aliud enim est*, inquit S. Doctor, *sonus transiens*, *aliud virtus manens*. Quatenus actu creditur quod per verbum significatur, Nego. S. enim Augustinus totus est ut probet nec infidelitate ministrantis, nec defectu rationis in infante impediri effectum Baptismi.

Instabis: verbum quod mundat in Baptismo juxta S. August. est idem ac verbum, quod locutus est Christus Apostolis: atqui verbum illud est concionale, non consecratorium; Jesus enim ipse non baptizabat, Joan. c, 4. ergo reverà verbum in Baptismo est concionale.

Distinguo maj. idem est verbum, nempe Christi Domini, sed diverso modo administratum, Concedo: Eodem modo administratum. Nego maj. & conseq. Scopus itaque S. Doctoris est ostendere per verbum Dei, quod Apostolus vocat verbum fidei, Rom. 10. omnia sanctificari, sive dum prædicatur in concionibus, sive dum per illud invocatur Dei nomen in Sacramentis.

Urgebis ex S. Augustino eo loci, Apostoli non propter Baptismum, sed propter sermonem quem eis locutus fuerat Jesus, mundi erant: ergo Baptismus non per seipsum mundat, sed per concionem.

Nego consequentiam. Mundat enim Baptismus, sed eos solos, qui non ponunt obicem; unde cum inter Apostolos jam baptizatos, Judas infidelis reperiretur, rectè advertit S. August.

Chri-

Christum Dominum non dixisse, mundi estis, quia baptizati; Judas enim propterea non erat mundus, sed propter sermonem, quem locutus sum vobis, hoc est, quia permansistis omnes præter Judam in sermone meo.

Objicit denique Calvinus in cap. 5. epist. ad Ephesios, speciem esse quandam magicæ incantationis, certa quædam verba demurmurare lingua incognita super elementum mortuum.

Respondeo ex S. Hieronymo, epistola ad Ctesiphontem, *non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.* Quid enim magis impium & blasphemum, quàm tribuere magicæ incantationi, quod à Deo institutum est? An Christus Dominus fuit similis incantatori, quando quinque panes benedixit in deserto, Joan. 6. quando ad salivam, qua linivit linguam surdi & muti, & digitos, quos misit in auriculas ejus, verbum adhibuit, *Epheta*, quod est, *adaperire*, Marc. 7. An Pontifex Hebræorum, dum congerebat maledictiones super aquas amarissimas, Num. 5. aliquid magicum submurmurabat?

CAPUT VII.

Utrùm Christus Dominus determinaverit materiam & formam omnium Sacramentorum?

Lutherus lib. de captivitate Babylonica, docuit Baptismum, urgente necessitate, posse conferri lacte, & quocumque alio liquore; sed postea retractavit errorem, utpote contrarium expressis Evangelii verbis, Joan 3. *Nisi quis renatus fuerit* ex

ex aqua, &c. Theodorus Beza etiam cenſuit, ubi deeſt uſus aut copia panis & vini, rectè celebrari Euchariſtiam in communi cibo & potu, qui ſupplet vicem panis & vini. Sed contra hunc errorem

R. 1. De fide eſt Chriſtum Dominum determinaſſe ſaltem in genere omnium Sacramentorum materiam & formam.

Probatur, quia de fide eſt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe omnia novæ Legis Sacramenta, ita enim definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. & ex dicendis, ubi de cauſa Sacramentorum, ampliùs patebit: ergo & partes eorum eſſentiales, nempe materiam & formam inſtituit; quid eſt enim Sacramentum, niſi materia & forma ſimul junctæ; atqui inſtituiſſe partes eſſentiales Sacramentorum, idem eſt ac eas deſignaſſe, ſaltem in genere, hoc eſt præſcripſiſſe Apoſtolis, ut uterentur ſignis aptis ad ſignificandos hos & illos effectus, ad quos producendos inſtituta ſunt Sacramenta.

R. 2. Chriſtus Dominus quorundam Sacramentorum, nempe Baptiſmi & Euchariſtiæ, materiam & formam determinavit in ſpecie.

Probatur è Scriptura, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. nec refert quòd Chriſtus non dicat expreſſè inter baptizandum pronuncianda eſſe hæc verba, nam ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, certum eſt quòd pronuntiari debeant; neque ob aliam rationem Eccleſia rejecit Baptiſmum quorundam Hæreticorum, putà Cataphrygum & Paulianiſtarum, cùm aliorum reciperet, niſi quia illi non utebantur verbis Evangelicis, ſine quibus non poteſt conſe-

consecrari Baptismus ex S. Augustino lib. I. de Baptismo cap. 25. De Eucharistia quoque habetur Luc. 22. *Accepto pane* (Jesus) *gratias egit*... *& dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum*; tum subdit, *hoc facite in meam commemorationem.*

Advertes autem formam prædictorum duorum Sacramentorum à Christo fuisse determinatam, non materialiter ratione phrasis & idiomatum, sed formaliter & ratione sensus, validus enim est Baptismus à Græcis collatus, his verbis: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris*, &c. quia idem significat forma illa, ac; *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c.

R. 3. Certum est formas aliorum quinque Sacramentorum non ita determinatas fuisse, sed Christum reliquisse Ecclesiæ determinandum, quæ oratio adhiberetur pro Confirmatione, Ordinatione, & extrema Unctione, quæve proferrentur verba pro Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii, modò per ea sufficienter exprimerentur effectus illorum Sacramentorum, Græci enim aliis verbis, quàm Latini, confirmant & ordinant.

Extat autem celebris controversia inter Theologos, utrùm omnium Sacramentorum materiam Christus in specie determinaverit? Plures enim, ut Magister sententiarum, Alexander de Hales, S. Bonaventura, S. Thomas in quartum dist. 3. q. I. art. 12. Et ex recentioribus, Bellarminus, Franciscus Hallerius Doctor Sorbonicus & Episcopus Cabellionensis, Joannes Morinus opinantur Christum Dominum speciatim determinasse materias & formas eorum Sacramentorum, quæ cùm in terris degeret, non solùm instituit, sed etiam contulit; cæterorum verò nonnisi generatim,

ratim, ac reliquiſſe Apoſtolorum & Eccleſiæ arbitrio delectum rerum & verborum, quæ apta eſſent ad ſignificandum Sacramenti effectum: ita tamen ut, poſtquam alicubi Eccleſia ſpecialiùs elegit unam materiam aut formam præ alia irritum ſit Sacramentum, ea neglecta, unde in illorum ſententia, ſi Latinus in Ordinatione utatur Græcorum materia, nulla erit Ordinatio. Sed oppoſita ſententia multis ex capitibus verior & præferenda videtur. Quare ad propoſitam in hoc capite quæſtionem

R. 4. Omnium Sacramentorum materia à Chriſto Domino ſpeciatim eſt determinata.

Probatur 1. ex Scriptura, ubi materia aliorum Sacramentorum, quàm Baptiſmi, & Euchariſtiæ, legitur in ſpecie determinata; namque manus impoſitio pro Confirmatione aſſignatur Act. 8. his verbis, *tunc imponebant manus ſuper illos*, & pro Ordinatione tum Diaconorum, Act. 6. *orantes impoſuerunt eis manus*, tum Presbyterorum & Epiſcoporum. 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi . . . cum impoſitione manuum Presbyteri.* Item oleum pro extrema Unctione, Jac. 5. *ungentes cum oleo in nomine Domini.* Confeſſio peccatorum pro Sacramento pœnitentiæ, Joan. 20. Unio viri cum muliere, ſeu mutuus utriusque conſenſus pro Matrimonio, Epheſ. 5. *Erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum eſt.*

Probatur 2. ex conſtanti uſu utriusque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ, quæ ſemper adhibuit in omnibus Sacramentis materias in Scripturis deſignatas; Græci enim & Latini manus imponunt confirmandis & ordinandis; ungunt infirmos, confeſ-

confeſſionem peccatorum excipiunt à pœnitentibus, celebrantque Matrimonia cum mutuo contrahentium conſenſu, unde corruit oppoſitæ ſententiæ fundamentum. Ideo enim citati Theologi in eam deſcenderunt; quia ipſis viſum eſt contra rei veritatem, Latinos & Græcos in adminiſtratione Confirmationis & Ordinationis diverſas adhibere materias, quod verum non eſt.

Confirmatur ex Concilio Trid. ſeſſ. 21. c. 2. ubi declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione (ſalva illorum ſubſtantia) ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati magis expedire judicaret. Agnoſcit ergo Concilium Eccleſiam nihil poſſe mutare circa ſubſtantiam, ſeu partes eſſentiales Sacramentorum.

Confirmatur iterum, ſi Eccleſia accepiſſet poteſtatem inſtituendi & mutandi materiam & formam Sacramentorum, non magis dici poſſent Sacramenta eſſe inſtitutionis divinæ, quàm leges, quas identidem Eccleſia auctoritate Chriſti ſancit: atqui leges ſic ſancitæ ſimpliciter dicuntur inſtitutionis humanæ: ergo & Sacramenta ita dici deberent, quod eſt abſurdum, & valida Novatoribus contra Eccleſiam ſuppeditaret argumenta. Præferenda itaque eſt ſententia affirmans Chriſtum Dominum omnium Sacramentorum auctorem, etiam ſingulorum materias in ſpecie determinaſſe.

Diçes 1. ex dictis. Formæ omnium Sacramentorum non ſunt in ſpecie à Chriſto determinatæ; ergo nec materia.

Nego conſeq. ratio diſparitatis eſt voluntas auctoris Sacramentorum, qui eorum materiam, non verò formam ita determinavit, idque conſtat

 tum

tum ex Scriptura, quæ deſignat materias, non verò formas ſingulorum Sacramentorum; tum ex conſtanti uſu Eccleſiæ ſacrarum Scripturarum interpretis, quæ ſemper iiſdem materiis, non verò iiſdem formis, quamvis eundem ſenſum exprimentibus, ſingula Sacramenta conſecravit. Congrua tamen hujusce diverſitatis poteſt hæc afferri ratio, quòd res non ita pendent ex uſu hominum, ac verba.

Dices 2. ex Decreto Concilii Tridentini, Sacramentum Pœnitentiæ nullum eſt, niſi Sacerdos delegatus fuerit ab Epiſcopo approbatus; atqui talis approbatio non erat neceſſaria ante Concilium ad valorem Sacramenti: ergo Eccleſia addidit aliquid pertinens ad ſubſtantiam Sacramenti.

Diſtinguo majorem, ita ut ex hoc decreto talis Sacerdos non approbatus, ſit incapax jurisdictionis exercendæ, Concedo majorem: ita ut ſtante illo Decreto, libertatem habeat jurisdictionis, Nego majorem. Itaque verum eſt etiam nunc, ſicut ante Concilium Sacerdotem habentem jurisdictionem, ſive ordinariam, ſive delegatam validè abſolvere; cùm enim Chriſtus Dominus ita inſtituerit, Eccleſia non poteſt quidquam in eo mutare. Sed cùm à Paſtoribus pendeat concedere vel negare jurisdictionem, Concilium declaravit Sacerdotem non habentem curam animarum, eſſe incapacem jurisdictionis, niſi priùs fuerit approbatus ab Epiſcopo ad excipiendas confeſſiones ſæcularium.

Dices 3. Eccleſia mutavit materiam Sacramenti Matrimonii; namque ante Concilium Trid. contractus ſine teſtibus & præſentia Parochi validus erat: nunc autem ex ordinatione Conci-

Concilii absolutè est irritus: ergo Ecclesia potest mutare materiam Sacramentorum.

Distinguo conseq. potest mutare indirectè & præsuppositivè, Concedo: potest mutare directè & formaliter, Nego conseq. Quemadmodum enim, qui substantialiter corrumperet aquam, posset dici mutare indirectè & præsuppositivè materiam Baptismi, quia corrumperet id quod poterat esse materia idonea ad baptizandum; sic Ecclesia effecit, ut qui erat olim contractus validus, jam non sit validus; apponendo nimirum novas solemnitates, sine quibus non erit verus contractus. Sed penes Ecclesiam non est ut contractus validus non sit materia Sacramenti Matrimonii, & aqua vera non sit materia Baptismi; quia Christus Dominus utramque materiam instituit.

Dices 4. Eugenius IV. in Decreto pro institutione Armenorum; probante Concilio Florentino, docet materiam Confirmationis esse chrismationem; Ordinationis verò traditionem Libri Evangeliorum pro Diaconis, & Calicis cum patena pro Presbyteris, nulla facta mentione impositionis manuum, quam in his Sacramentis adhibebant Apostoli, cit. cap. Act. 8. & 1. ad Tim. 4. ergo Ecclesia mutavit materias quorundam Sacramentorum.

Respondeo 1. Decretum illud non esse reverà Concilii Florentini œcumenici, cùm jam recessissent Græci, approbatumque esse ad summum ab Episcopis, qui Florentiæ remanserant.

Respondeo 2. Non posse colligi ex hoc Decreto Ecclesiam Latinam in Ordinatione Diaconi & Pres-

Presbyteri locò impositionis manuum substituisse Libri & Calicis porrectionem. Vel enim Decretum supponit mutationem illam jampridem fuisse factam, vel novam inducit: atqui neutrum dici potest: Ergo.

Non primum, constat enim manuum impositionem in Ecclesia Latina fuisse materiam Diaconatus & Presbyteratus usque ad tempus illius Decreti, & quidem solam usque ad decimum sæculum; id, inquam, constat ex Concilio Carthaginensi IV. quod celebratum est quarto exeunte sæculo: tertio enim Can. recensens materias singulorum Ordinum, solius impositionis manuum meminit pro Diaconis & Presbyteris, porrectionis verò instrumentorum pro inferioribus Ordinibus: ex Concilio Meldensi nono sæculo prohibente Corepiscopis ordinare Presbyteros & Diaconos, quia ordinantur per manus impositionem, quæ pertinet ad solum Episcopum: ex antiquis Sacramentariis, ubi pro materia Presbyteratus & Diaconatus sola manuum impositio agnoscitur: ex Amalario & aliis auctoribus, qui nono sæculo scripserunt ex professo de rebus liturgicis; hi omnes solam manuum impositionem agnoscunt materiam Presbyteratus & Diaconatus. A nono quidem sæculo legitur instrumentorum porrectio, non usurpata pro manuum impositione, sed adjecta manuum impositioni, quæ semper religiosissime, & cum solemnitate retenta est usque ad tempus citati Decreti. Imò legitur apud Hugonem à S. Victore, lib. de Sacram. c. 12. & apud Magistrum Sentent. in 4. dist. 24. porrigi solitum calicem Presbyteris in signum potestatis jam acce-

ptæ

ptæ per manuum impoſitionem præcedentem. Ergo uſque ad Eugenium IV. cit. Decreti auctorem, porrectio inſtrumentorum non erat, niſi cæremonia accidentalis adjecta manuum impoſitioni, tanquam materiæ eſſentiali, ac proinde cit. Decreto non fuit declaratum Eccleſiam Latinam mutaſſe materiam ordinationis.

Neque etiam ſecundum dici poteſt, nempe citato Decreto factam eſſe illam mutationem: tum quia illud Decretum non eſt definitio Concilii Florentini, nec ad omnes Eccleſias directum, ſed ad particularem Armenorum Eccleſiam; tum quia ab eo tempore nihil mutatum fuit in ordinationis ritu, utpote qui perficiatur ſicut ante Decretum, per ſolemnem impoſitionem manuum cum porrectione inſtrumentorum & aliis cæremoniis accidentalibus.

Confirmatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 23. can. 4. ubi dicit anathema ei, qui dixerit Epiſcopum ordinantem fruſtra dicere, *Accipe Spiritum Sanctum.* Porrò iſta non profert Epiſcopus, niſi dum manus imponit Diaconis & Presbyteris. Ergo mens Concilii eſt Sacramentum perfici, per illam actionem Epiſcopi, ac proinde porrectio inſtrumentorum non proponitur Armenis in Decreto cit. tanquam eſſentialis materia ordinationis.

At, inquies, credibile non eſt Eugenium IV. qui in illo Decreto ſuſceperat inſtruendos Armenos, proponere ſolam materiam accidentalem ordinationis, maximè cùm aliorum Sacramentorum materias eſſentiales deſignet.

Imò credibile eſt, & omnino credendum Summum Pontificem in re tanti momenti non defi-

niiſſe ſine adminiculo Scripturæ ſacræ, & divinæ Traditionis, vel potiùs, repugnante ſacra Scriptura, & divina Traditione, Eccleſiam poſſe mutare ſubſtantiam Sacramentorum, quod negat Concilium Tridentinum cit. cap. 2. ſeſſ. 21.

Neque verò laudatum Decretum habendum eſt pro unica regula, quam Armeni ſequi teneantur in Sacramentorum celebratione, 1. quidem, quia Eugenius ad illam Græcos non adſtrinxit; non enim porrigunt illi inſtrumenta ordinandis. 2. Quia in illo Decreto Summus Pontifex non meminit ordinationis Epiſcopi. Unde ſi Armenis illi Decreto inſiſtendum fuiſſet tanquam unicæ ſuæ regulæ, non haberent apud ſe Epiſcopos. Summus itaque Pontifex in illo unionis Decreto propoſuit Armenis, & quæ ad fidem pertinent, ut ea crederent; & quæ ad diſciplinam, non quidem ut in omnibus ea obſervarent, relictis propriis ritibus, ſed confitentur eſſe legitima, nec verbo Dei contraria.

Inſtabis; dici poteſt inſtrumentorum porrectionem in Eccleſia Latina, à decimo ſæculo ſenſim introductam, tum evaſiſſe materiam neceſſariam ante Concil. Florentinum, cùm univerſaliter & ubique fuit recepta.

Nego, poſſe dici cum aliqua veriſimilitudine Sacramentum hactenus validum, abſque expreſſa Eccleſiæ definitione evadere irritum eo ipſo, quò cæremonia adjecta ut accidentalis fuit univerſaliter recepta. Quis v. g. dixerit unctionem, quæ nunc ubique adhibetur in conſecratione Epiſcoporum, & in ordinatione presbyterorum, eſſe materiam ordinationis neceſſariam?

Major

Major eſt difficultas circa chriſmationem, quæ fit in Confirmatione, utrùm ſcilicet ſit materia eſſentialis hujus Sacramenti; quia à prioribus Eccleſiæ ſæculis adhibita eſt tam à Græcis, quàm à Latinis. Sed commodiùs id expendetur in tractatu de Confirmatione. Suppoſito autem quòd ſit accidentalis, quæ reſpondimus pro ordinatione, æquè valent pro Confirmatione.

Q. 2. *Mutatio ſubſtantialis, ſive materiæ, ſive formæ Sacramenti redditne irritum Sacramentum?*

R. Affirmativè, ſequiturque ex præcedenti reſponſione; quia forma, aut materia ſubſtantialiter mutata, non eſt forma aut materia, quam Chriſtus Dominus inſtituit & determinavit; acetum v. g. non eſt vinum à Chriſto deſignatum pro materia Euchariſtiæ.

Q. 3. *Quandonam cenſetur forma, aut materia ſubſtantialiter mutata?*

R. Forma ſubſtantialiter mutatur, quando ex mutatione, tranſpoſitione, adjectione, aut detractione verborum non remanet idem ſenſus. Mutatur verò accidentaliter tantùm, ſi ſenſus idem remaneat. Hinc ſi Arianus inter baptizandum diceret, in nomine Patris majoris, &c. additio illa omninò corrumperet ſenſum formæ, irritumque redderet Baptiſmum, ut declaravit Conc. Nicæn. I. quia non exprimeret ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, quod exprimendum Chriſtus inſtituit Matth. 28. Si verò miniſter poſt invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis ſequentia verba adderet, *& beata Virgo te adjuvet*; mutatio eſſet ſolùm accidentalis, ratuſque eſſet Baptiſmus, quia ſtaret idem ſenſus. Similiter materia mutatur ſubſtantialiter, quando tranſmutata eſt in aliam ſpeciem

ciem & naturam, ut si vinum fiat acetum; vinum enim non est ejusdem speciei, & naturæ cum aceto. Mutatur verò accidentaliter quando remanente eadem natura & specie, nonnulla ejus corrumpuntur accidentia, ut si vinum sit solùm acescens, nec omninò acetum.

Q. 4. *Mutatio accidentalis irritatne Sacramentum?*

R. Minimè, nisi fiat animo inducendi novum errorem; quia cum tali mutatione reperiuntur materia & forma à Christo institutæ.

Illicita tamen est hæc accidentalis mutatio, præsertim si fiat auctoritate privata; est enim & contra Sacramenti reverentiam, & Ecclesiæ prohibitionem, Canon. 13. sessione 7. Concilii Tridentini.

Dixi: *Nisi fiat animo inducendi novum errorem.* Namque Zacharias Summus Pontifex interrogatus à S. Bonifacio Moguntino octavo sæculo, quid factu esset opus circa baptizatos his verbis; *ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta*, respondet Epist. 6. citata cap. *Retulerunt*, distinct. 4. de Consecratione, quòd si ille, qui baptizavit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringens linguam, baptizans, dixisset, *ego te baptizo*, &c. non possumus consentire ut denuò baptizetur.

Advertes autem duo requiri, ut intentio inducendi novum errorem irritet Sacramentum, quorum si alterutrum desit, ratum nihilominus erit Sacramentum. Primum, ut sensus formæ sit reverà ambiguus; nam si sit apertus, & intentio prava, non officiet Sacramento, ut patet ex Baptismo ab Arianis collato, qui licèt pravè sentirent,

rent, docerentque Filium non esse æqualem Patri, atque eo sensu verba Baptismi proferrent; attamen validus erat Baptismus ab eis collatus; quia nihil immutabant circa formam, cujus sensus nihil habet ambigui. Secundum, ut error Ministri ita exteriùs exprimatur, verbaque ambigua in talibus circumstantiis proferantur, ut nonnisi pravo sensu intelligi debeant. Ergo balbutiens, qui corruptè pronuntiat formam, validè conficit Sacramentum; quia ex communi hominum usu forma sic expressa idem significat, quod alia prolata ab eo, qui non est balbus.

Q. 5. *Licetne uti materia dubia in Sacramentorum administratione?*

R. 1. Si certa non suppetit quando ministrandum est Sacramentum ad salutem necessarium, urgetque periculum mortis, Minister licitè potest, imò debet adhibere materiam dubiam; quia Christus Dominus Sacramenta instituit tanquam remedia in animarum salutem: atqui prudenter dubia remedia applicantur, ubi desunt indubitata, cùm ex usu illorum remediorum spes nonnulla salutis nascatur.

R. 2. Grave est peccatum uti materia dubia, cùm certa haberi potest.

Probatur 1. ex S. Augustino lib. 1, de Baptismo cap. 3. *Graviter peccaret*, inquit, *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.*

Probatur 2. auctoritate Innocentii XI. & Cleri Gallicani, qui damnarunt sequentem propositionem, *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum damni*

mni incurrendi; hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

Probatur 3. ratione: quia talis materia dubiam reddit Sacramenti veritatem, quod fieri nequit ſine gravi ejuſdem Sacramenti injuria & ſacrilegio. Advertant ergo Pœnitentiæ Miniſtri quot criminibus ſe implicent, qui ad ſolam pœnitentium confeſſionem attendunt, & eos promiſcuè abſolvunt, nulla habita ratione contritionis; quam non ſolùm dubiam, ſed prorſus nullam deprehenderent, adhibita diligentia, quam debet Sacramentorum Miniſter.

CAPUT VIII.

De cauſa efficiente Sacramentorum novæ Legis.

Q. 1. *Quotuplex poteſtas aſſignari ſolet à Theologis circa Sacramenta novæ Legis?*

R. Triplex, prima dicitur auctoritatis, eſtque principalis & independens, nullique communicabilis creaturæ, utpotè eſſentialiter dependenti, nec competit Chriſto Domino, niſi ratione divinitatis.

Secunda dicitur poteſtas excellentiæ, quæ quidem inſtrumentalis eſt, ſed inſtrumenti cum divinitate conjuncti, eſtque propria Chriſti ut hominis, propter unionem hypoſtaticam humanitatis cum Verbo.

Tertia eſt purè miniſterialis, nec extenditur niſi ad miniſtranda Sacramenta jam divinitus inſtituta.

Triplex eſt ergo cauſa efficiens Sacramentorum novæ legis, prima & quidem principalis eſt ſolus Deus, ut conſtat ex dictis circa definitionem

nem Sacramenti in genere: Secunda eſt Chriſtus Dominus, ut homo eſt: Tertia eſt Miniſter Chriſti in Sacramentis adminiſtrandis.

Q. 2. *In quibus conſiſtit poteſtas excellentiæ?*

R. Quatuor complectitur dotes: Prima quòd Sacramenta operentur per meritum illius, cui competit illa poteſtas: 2. Quòd ad invocationem nominis illius celebrentur: 3. Quòd ipſe habeat poteſtatem Sacramenta inſtituendi, & de facto inſtituerit: 4. Quòd Sacramentorum effectum ſolo voluntatis nutu, & independenter à quocumque ritu externo conferre poſſit.

Q. 3. *Poteſtas excellentiæ poteſtne communicari puræ creaturæ?*

R. 1. Non poteſt communicari quoad omnes effectus; nulla enim creatura poteſt de condigno mereri alteri remiſſionem peccatorum, nec pro eis plenè ſatisfacere; quia ad hoc requiritur meritum infinitum, cujus capax non eſt pura creatura, ut docent Theologi ubi de Incarnatione.

R. 2. Non repugnat poteſtatem excellentiæ communicari puræ creaturæ quoad reliquos effectus. Ita S. Auguſtinus tract. 5. in Joan. his verbis: *Potuit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem, & tantam vim daret baptiſmo translato in ſervo, quantam vim haberet Baptiſmus datus à Domino. Hoc noluit ideò, ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent, noluit ergo ſervum ponere ſpem in ſervo.*

Q. 4. *Eſtne de fide Chriſtum Dominum inſtituiſſe omnia novæ Legis Sacramenta?*

R. 1.

R. 1. Eſt de fide Chriſtum Dominum, ſive immediatè & per ſe, ſive mediatè & per Eccleſiam omnia Sacramenta novæ Legis inſtituiſſe; ita enim definivit Concil. Tridentinum ſeſſ 7. cap. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta . . . anathema ſit.* Probatur; ille inſtituit, ſive immediatè, & per ſe, ſive mediatè, per Eccleſiam, omnia Sacramenta, qui materiam & formam omnium Sacramentorum determinavit, ſive ſpeciatim, ſive generatim: atqui Chriſtus Dominus omnium Sacramentorum materiam & formam ſive ſpeciatim, ſive generatim determinavit: Ergo.

Major evidens eſt ex ipſis terminis, minor verò probata manet ex cap. præced.

R. 2. De fide eſt Chriſtum Dominum immediatè & per ſe inſtituiſſe aliqua Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam; quia eorum materiam & formam in ſpecie determinavit, vt conſtat ex cap. præced.

R. 3. Non eſt de fide Chriſtum Dominum immediatè & per ſe inſtituiſſe omnia novæ Legis Sacramenta, quia ex dictis præced. capite non eſt de fide, eum determinaſſe in ſpecie omnium Sacramentorum materiam & formam; nec Concilium Tridentinum inſeruit citato canone adverbium (immediatè) ne videretur damnare quorundam Theologorum ſententiam, qui ante & poſt ipſum Concilium docuerunt, & docent, Chriſtum Dominum reliquiſſe arbitrio Eccleſiæ determinandas materias & formas multorum Sacramentorum.

R. 4. Veriſimilius eſt Chriſtum Dominum immediatè, & per ſe inſtituiſſe omnia Legis novæ Sacra-

Sacramenta; quia ex dictis citato capite præcedenti omnium Sacramentorum materiam in specie determinavit.

CAPUT IX.

De Ministro Sacramentorum novæ Legis.

Q. 1. *Quis est Minister Sacramentorum novæ Legis?* R. Solus homo, est contra Lutherum, qui lib. de Missa privata docet Angelos, & dæmones posse legitimè administrare Sacramenta.

Probatur 1. ex Scriptura, ubi videmus solis hominibus Christum Dominum dedisse potestatem ministrandi Sacramenta, Matth. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Luc 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Joan. 20. *quorum remiseritis peccata*, &c. Constat autem ex Traditione hæc dicta esse hominibus ad exclusionem Angelorum, *iis datum est*, inquit S. Joannes Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio, *ut potestatem habeant, quam Deus optimus maximus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est*, quæcunque ligaveritis, &c.

Probatur 2. Sacramenta novæ Legis constant verbis humano modo prolatis, quæ ita ab Angelis efformari non possunt. Si ergo veræ sunt historiæ, in quibus refertur, nonnullos extraordinariè Sacramenta ab Angelis percepisse, perceperunt illi Sacramentorum effectus sub aliquibus signis, quæ non erant vera Sacramenta.

Et certè status viatoris continetur in conditionibus, quas sancti Patres in Ministro exigunt. Videtur Apostolus eum viatoris statum præsup-

 pone-

ponere, Hebr. 5. ubi ait hujusmodi debere esse Ministrum, qui *ex hominibus assumptus . . . . . . condolere possit iis, qui ignorant & errant*, &c.

Q. 2. *Quilibet homo Christianus habetne potestatem ministrandi Sacramenta?*

R. Minimè, excepto Baptismo in casu necessitatis, ut infrà dicetur, est etiam contra Lutherum libro de abroganda Missa, ubi sic habet: *Sacerdos in novo præsertim testamento non fit, sed nascitur: non ordinatur . . . . . sed creatur*, quem errorem damnavit Concilium Tridentinum his verbis, sessione 7. can. 10. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura, in qua legimus ad hoc munus quosdam præ cæteris esse electos & deputatos, Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . . alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii*, 1. Corinth. 12. *numquid omnes Apostoli? . . . . numquid omnes Doctores?* Joannis 20. non omnibus Christianis, sed solis Apostolis dictum est, *quorum remiseritis peccata*, &c. & Matth. 18. *quæcumque solveritis*, &c. denique Jacobi 5. inducendi sunt Presbyteri ad ungendos infirmos.

Probatur 2. ex perpetua Ecclesiæ Traditione. In Concilio Nicæno I. generali irrita est declarata ordinatio Ischiræ; quia Colluthus, qui manus ei imposuerat, non erat Episcopus. Presbyter non potest ordinare, ex S. Hieronymo, & ex Concil. Meldensi.

Dices, 1. Petri c. 2. dicitur omnibus Christianis, *vos autem genus electum, regale sacerdotium*; ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Distin-

Diſtinguo conſeq. Sunt Sacerdotes impropriè, quomodo & Reges ad offerendas ſpiritales hoſtias, id eſt, bona opera, quo ſenſu dicitur Pſ. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & laudes Dei vocantur Oſee 14. vituli labiorum, Conc. Sacerdotes propriè, Nego conſeq. Enimverò S. Petrus deſumpſit verba in objectione laudata ex cap. 19. Exod. verſ. 6. ubi diriguntur ad omnes filios Iſrael, quos certè Lutherus non dixerit fuiſſe omnes Sacerdotes propriè dictos, cùm negare non poſſit hunc honorem fuiſſe delatum ſolis filiis Aaron, qui eo titulo conſtanter reſtiterunt, 2. Paralip. cap. 26. Regi Oſiæ, dum præſumpſit offerre incenſum Domino, *non eſt*, inquiunt, *tui Officii*, *Oſia*, *ut adoleas incenſum Domino*, *ſed Sacerdotum.*

Nullius eſt momenti quod opponit Lutherus, omnes Chriſtianos eſſe fratres, & membra Chriſti Domini, qui eſt propriè Sacerdos; nam fratres, maximè adoptivi, non gaudent eodem honore, quo primogenitus. Nec omnia membra ejusdem corporis eundem habent actum, ex Rom. cap. 12. verſ. 4.

Q. 3. *Miniſter eſtne propriè cauſa ſaltem inſtrumentalis effectus Sacramentorum?*

R. Eſt reverà; dicitur enim remittere peccata, Joannis 20. dare gratiam per impoſitionem manuum; 1. ad Tim. 4. Unde ſic licet argumentari: ille reverà eſt cauſa efficiens alicujus effectus, per cujus actionem effectus ille primò, & per ſe producitur, atqui per actionem Miniſtri, putà ablutionem & unctionem, gratia per ſe immediatè producitur: Ergo.

Excipiendum tamen eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quod non conſiſtit in uſu ſicut cætera;

ideoque gratia in eo producitur remotè tantùm per consecrationem, quæ est actio Ministri, proximè verò per corpus Christi sub speciebus panis.

Q. 4. *Quæ requiruntur ex parte Ministri, ut legitimè Sacramentum perficiat?*

R. Tria, nempe intentio, fides, & probitas.

CAPUT X.

De intentione Ministri Sacramentorum.

Q. 1. *Quid hìc intelligendum nomine intentionis?*

R. Intelligitur deliberata voluntas faciendi aliquid, putà Sacramentum.

Dixi, *deliberata*; nam voluntas non exit in actum, nisi prævia cognitione, & rationis judicio juxta illud; *ignoti nulla cupido.* Atque ideo nulla intentio in dormiente, nec in amente, quia nullus rationis usus: item homicidium est præter intentionem in eo, qui occidit hominem, putans occidere feram: neque etiam mater haberet intentionem conficiendi Sacramentum, si abluendo sordes corporales infantis diceret: *Fili, lavo te in nomine Patris, & Filii,* &c. quia non cogitaret, nec cogitasset de Sacramento conficiendo. Idem dicendum de Sacerdote antiquiore, qui docens juniorem ritum Sacrificii Missæ, accipit panem, profertque verba consecrationis; quia totus est ad repræsentandum, non verò ad faciendum quod facit Ecclesia, nec in mentem ejus venit offerre sacrificium. Hæc ex Philosophia.

Q. 2. *Estne necessaria Ministro illa intentio ad veritatem Sacramenti, adeo ut sine illa non perficiatur Sacramentum?*

Nega-

Negavit Lutherus; sic enim loquitur duodecimo art. ex his quos Leo X. damnavit, *si Sacerdos non seriò, sed joco*, (idest, cum intentione tantùm repræsentandi mysterium) *absolveret, si tamen credat pœnitens se esse absolutum, verissimè est absolutus.* Eadem tradit libro de captivit. Babylon capite de Baptismo. Verùm sub anathemate damnata est hæc doctrina in Concilio Tridentino sess. 7. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Præiverat Martinus V. in postrema Concilii Constantiensis sessione anno 1418. & Eugenius IV. in decreto pro Armenis anno 1439. ubi, *Sacramenta*, inquit, *tribus perficiuntur, materia, forma, & persona Ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Quare.

R. De fide est intentionem Ministri necessariam esse ad perficiendum Sacramentum. Patet ex citato can. Concilii Tridentini. Probatur autem Concilii definitio, 1. ex Scriptura, 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, Matth. 7. *nolite dare sanctum canibus*, Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis*, &c. ubi mittuntur Apostoli non tanquam nuntii, qui simpliciter perferant obsignatum mittentis mandatum, sed tanquam dispensatores & procuratores, qu prudenter & fideliter gerere debeant negotia domini sui, ac proinde cum intentione propriè dicta, & ita SS. PP. intellexerunt cit. text.

Probatur 2. ratione: Administratio Sacramentorum debet esse humana actio; ad quid enim Christus Dominus solos constituisset homines Sa-

cramentorum Ministros, nisi ut humano modo agerent? atqui non est humana actio, nisi fiat voluntariè & cum advertentia rationis: Ergo, &c.

Dices 1. medicamentum prodest ægroto, etiamsi præter intentionem, aut etiam per jocum detur: atqui Sacramenta sunt animæ medicamenta: Ergo, &c. Confirmatur. Verbum Dei etiamsi non seriò prædicetur, in animabus tamen audientium nonnunquam operatur.

Distinguo major. Medicamentum quod non consistit essentialiter in actione humana, qualia sunt omnia medicamenta corporea, Concedo: quod essentialiter consistit in actione humana, quæ non potest perfici sine intentione, Nego. Unde patet responsio ad confirmationem, verbum enim Dei per se est operatorium independenter ab actione, & consequenter ab intentione hominis.

Instabis: Minister Sacramentorum est instrumentum Christi, nec agit nisi virtute illius: atqui non requiritur intentio instrumenti, sed sufficit intentio causæ principalis: Ergo, &c.

Distinguo majorem; Instrumentum liberum, quod debet agere cum prudentia, Concedo: Instrumentum inanime, Nego majorem: Christus autem ex dictis misit Apostolos, ut eorum successores tanquam dispensatores & procuratores, qui consilio & sapientia gererent quæ dedit illis in mandatis.

Dices 2. S. Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuit Baptismum jocosè collatum à S. Athanasio adhuc puero: item S. Genesius validè fuit baptizatus per mimum, qui in theatro mysteria Christianorum derisoriè repræsentabat coram Diocletiano. Hinc S. Augustinus libro 7. de-

de Baptiſmo capite 33. docet, integritati Baptiſmi non officere, ſi fallaciter detur, additque ſe non audere idem affirmare de Baptiſmo mimicè & deriſorié dato, ſed de ſuo illum calculo approbaturum, ſi eſſet in Concilio Epiſcoporum, qui eum errantem poſſent in rectam viam reducere. Imò tract. 5. in Joan. poſitivé aſſerit Baptiſmum ab ebrioſo collatum eſſe validum.

R. Ad ſingula.

Ad primum. 1. Non eſt veriſimilis hiſtoria, quam de S. Athanaſio ſolus Ruffinus texuit, & ex illo Socrates & Sozomenus, tum quia nullo probati auctoris teſtimonio nititur, ſed incerta admodùm fama, *ferunt*, inquit Ruffinus: tum quia laudati hiſtorici diverſimodè factum illud narrant: variatio autem illa eſt indicium falſitatis, tum quia S. Alexander creatus eſt Patriarcha Alexandrinus anno 311. quo tempore Sanctus Athanaſius puer eſſe non poterat; cùm annis quatuordecim poſt, nempe circa ann. 325. ſuffectus ſit in locum S. Alexandri, qui obiit paulò poſt Concil. Nicœnùm; mores enim illius ſæculi non ferebant, ut Presbyter ordinaretur ante trigeſimum ætatis annum, teſte S. Hieronymo epiſt. 62. quantò minus Epiſcopus & Patriarcha, præſertim primæ Sedis Orientalis, qui vix annum 25. attigerat, ſuppoſita veritate hiſtoriæ? Nec Ariani & Athanaſii hoſtes infenſiſſimi defectum illum prætermiſiſſent utpotè qui S. Pontificem falſis criminationibus opprimere, atque è ſede expellere conſpirarant.

2. Vera ſit illa hiſtoria, pueri in ludis ſuis nonnunquam ſeriò imitantur quæ à majoribus fieri conſpiciunt, & hanc mentem, ſeu intentionem in puero Athanaſio deprehendit S. Alexan-

der; ex eo quòd non promiſcuè ablueret infideles & jam baptizatos, ſed ſolos Catechumenos, exploratis priùs per varias interrogationes eorum diſpoſitionibus.

Ad ſecundum. Baptizatus eſt ſanctus Geneſius per Baptiſmum vel flaminis, hoc eſt, perfectam contritionem; vel ſanguinis, non verò per Baptiſmum aquæ mimicè collatum, qui eſt plane invalidus.

Ad tertium. Per fallaciam & fictionem intelligit ſanctus Auguſtinus defectum debitæ diſpoſitionis; qualis eſſe poteſt in Hæretico. Unde apud illum fictè accedere ad Baptiſmum, non eſt animo deriſorio, ſed cum indebitis diſpoſitionibus accedere.

Fatendum tamen eſt, S. Doctorem propendiſſe in ſententiam noſtræ oppoſitam; ſed noluit quidquam definire antequam difficultas expenderetur in Epiſcoporum judicio, in quo dubia ſua deponeret. Porro tanti Doctoris exemplo moveri deberent Novatores ad obſequendum definitioni Concilii Tridentini.

Cæterùm alia eſt ratio ebrioſi, id eſt, hominis ex habitu in ebrietatem propenſi, alia hominis actu ebrii, id eſt, qui vino actu madet; ille enim cum ſit compos rationis, Sacramenta valide miniſtrare poteſt: hic verò minime, uti declarat ſanctus Cornelius ſummus Pontifex de Novatiano Hæretico ordinato ab Epiſcopis crapula oppreſſis: qui adumbrata & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ei tradiderunt. Refertur ejus Epiſtola ad Euſebio lib. 6. hiſt. Eccleſiaſticæ, cap. 43.

CA-

CAPUT XI.

De Intentionis divisione.

Q. 1. *Quotuplex est intentio?*

R. Dividitur 1. generatim in directam & reflexam.

Directa est intentio, qua quis delibertatè vult administrare Sacramentum; seu facere quod facit Ecclesia, adeout administratio sit objectum immediatum illius intentionis.

Reflexa est, qua quis reflectens super administrationem jam directè intentam, novo & distinctiori modo vult eandem administrationem, ut est Sacramentum, vel ritus ab Ecclesia frequentatus.

Q. 2. *Quotuplex est intentio directa?*

R. Duplex, alia dicitur operis, alia finis.

Intentio operis est, qua quis vult simpliciter ipsam administrationem, seu cæremoniam ab Ecclesia frequentatam, nec cogitat de ejus virtute aut effectu, qui est sanctificatio suscipientis, imò fortè illam existimat inutilem & superstitiosam.

Intentio finis est ea, qua quis intendit sanctificationem suscipientis Sacramentum.

Q. 3. *Quotuplex est intentionis operis?*

R. Duplex: alia dicitur interior, seu mentalis: alia exterior.

Exterior est ipsa actio deliberatè facta, juxta ritum ab Ecclesia præscriptum:

Interior est voluntas seriò faciendi actionem exteriorem, & observandi ritum Ecclesiæ; potest enim fieri, ut quis exteriùs videatur seriò facere quod facit Ecclesia, cùm tamen intus in corde intendat duntaxat mimicè illud repræsentare; &

quod pejus eſt, baptizare in nomine dæmonis, vel Idoli, licèt exteriùs dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c.

Q: 4. *Quotuplex eſt intentio interior?*

R. Sextuplex aſſignari ſolet, nempe actualis, virtualis, habitualis, interpretativa, abſoluta, & conditionata.

Actualis intentio eſt ea, qua quis actu vult conficere Sacramentum, v. g. baptizare.

Virtualis eſt actio, quæ fit virtute præcedentis actualis intentionis, quæ quamvis præterierit, cenſetur tamen moraliter manere, quatenus virtute illius agens, ſeu Miniſter operatur. Exemplum eſto in Sacerdote, qui ingreſſus eſt ad altare cum actuali intentione conſecrandi, ſed paulò poſt diſtrahitur, evaneſcitque illa intentio ex infirmitate humana, vel etiam ex quadam negligentia, proſequitur tamen ſacrificium, cæremonias perficit, verba conſecrationis profert virtute actualis intentionis, quæ præceſſit; unde actiones ex illa emanantes dicuntur intentio virtualis.

Habitualis intentio, eſt propenſio, ſeu inclinatio voluntatis acquiſita per actus ſæpiùs repetitos, putà per frequentem Sacramentorum adminiſtrationem. Hæc intentio poteſt remanere in dormiente, amente, aut ebrio.

Interpretativa, eſt diſpoſitio voluntatis, quæ talis eſt, ut interpretemur aliquem conſenſurum aut facturum, ſi res propoſita in ejus mentem veniret, vel de ea moneretur. Sic dicitur fidelis adultus, ex vi morbi rationis uſum amiſit, habere intentionem interpretativam recipiendi Sacramenti

menti

menti Extremæ-Unctionis, quamvis de eo nunquam cogitaverit, quia ex ejus anteacta vita colligimus eum tantum beneficium expetiturum, si rationis esset compos.

Absoluta intentio, est voluntas absoluta, qua simpliciter, & sine modificatione Minister vult conficere Sacramentum: conditionata verò, qua vult sub conditione tantùm, v. g. si non es baptizatus, *Ego te baptizo*; si es verè pœnitens, *Ego te absolvo.*

CAPUT XII.

Qualis intentio est necessaria in Ministro ad perficiendum Sacramentum?

R. 1. Reflexa non est necessaria: tum quia ex nullo sacræ Scripturæ textu, aut sanctorum Patrum testimonio colligi potest ejus necessitas: tum quia Minister sine ea potest prudenter & humano modo, imò & cum pietate implere suum Ministerium. Quis enim credat eum sine recta intentione, & sine fructu adesse Sacrificio Missæ, qui audito ultimo signo, properavit ad Ecclesiam, sollicitus ne seriùs adveniret, non reflectens se recta mente accedere? Deponant ergo scrupulos, quibus cruciantur nonnulli Ministri, quasi illis defuerit sufficiens & recta intentio, quia absque reflexione festinarunt ad baptizandum, aut absolvendum perclitantem.

℟. 2. Non requiritur intentio finis Sacramenti, hoc est sanctificationis. Ita S. Thomas in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 2. & in 3. parte Summæ qu. 64. art. 6. ad 2.

Probatur 1. quia ex dicendis Hæretici possunt validè

validè administrare Sacramenta, etiamsi negent in eis inesse ullam sanctificandi virtutem.

Probatur, 2. ex Patribus: sanctus Augustinus Epist 98. aliâs 23. sic scribit ad Bonifacium. *Nec illud te moveat, quod quidam non ex fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam; sed quòd eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem: non enim propterea illi non regenerantur, quia ab ipsis hac intentione offeruntur.* Enimverò Sacramenta agunt ad modum causarum naturalium. Sicut ergo ignis comburit stipulam, velit nolit qui illum admovet; sic & Sacramenta independenter à voluntate Ministri sanctificant per virtutem à Christo Domino ipsis inditam: *Neque enim justum est*, inquit Sanctus Chrysostomus, homil. 85. in Joan. *propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.*

R. 3. Intentio habitualis non sufficit; quia est sine advertentia rationis, cùm possit reperiri in dormiente, amente, & ebrio. Nec dicas sanctum Thomam 3. p. q. 64. art. 3. docere habitualem intentionem sufficere ad perfectionem Sacramenti: nam S. Doctor, sicut antiquiores Theologi, intentionem virtualem vocat habitualem: ut patet exemplo, quod citato loco proponit, nempè Sacerdotis accedentis ad baptizandum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, docetque perfici Sacramentum ex virtute primæ intentionis, etiamsi in ipso exercitio cogitatio Sacerdotis ad alia rapiatur.

R. 4. Interpretativa intentio multò minùs sufficit, quàm habitualis, ad conficiendum Sacramentum; quia non tam est intentio, quàm dispositio ad intentionem concipiendam.

Dices:

Dices: Sufficit ad recipiendum Sacramentum; Ergo & ad illud miniſtrandum.

Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd recipiens Sacramentum paſſivè ſe habeat, miniſtrans verò activè: Miniſter autem, utpotè agens rationale, non poteſt agere rationabiliter, ſeu humano modo, abſque intentione, ut dictum eſt.

R. 5. Intentio actualis, quamvis optima, atque ideò optanda, non eſt neceſſaria, ſed virtualis ſufficit. Ita S. Thomas loco mox cit.

Probatur. Ea ſufficit intentio, ex qua Miniſter agit humano & rationabili modo: atqui Miniſter ex intentione virtuali agit humano & rationabili modo; neque enim eſt in poteſtate hominis viatoris ita cohibere mentem, ut nunquam divagetur, continuoque actu cogitet de opere, præſertim diuturniore, quod deliberata voluntate ſemel aggreſſus eſt, v. g. ut decurrat integrum Pſalterium, remanente pietatis actu, ex quo ſuſcepit decurrendum: tranſit ille actus formaliter ſumptus, etiam in viris piiſſimis, ſed remanet in virtute, quatenùs verborum prolatio, genuflexio, &c. ſunt effectus piæ intentionis, quæ præceſſit. Similiter Paſtor ex intentione baptizandi infantem, in templum pergit, dumque parat neceſſaria ad Baptiſmum & cæremonias proſequitur, mens aliò abſtrahitur, nec actu cogitat de Sacramento, quod adminiſtrat, idque vel ex infirmitate humana, vel ex negligentia, integrum tamen ritum obſervat virtute præcedentis intentionis. In hac hypotheſi, eſto defectus adſit pietatis & religionis in Paſtore, nihil tamen deeſt Sacramento: doleat ob negligentiam, ſi quæ ſit, ſed nihil circa Baptiſmum repetat.

R. 6.

R. 6. Intentio conditionata, ſive de præterito, v. g *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, ſive de præſenti, *ſi es contritus, ego te abſolvo*, non irritat Sacramentum; quia talis intentio tranſit in abſolutam: adeout ſenſus ejus ſit, *quia non es baptizatus, ego te baptizo.* At cum intentione conditionata de futuro contingenti, v. g *Ego te abſolvo, ea conditione, quòd reſtituturus ſis*, non ſtat Sacramentum; quia talis conditio ſuſpendit conſenſum, ſeu voluntatem Miniſtri, donec impleta ſit conditio.

Advertes tamen hujuſmodi conditiones de futuro ut plurimum non eſſe niſi modos, qui non ſuſpendunt conſenſum, ut dictum eſt de contractibus; Confeſſarius v. g. monendo pœnitentem ut caveat à lapſu, declarat ſe ei concedere abſolutionis beneficium ea conditione quòd non relapſurus ſit; tum abſolutè formam pronuntiat: *Ego te abſolvo*, &c. in hac hypotheſi non cenſetur abſolviſſe ſub conditione, ſed ſolùm præſcripſiſſe modum pœnitenti, qua mente, quove propoſito Sacramentum recipere debeat.

Q. 2. *Licetne conditionem aliquando addere ad verba ſacramentalia, v. gr.* Si non es baptizatus, ego te baptizo?

R. Per ſeptem priora Eccleſiæ ſæcula uſus hujus formæ conditionalis fuit omninò incognitus, ſed abſolutè baptizandos, de quorum Baptiſmo dubitatur, decernunt Concilium V. Carthagin. anno 398. S. Leo quinto ſæculo epiſt. ad Ruſticum, & ſanctus Gregorius ſeptimo ſæculo; lib. 12. epiſt. 32. ad Felicem: *Hoc vos:* inquit ſanctus Gregorius, *ritè tenere debetis, quod nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ut quoties tam de Baptiſmo aliquorum, vel Confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratio*

ſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis, nec teſtibus certa ratio habetur, utrùm baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint, ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Eccleſiæ canonicè conſecrentur; ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur ritè peractum.

Uſus ergo formæ conditionalis primò innotuit VIII. ſæculo, habeturque lib. 6. Capitularium can. 184. ſed non fuit univerſaliter uſurpatus: Alexander III. qui ſedit anno 1159. illum præſcripſit his verbis, relatis extra. de Baptiſmo, cap. 2. *Si baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine*, &c. Concilium tamen Londinenſe an. 1200. nullius conditionis meminit: *Si dubitetur*, inquit can. 3. *ſacrorum Canonum Statuta ſequentes ſtatuimus, ut conferatur* (Baptiſmus) *quia non dicetur iteratum, quod non ſcitur fuiſſe collatum, ideoque baptizentur expoſiti, de quorum Baptiſmo dubitatur, ſive inveniantur cum ſale, ſive ſine ſale.* Ex quibus patet uſum formæ conditionalis non ubique invaluiſſe, niſi à decimo tertio ſæculo, primò quidem in collatione Sacramentorum, quæ imprimunt characterem; poſtmodùm verò in collatione aliorum Sacramentorum, præſertim pœnitentiæ, & ita præſcribunt communiter Libri rituales.

R. 2. Forma conditionalis non debet uſurpari, niſi in legitimo & prudenti dubio de veritate Sacramenti, dignitas enim Sacramentorum exigit ut non exponantur iterationi planè inutili. Prudens autem non erit hujuſmodi dubium, niſi prævio diligenti examine, an Sacramentum, de quo dubitatur, validè fuerit collatum.

Quæ

Quæ hactenus diximus de varia intentione, quæ poteſt eſſe in Sacramentorum Miniſtro, certa ſunt apud omnes Theologos; ſed gravis eſt quæſtio circa externam intentionem capite ſequenti expendenda.

CAPUT XIII.

Utrùm ad veritatem Sacramenti ſufficiat exterior Miniſtri intentio?

Eſt ferè extra controverſiam Concilium Tridentinum ita definiiſſe contra Novatores, intentionem faciendi quod facit Eccleſia eſſe neceſſariam ad veritatem Sacramenti, ut non attigerit quæſtionem, in qua verſamur, num ſcil. intentio illa debeat eſſe interior, an verò exterior ſufficiat? Namque 1. Salmeron è Societate Jeſu, quem Paulus III. ad Concilium miſerat, ut in eo, nomine ipſius, Theologum ageret, multis probat diſputatione ſecunda, 3. partis in epiſt. S. Pauli, exteriorem intentionem ſufficere, eamque ipſam eſſe, quam Concil. Tridentinum declaravit neceſſariam. 2. Ambroſius Catharinus Epiſcopus Minoritanus, qui in eodem Concilio ſedit cum aliis Patribus, poſt conditum Canonem 11. ſeſſ. 7. de neceſſitate intentionis Miniſtri, anno ſcilicet 1547. opuſculum ſuum Romæ edidit anno 1562. in quo aſſerit, nemine reclamante, intentionem externam ſufficere, imò Julius III. illum ad Campſenſem Archiepiſcopatum tranſtulit, quem ſanè honorem ei non contuliſſet, ſi eum Concilio refragari fuiſſet arbitratus. 3. Cardinalis Palavicinus è Societate Jeſu, lib. 12. cap. 10. ſuæ Hiſtoriæ ſcribit

Can.

Can. 9. feff. 14. non effe expunctam Catharini fententiam, & aliorum opinantium fufficere in Miniftro voluntatem feriò agendi, nec obeffe Sacramento, nifi jocum *quem*, inquit, *Sacramentum fufcipiens cognofcere poteft.* Et in hac parte concordat cum Soavi, qui fuam Hiftoriam, ftante adhuc Concilio, adornavit.

Nec aliud Eugenius IV. in fuo Decreto præfcripfit Armenis, ut colligere eft ex S. Antonino, qui tempore Concilii Florentini Ecclefiæ Florentinæ præerat Antiftes; nam in 3. parte fuæ Summæ titul. 15. §. 10. duas proponit opiniones tanquam probabiles circa intentionem Miniftri; alteram, quòd interior fit neceffaria: alteram, quòd exterior fufficiat.

Cùm ergo propofita quæftio ad Scholam pertineat, dividit Theologos in oppofitas fententias, quarum prima ftatuit intentionem exteriorem fufficere, habetque plures Patronos ex veteribus Scholafticis, & ex recentioribus celebres Scholæ Parifienfis, & aliarum Academiarum Profeffores. Altera in Scholis communior, etiam ante Concilium Tridentinum, negat fufficere intentionem exteriorem, contenditque iterandum Sacramentum, fi in Miniftro defuerit interior.

Quis autem Judex in hac controverfia, in qua graves Theologi hinc & inde pro fua fententia magna contentione pugnant, nifi ii, quibus dictum eft Matth. 18. *Quæcunque folveritis fuper terram; erunt foluta & in cœlo?* Nam privatus judicium fuum non impunè proferet: fi enim fteterit pro opinione negante, ab altera parte fuggillabitur, ut nimium timidus, & in ea parte Theologiæ, quam pofitivam vocant, parùm verfatus: fi verò affir-

mantem amplectatur, in aliorum offensionem incurret, traduceturque tanquam fautor opinionis saltem materialiter hærèticæ.

Quapropter Clericis, quibus in hoc opere servimus, satis nos facere arbitramur, si eos, stante illa opinionum contrarietate, firmaverimus in praxi, quam ubique receptam experti sumus, ut quoties agitur de Sacramento, v. g. Baptismo, aut Matrimonio iterando, nihil agatur inconsulto Episcopo. Quid verò in hac materia respondere debeat? nostrum non est docere eos, quos Deus nobis Pastores & Magistros præposuit. Veruntamen quia per tempus aliquando non licet recurrere ad Prælatum,

Viam tutam & certam inimus, & sine præjudicio pacis & veritatis ad propositam quæstionem,

R. In praxi omninò tenenda est sententia negans intentionem exteriorem sufficere ad veritatem Sacramenti.

Probatur unico syllogismo. Licitum non est in negotio salutis, & speciatim in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiori: atqui opinio negans intentionem exteriorem sufficere, est tutior: imò sola tuta est, & secura: Ergo omninò est tenenda.

Major negari non potest: est enim in Jure Canonico, & in Conc. Viennensi expressa quoad primam partem, & definita quoad secundam ab Innocentio XI. anno 1679. ac demum à Clero Gallicano, qui anno 1700. expendens hancce propositionem cum tribus aliis, *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, &c. sic censuit: *doctrina his propositionibus contenta est respectivè falsa, absurda, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus.* Minor

Minor probatur efficaciter. Illa opinio ſola eſt ſecura, quæ eſt communior in Scholis, quam plures Eccleſiæ particulares proponunt tanquam regulam in praxi obſervandam: atqui opinio, de qua hìc ſermo, eſt ejusmodi: Ergo.

Minoris duæ ſunt partes.

Prima pars, nempè quòd hæc opinio ſit in Scholis communior: probatur ex teſtimonio Magiſtri Sententiarum, ſeu Petri Lombardi, quem oppoſitæ ſententiæ Patroni pro ſe laudant; de eo quippe refert S. Antoninus, §. 10. jam citato, quòd agnoverit ſententiam negantem ſufficere intentionem exteriorem, eſſe communiorem, & tutiorem. Illud ipſum agnoſcitur in Scholis hodiernis.

Secunda pars conſtat ex Miſſali Rom. auctoritate Clementis VIII. edito, in cujus Rubricis, ut vocant, hæc præſcribitur regula à celebrantibus obſervanda circa intentionem: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit, non conſecrat, quia requiritur intentio.* Cumque nobis fuiſſet dictum, ejuſmodi regulam eſſe expunctam è Miſſali Pariſienſi, quatuor Miſſalia illius Eccleſiæ conſuluimus à totidem Pontificibus edita, primum à Franciſco *de Gondi:* ſecundum ab Harduino *de Perefix:* tertium à Franciſco *de Harlay;* quartum ab Eminentiſſ. Cardinale *de Noailles*, qui ſingulari pietate nunc eidem præeſt Eccleſiæ: & in quolibet eorum ſimilem regulam celebrantibus præſcriptam reperimus, nec dubium eſt quin in pleriſque Miſſalibus aliarum Diœceſum eadem habeantur. Jam verò quis contra hanc regulam opponere præſumet contradictoriam, tanquam in praxi tutam?

Confirmatur reſponſio decreto Alexandri VIII. qui an. 1690. in generali Congregatione Inquiſiſitionis, damnavit propoſitionem aſſerentem: *Miniſtrum Baptiſmi, qui exteriorem ritum plenè obſervat, Sacramentum conficere, licèt aliud* (puta jocum) *intus in corde gerat.*

Dices 1. ex S. Chryſoſtomo, libro 85. in Joannem: *Sacerdos linguam & manus præbet; neque enim juſtum eſt propter alterius malitiam, ad ſalutem noſtram accedentes offendi.* Et Sanctus Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo cap. 52. *nequaquam*, inquit, *dubitarem habere eos Baptiſmum, qui ubicunque, & à quibuſcunque illud verbis Evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent.* Et tract. 5. in Joan. *non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus? Quid te impedit malitioſus præco, ubi benevolus eſt Judex?* Atqui multum noceret malus Miniſter, ſi ſuppoſita neceſſitate internæ intentionis, eam abjiceret: Ergo.

Diſtinguo majorem, non nocet malitia Miniſtri, quæ non excludit voluntatem conficiendi Sacramenti, Concedo: quæ excludit, Nego majorem. Nonne enim malitia Sacerdotis, qua nollet baptizare parvulum animam exhalantem ipſi noceret?

Inſtabis: Concilium Nicænum I. probavit Baptiſmum Arianorum, qui, cùm crederent Filium eſſe creaturam, ſanè non intendebant baptizare in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, nec proinde facere quod facit Eccleſia.

Præterea Concilium Rothomagenſe an. 1581. Rhemenſe, & Turonenſe anno 1583. prohibent, ne abjurantes hæreſim Calvinianam, iterum baptizentur, quamvis non deſit ratio dubitandi num Pſeu-

Pſeudo-Miniſtri à quibus baptizati ſunt, habuerint intentionem faciendi quod facit Eccleſia? tum quia deteſtantur tanquam ſuperſtitioſos, ritus in Eccleſia Romana, (quæ ſola vera eſt Eccleſia) obſervari ſolitos, creduntque Sacramenta in ea eſſe adulterata: tum quia ſubſannant quæ Concilium Trid. decrevit de neceſſitate intentionis. Quin Molanus Theologus & Profeſſor Lovanienſis tract. 4. c. 3. teſtatur, ſe fuiſſe expertum in illis Pſeudo-Miniſtris intentionem internam aliquando defuiſſe. Ergo Eccleſia intentionem internam non requirit.

Nego conſequentiam. Quamvis enim Hæretici errent vel circa divinitatem Filii, vel circa eſſentiam Sacramentorum, nihilominus omnes intendunt facere quod Chriſtus inſtituit, quodque obſervat Eccleſia ab ipſo fundata, quæcunque tandem illa ſit, ac proinde Sacramenta verè conficiunt, modò ritum, & formam externam non vitient.

Ad experientiam Molani reſponderi poteſt, eum perfectiorem exegiſſe intentionem, quàm requirat Eccleſia; vix enim fieri poteſt, ut Calvinianus, qui cum advertentia baptizat, nolit facere cæremoniam, quam ſcit obſervari in ſua ſecta, tanquam à Chriſto inſtitutam. Porrò Eccleſia non aliam requirit intentionem, ut ratum ſit Sacramentum.

Dices 2. Illa ſententia tuta eſt in praxi, quam Principes Scholæ, & alii inſignes tum Theologi, tum Canoniſtæ communiter amplexi ſunt: atqui ejuſmodi eſt ſententia negans neceſſitatem intentionis interioris; eam quippe tenuerunt 1. Magiſter Sententiarum, lib. 4. diſtinct. 27. 2. Albertus

Magnus in 4. diſt. 6. art. 1. ubi ſolvens anxietatem, quæ naſci poteſt ex intentione Miniſtri in corde occulta, ſic reſpondet, *exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi, & illa expreſſio ſufficit ad intentionem Eccleſiæ.* 3. S. Bonaventura in 4. diſt. 3. art. 2. *judicandum eſt*, inquit, *ſecundùm expreſſionem oris.* 4. Innocentius IV. qui obiit circa medium 13 ſæculi, ſic habet in caput primum de Baptiſmo: *non requiritur quòd baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente (modò exteriùs exprimat) facere quod facit Eccleſia. Imo ſi contrarium gereret in mente, id eſt, non facere quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatur, dummodò baptizare intendat.* Innocentio adſtipulatur Angelus à Clavaſio circa ann. 1290. *Opinio Innocentii*, inquit, *mihi placet*, 5. S. Thomas 3. p. qu. 64. art. 8. dubitanti de intentione Miniſtri ſic reſpondet ad ſecundum: *Eſt* inquit, *duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum .... At meliùs dicunt, quòd Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur.* Ergo.

Nego min. Nam ex ipſomet Magiſtro Sententiarum, opinio, quam propugnamus, erat ejus ætate communior & in praxi tutior, quemadmodum refert S. Antoninus loco ſupra cit. Idem fatetur Paludanus pro oppoſita ſententia laudatus in 4 diſt. 6. qu. 2. S. Bonaventura nullatenus favet oppoſitæ ſententiæ. Loco enim in objectione cit. non agit de intentione conficiendi Sacramentum, quam neceſſariam definierat, quæſtione præcedenti; ſed de fide baptizantis, quam dicit

nec

nec obesse, nec prodesse baptizato, sed solam fidem Ecclesiæ, quæ expressione oris manifestatur.

Innocentius IV. duplicem intentionem distinguit in Ministro, aliam operis, seu Sacramenti conficiendi, aliam effectus per ipsum opus seu Sacramentum producendi. Posteriorem duntaxat negat necessariam, ut legenti patebit; affert enim exemplum Saraceni, qui rogatus baptizat non credens per immersionem aliquid fieri nisi madefactionem (ut loquitur) nec intendit baptizare secundùm intentionem petentis Baptismum, id est, ut Baptismus operetur justificationem. Si tamen conferre intendant, quod alii baptizantes censuerunt, verè est baptizatus, qui rogavit; *Sed,* inquit, *si hoc non intenderet, non esses baptizatus.*

Sanctus Thomas art. 8. in objectione laudato non modò sententiæ oppositæ non patrocinatur, quin nostram duplici ratione confirmat. Prima quidem, quia Minister Sacramentorum non movetur ut *instrumentum inanimatum, quod* inquit, *non habet .... intentionem respectu effectus, sed loco intentionis, est motus quo movetur à principali agente. Sed instrumentum animatum .... non solùm movetur, sed... quodammodo movet se ipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum, & ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti.* Ergo ex S. Thoma Minister Sacramentorum debet subjici Christo; nec subjicitur, nisi quatenus intendit facere quod Christus instituit. Secundam affert rationem; quia quæ sunt præter intentionem, sunt casualia: atqui Sacramenta non sunt casualia: ergo non perficiuntur præter intentionem, multò minùs contra intentionem Ministri. Unde S. Doctor concludit art. 10. Ministrum, qui

agit per jocum etiam interiorem, non conficere Sacramentum. *Intentio Ministri*, inquit, *potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, putà cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Quæ cùm ita clara sint, ut obscurari nequeant, superest, ut cum iis concilientur verba nobis opposita.

Sanctus itaque Thomas loco in objectione laudato, vult duntaxat satis esse ad veritatem Sacramenti, si Minister voluntariè, & seriò faciat quod scit Christum instituisse, atque in illa operatione externa præsumi, & intelligi interiorem ejus voluntatem, quemadmodum in eo, qui deliberatè mendacium profert, vel se inebriat, intelligitur voluntas peccandi, quamvis non habuerit intentionem mentalem, seu expressam & distinctam, qua intus in corde dixerit, *volo peccare.* Ad peccandum enim, sicut ad Sacramentum conficiendum, sufficit intentio confusa & implicita. Et ita interpretari licet Albertum Magnum, & alios Veteres, cùm scribunt exprimi generalem intentionem in verbo baptizandi, illamque expressionem sufficere ad intentionem Ecclesiæ.

Instabis: ideo S. Thomas, & alii antiquiores Scholastici, excludunt necessitatem intentionis interioris, ne Fideles sint anxii circa Sacramentum susceptum: atqui non tollerent eorum anxietatem, si præter opus externum requireretur Ministri intentio etiam confusa, & implicita; quia subest semper timendi locus, ne reverà defuerit: Ergo.

Nego

Nego min. quia non ſunt timenda pericula remotiora, quæ vix contingunt. Sic abſque periculo idololatriæ adoramus Hoſtiam, & ſine anxietate pœnitens credit impertitam ſibi fuiſſe abſolutionem, quamvis abſolutè fieri potuerit ut Sacerdos conſecrans, aut abſolvens, formam, quæ alta voce non profertur, integram non expreſſerit. Atqui longè faciliùs contingere poteſt Miniſtrum non proferre debitam formam, quàm carere voluntate faciendi quod ſub oculis noſtris liberè & seriò facit, pluſque timendum à perdito Miniſtro, magicis fortè artibus dedito, ne in ritu externo quid eſſentiale de induſtria omittat, quàm ne intentionem veritati Sacramenti contrariam concipiat.

Q. *Quid ſi impius ille Miniſter poſtmodum pænitens confiteatur ſe conſecraſſe ad magica exercenda, & intendiſſe baptizare in nomine dæmonis, non in nomine Chriſti, debentne continuè cenſeri irrita illa Sacramenta?*

Reſpondeo minimè; quia diſtinguenda eſt duplex intentio, quarum altera, & quidem ſufficiens ad Sacramentum perficiendum, cum tanta impietate conſiſtere poteſt. Prïor dicitur intentio operis à Chriſto inſtituti, quod eſt Miniſtri finis proximus; poſterior eſt intentio effectus per ipſum opus producendi, qui eſt finis remotus, & dependens à fine proximo.

Si ſceleſtus ille Miniſter caruit priore intentione, & intus in corde propoſuit non facere, ſed exteriùs repræſentare duntaxat quod Chriſtus inſtituit, & obſervatur apud Chriſtianos, irrita ſunt illa Sacramenta, ut patet ex dictis. Si verò intentio operis à Chriſto inſtituti non defuit, illudque Miniſter, quamvis perfunctoriè & ex officii

neceſſitate, perfecit cum deteſtanda tamen intentione abutendi Sacramento ad magica, & diaboli, non Chriſti characterem imprimendi, valent illa Sacramenta: quia ex S. Thoma cit. art. 10. perverſa illa intentio eſt quid conſequens ipſum opus, ſeu Sacramentum: pervertit quidem opus, *in quantum eſt opus Miniſtri:* in eo quippe eſt horrendum ſacrilegium; *non autem in quantùm eſt opus Chriſti*, cujus effectum impedire nequit. Sacramenta enim operantur ad inſtar cauſarum naturalium, quæ ſi applicentur ſubjecto diſpoſito, effectum neceſſariò producunt ignis v. g. ſtupæ admotus, velit nolit admovens, illam incendit, & Baptiſmus cum intentione operis collatus neceſſariò juſtificat, ſi ſuſcipiens non ponat obicem, imprimitque characterem Chriſti, non obſtante prava Miniſtri intentione imprimendi characterem diaboli. Cùm autem non cujuſvis ſit iſta utpote difficilia, diſcutere & enucleare, ſequitur, quod jam præmonuimus, conſulendum Epiſcopum, ut moris eſt, quando agitur de iterando Sacramento Baptiſmi, Confimationis, & Ordinis.

CAPUT XIV.

Utrùm fides & probitas in Miniſtro requirantur ad Sacramenti veritatem?

Negarunt tertio ſæculo S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, S. Firmilianus Epiſcopus Cæſarienſis in Cappadocia, & plures magni viri, rata eſſe Sacramenta ab Hæreticis collata, baptizatoſque ab eis rebaptizabant. Hunc errorem initio quarti ſæculi extenderant Donatiſtæ ad omnem pecca-

peccatorem, ſive publicum, ſive occultum, ut refert S. Aug. lib. 2. contra Creſconium, cap 28. Sed argumentis Catholicorum convicti reſtrinxerunt ad ſolos peccatores publicos, ex eodem S. Doctore lib. 2. contra Parmenianum capite 12. Donatiſtas ſecuti ſunt XII. ſæculo Apoſtolici Valdenſes, Albigenſes; ſub finem decimi quarti Huſſitæ; & decimo ſexto Anabaptiſtæ. Contra hos omnes

Reſpondeo 1. de fide eſt, pietatem in Miniſtro non requiri ad Veritatem Sacramenti.

Probatur 1. ex Conciliis. Conſtantienſe damnavit ſub anathemate errores Wiclefi, cujus hic erat art. 4. *Si Epiſcopus vel Sacerdos, eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.* Item Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 12. ſic ſtatuit: *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere .... Sacramentum, anathema ſit.*

Probatur 2. auctoritate S. Auguſtini, qui multos libros in hanc rem conſcripſit. Sufficiat nunc referre quod ſcribit tract. 5. in Joan. *Baptiſma,* inquit, *tale eſt, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille, per cujus miniſterium datur .... non exhorreat Columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus? ... quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Chriſti erat, & quod datum eſt à Juda, Chriſti erat. Dedit Judas, & non eſt baptizatum poſt Judam: dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem; quia qui datus eſt à Juda, Chriſti erat; qui autem datus eſt à Joanne, Joannis erat ... non timeo adulterum,*

terum, non ebriosum, non homicidam, quia Columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat . . . aqua ad areolas vehitur in canali lapideo nihil generans, hortis tamen plurimam confert fertilitatem; solis vel etiam lucernæ lux cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit. Et lib. 3 contra Cresconium c. 8. *agricolæ sordes non impediunt quin ager ab eo excultus fructum ferat.*

R. 2. De fide quoque est, in Ministro fidem non requiri ad veritatem Sacramenti: ita definit Concilium Tridentinum expressè de baptismo sess. 7. can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

Q. 2. *Quare Tridentinum rem expresse non definiit de Ministro aliorum Sacramentorum, sed solius Ministri Baptismi meminit?*

R. 1. Quia Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii, cùm consistant in materia morali, speciali modo subjacent Ecclesiæ dispositioni. Enimverò Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, quod sane est quid morale: ad judicium autem exercendum imprimis jurisdictio ita necessaria est Ministro tanquam Judici, ut sine ea absolutionis sententiam validè non ferat. Hanc autem jurisdictionem conferre vel denegare prorsùs est penès Ecclesiam. Unde si hæretico Ministro eam deneget, vel jam concessam revocet, verum erit dicere Sacerdotem sine fide Sacramentum Pœnitentiæ ministrare non posse.

Similiter Matrimonium est species quædam contractus, qui ut validus sit requiruntur certæ solemnitates ab Ecclesia determinatæ vel determinan-

minandæ : ſicut ergo Eccleſia ſanxit nullum eſſe ejusmodi contractum inter conſanguineos, v. g. in quarto gradu ; ita ſancire poteſt irritum fore, ſi Catholicus cum Hæreticis contrahat, ſicque neceſſaria erit fides ad Matrimonium celebrandum.

R. 2. Quia nonnulli Theologi docent Sacramentum Confirmationis & Ordinis conſiſtere in ritu morali, ac proinde Eccleſiam poſſe quasdam conditiones apponere, putà fidem & probitatem in Miniſtro, ſine quibus Sacramenta illa irrita erunt; ſuamque ſententiam probant auctoritate multorum Conciliorum, in quibus ſtatuitur baptizatos ab hæreticis, atque ideò confirmatos, cùm antiquitus Baptiſma, Confirmatio ſimul adminiſtrarentur, ſi ad Eccleſiam redeant, recipiendos eſſe cum manuum impoſitione & unctione, quod ſecundùm illos Theologos Sacramentum Confirmationis deſignat. Ita ferè Maldonatus Societatis Jeſu, q. 1. de Confirmatione, & Joannes Morinus Congregationis Oratorii, lib. 9. de Pœnit. c. 11. Item Ordinatos ab Hæreticis, Schiſmaticis & Simoniacis, plura Concilia non agnoſcunt tanquam Sacerdotes aut Epiſcopos, niſi priùs manuum impoſitioni ſubjiciantur (hoc eſt, ut interpretatur laudatus Morinus exercitatione 4. de ſacris Ordinationibus c. 1.) niſi iterùm ordinentur, & ad ſuam ſententiam confirmandam, profert auctoritatem omnium ferè Canoniſtarum, & plurium Theologorum, præſertim verò Magiſtri Sententiarum in 4. diſt. 13. Petri Pictavienſis lib. 5. Sententiarum cap. 13. imò duo illi Theologi cum Hugone Victorino in Summa tract. 6. c. 9. cenſuerunt Euchariſtiam ab Hæreticis aut Excommunicatis non poſſe confici, utpote quæ

ſit

ſit ſignum unionis, quam ſolvunt Hæretici & Excommunicati. Hanc autem poſteriorem ſententiam, utpote ſingularem, ſat ex ſe ruituram, quin jamdudum extinctam Tridentinum neglexit: ſatisque ei viſum eſt docere ſeſſ. 22. c. 1. Hoſtiam, quæ in altari offertur, nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poſſe.

Ex his patet, ſalva fide, poſſe dici Hæreticum, Excommunicatum, & impium Miniſtrum nonnulla Sacramenta conficere non poſſe; cùm omnes Catholici id fateantur de Hæreticis, & Excommunicatis non toleratis, quoad Sacramentum Pœnitentiæ, propter rationes mox allatas.

Licèt autem opinio citatorum Theologorum, qui propoſitionem ad Confirmationis & Ordinationis Sacramenta extendunt, fundamento careat, Tridentinum tamen illam reliquit intactam, maximè cùm illi Theologi in dogmate Catholico conveniant, nempe ex inſtitutione Chriſti, defectum pietatis & fidei in Miniſtro non nocere veritati Sacramentorum, ſed ex ſola Eccleſiæ diſpoſitione, quæ diſpoſitio cùm non poſſit habere locum circa Baptiſmum, cujus Miniſtri extraordinarii poſſunt eſſe non ſolùm Hæretici ab Eccleſia præciſi, ſed etiam Pagani, de ſolo Baptiſmo expreſſè Concilium rem definiit.

Q. 3. *Fides & probitas Miniſtri requiruntur ne ad veritatem aliorum Sacramentorum?*

R. Neque ex inſtitutione Chriſti Domini, neque ex diſpoſitione Eccleſiæ fides & probitas Miniſtri requiruntur ad veritatem ullius Sacramenti, excepto Pœnitentiæ Sacramento, de quo ſupra.

Q. 4. *Quomodo probatur hæc reſponſio?*

R. 1. Non poteſt evidenter probari ex Scripturis. Ita Sanctus Auguſtinus lib. de unitate Eccle-

clesiæ cap. 19. *Fortè dicis*, inquit, *lege mihi quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab Hæreticis transire ad Ecclesiam volunt; hoc apertè neque evidenter ego lego, nec tu .... Cùm hoc nusquam legatur, credendum est testimonio Ecclesiæ quam veram esse Christus testatus est.* Et lib. 1. contra Cresconium c. 33. *Quamvis bujusce rei certè de Scripturis Catholicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.*

Duo tamen potissimùm Scripturæ testimonia proferuntur. Primum, Circumcisio celebrata à Samaritanis, qui erant Hæretici, & à Judæis separati, nunquam fuit repetita, nec Christus ullum veteris legis Sacramentum reprobavit propter malitiam ministrantium. Secundum: Judas, qui numeratur inter non credentes (Joan. 6.) validè baptizavit.

Verùm etsi hujusmodi argumenta probabilia sint, tamen rem non evincunt.

Ad primum enim respondetur diversam esse rationem & institutionem Sacramentorum veteris & novæ Legis, nec paritatem esse quærendam in factis, quæ pendent à libera auctoris voluntate, ut videre est in duobus sequentibus argumentis à paritate ductis. Character non erat necessarius in Ministro ad celebrandum ritum Agni Paschalis: ergo neque etiam nunc ad conficiendam Eucharistiam. Item Minister excommunicatus non toleratus validè non absolvit in Sacramento Pœnitentiæ, ergo nec alia Sacramenta conficere potest: sive in veteri, sive in nova Lege.

Ad secundum, 1. non legimus omnes & singulos

los Diſcipulos baptizaſſe; ſed generatim habetur Joann. 4. quòd Diſcipuli Chriſti baptizabant: potuit autem Chriſtus cavere ne Judas loculos habens, & aliis curis detentus, baptizaret. 2. Eſto, baptizaverit; tamen certum non eſt ipſum baptizaſſe poſtquam fidem amiſit. 3. Etſi baptizaverit jam infidelis, Scriptura non refert Baptiſmum ab illo collatum non fuiſſe iteratum. Denique infidelitas Judæ erat occulta, & ſoli Chriſto nota: quæſtio autem eſt de Hæreticis publicis, & ab Eccleſia ſeparatis. Certum autem eſt Judam non baptizaſſe poſtquam à Chriſto receſſit.

R. Itaque 2. probatur efficaciſſimè ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, quæ ſemper rata habuit Sacramenta ab impiis & Hæreticis collata, modò ritùm à Domino præſcriptum obſervarint.

1. Quoad Baptiſmum, S. Stephanus ſummus Pontifex, qui Martyr occubuit tertio mediante ſæculo, traditionem & conſuetudinem Eccleſiæ oppoſuit Sancto Cypriano rebaptizanti tinctos ab Hæreticis. *Si quis*, inquit, *à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Hæc verba refert Sanctus Cyprianus epiſt. 74. ad Pompejum Epiſcopum Sabratenſem. Cùm autem hujus Traditionis initium non inveniatur: rectè concludit S. Auguſtinus, eam ab Apoſtolis deſcendere, l. 2. de Baptiſmo cap. 7.

Decretum Sancti Stephani confirmarunt plura Concilia celebrata poſterioribus ſæculis. Primo loco occurrit Arelatenſe I. ann. 314. can. 8. his verbis: *Placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum,*

zatum, manus tamen ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. 2. Concilium Nicænum I. quod est primum Generale anno 325. hæc habet can. 19. *De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerent, statutum est, ut omninò rebaptizentur: si in Clericorum numero erant .... rebaptizati ordinentur à Catholicæ Ecclesiæ Episcopo.* Hæc autem statuit Concilium de Paulianistis; quia non baptizabant in nomine Patris, &c. Unde collegerunt Patres, Baptismum ab hæreticis collatum in forma præscripta, secundùm mentem Concilii non esse repetendum. *Synodus quoque Nicæna,* inquit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *omnes Hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* 3. Concilium Carthaginense III. anno 397. idem statuit cap. 38. *Illud,* inquit, *suggerimus mandatum nobis, quod etiam Capuensi plenaria Synodo videtur statutum;* (anno scilicet 389.) *non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes.*

Ad eandem Ecclesiæ fidem tuendam libros integros scripserunt quarto sæculo contra Donatistas rebaptizantes, Optatus Milevitanus, & S. Augustinus. Cùm autem jactarent Donatistæ Patronum habere S. Cyprianum egregium Ecclesiæ Doctorem & Martyrem, respondet S. Augustinus, magistrum esse excusandum: tum quia pacem & unitatem servavit: tum quia quæstio de Baptismo Hæreticorum nondum erat discussa; at verò discipulos esse damnandos, cùm schisma fecerint, & veritas, jam omnibus discussis ambagibus, plenario Concilio fuerit confirmata: ita lib. 2. de Baptismo cap. 9.

Quodnam verò sit illud plenarium Concilium in mente S. Augustini dissentiunt Theologi: aliis videtur Nicænum I. quia non aliud erat plenari-

rium totius orbis Chriſtiani, cùm ſcriberet S. Auguſtinus. Alii contra probabiliùs contendunt fuiſſe Arelatenſe I. tum quia in illo Concilio damnati ſunt Donatiſtæ, & eliquata eſt controverſia de Baptiſmo, ex S. Aug. concione 2. in Pſal. 36. In Nicæno verò nihil eſt circa Donatiſtas, nec quæſtio de Baptiſmo fuit agitata; ſed ſimpliciter definitum baptizatos à Paulianiſtis formam Baptiſmi corrumpentibus, eſſe rebaptizandos: tum quia Arelatenſe Concilium dici poteſt totius orbis Chriſtiani plenarium; cùm ad illud confluxerint Epiſcopi, non ſolùm ex Gallia: ſed ex Hiſpania, Italia, Britannia, & Africa, quanquam nunc deſint eorum ſubſcriptiones.

Quoad Confirmationem, teſtis eſt Optatus lib. 7. contra Parmenianum, Eccleſiam admiſiſſe illud Sacramentum ab Hæreticis collatum; ſic enim ſcribit: *Numquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut nos muſcas morituras appelletis? quod veſtrum eſt, apud nos eſt; & ſi à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic à nobis ſervatur, quomodo à vobis dimittitur? Quomodo dicitis; quia nos ſumus muſcæ morientes; ſuavitatem olei corrumpentes, cùm poſt vos nihil tale fecerimus?*

S. Aug. lib. 5. de Baptiſmo cap. 19. ex eo quòd concederet S. Cypr. homicidam & alios peccatores in Eccleſia Sacramenta conficere, & ad eorum invocationem Spiritum ſanctum dari, his verbis argumentatur ad hominem, ut ajunt, *Quomodo aquam mundat, & ſanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adeſt Sacramentis, & verbis ſuis per qualeslibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei ubique recta ſunt, & mali homines, quibus nihil proſunt, ubique perverſi ſunt . . . cur ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, poſſit tamen Deus oleum*

ſancti-

ſanctificare, & in altari, quod poſuerunt Hæretici, non poſſit, neſcio.

Avitus Viennenſis Epiſcopus, qui anno 527. hominem exuit, reſpondet epiſt. 24. Stephano Lugdunenſi interroganti, quomodo Donatiſta pœnitens recipiendus eſſet, *manus impoſitionem perſonæ, de qua ſcribitis, adhibete quam conſtat ſi reverà in ſupradicti ſchiſmatis profeſſione verſata eſt, cum miniſterio Baptiſmatis, etiam chriſmate conſignatam;* quibus verbis Avitus apertè declarat Confirmationem à Donatiſtis collatam non eſſe repetendam.

3. Quoad Ordinationes: eas ab Hæreticis validè conferri agnovit Concilium Nicænum I. c. 8. in quo hæc de Novatianis habentur; quòd ſi inter eos qui ab iſtis ad Eccleſiam Catholicam redeunt, fuerit Epiſcopus, non ſit privandus Sacerdotii dignitate. Et hoc Decretum ab univerſali Eccleſia ſuſceptum fuiſſe tanquam regulam certiſſimam; teſtatur S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos; *Nicæna Synodus*, inquit, *Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit; Presbyterii gradum ſervat.* Cùmque Luciferianus admitteret Baptiſmum ab Arianis collatum, rejiceret verò Ordinationem, ex conceſſis S. Doctor ſic urget: *Si in fide ſua baptizato baptizans* (Arianus) *nocere non potuit & in fide ſua Sacerdotem conſtitutum conſtituens* (Arianus) *non inquinavit. Arianus baptizat, ergo Epiſcopus eſt. Eadem ratione Epiſcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis baptizatum.*

Juxta Nicænum Decretum ſuſceperunt ordinatos ab Hæreticis Concilium Alexandrinum, præſide S. Athanaſio anno 392. Epheſinum generale III. anno 431. actione 7. & Nicænum II. quod eſt ſeptimum generale octavo ſæculo, actione 1.

 Item

Item S. Augustinus lib. 2. cap. 10. contra Cresconium, asserit hanc fuisse in Africa consuetudinem, ut cum suis Ordinibus Donatistæ pœnitentes reciperentur epist. 93. aliàs 48. num. 46. ad Vincentium Donatistam, *Ex Catholica . . . Ecclesia*, inquit, *sunt omnia Dominica Sacramenta, quæ sic habetis & datis, quemadmodum habebantur & dabantur . . . priusquàm inde exiretis. Non tamen ideò non habetis, quia ibi non estis, unde sunt quæ habetis . . . Nobiscum . . . estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris dominicis Sacramentis.* Quæ S. Augustini verba extenduntur ad omnia Sacramenta, de quibus posset esse controversia. Sed cùm de tribus recensitis solùm in Ecclesia sit disputatum, de cæteris nihil addemus.

Solvuntur Objectiones ex Traditione petitæ.

Objicies 1. ex dictis, quæstio de veritate Sacramenti ab Hæreticis collati, sola Traditione, & constanti usu Ecclesiæ elucidari debet: atqui ab initio nascentis Ecclesiæ, Sacramenta ab Hæreticis collata fuerunt semper rejecta: ergo reverà sunt rejicienda, & pro nullis habenda.

Minor probatur

1. Can. 45. & 46. Apostolorum, pœna depositionis imponitur Episcopo & Presbytero, qui Hæreticorum Baptismum, vel sacrificium admiserit.

2. Agrippinus Episcopus Carthaginensis, quadraginta annis ante S. Stephanum, irritum declaravit Baptismum ab Hæreticis collatum, cui sententiæ Tertullianus Presbyter ejusdem Ecclesiæ adhæsit: tempore autem Sancti Stephani, S. Cypria-

Cyprianus eandem ſententiam propugnavit contra Sanctum Stephanum, eamque in duobus Conciliis confirmavit. Nec pluris facienda eſt Sancti Stephani opinio: tum quia in errore oppoſito ipſe ſummus Pontifex verſabatur, nempe Baptiſmum omnium Hæreticorum eſſe recipiendum, etiamſi in forma peccarent; tum quia conſuetudini quarundam Eccleſiarum, qua nitebatur, opponebant: Sanctus Cyprianus Traditionem Eccleſiæ Africanæ, & Sanctus Firmilianus Epiſcopus Cæſarienſis in Cappadocia, conſuetudinem totius Eccleſiæ Orientalis, Synodos Iconienſem & Synadenſem, & plures Epiſcopos Aſiaticos rebaptizantes eos, qui ab Hæreticis revertebantur; hinc excommunicationis ſententiam contra rebaptizantes, tanquam injuſtè latam à Stephano contempſerunt, intemperanterque ejus zelum reprehenderunt non solùm Cyprianus & Firmilianus; ſed & Sanctus Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 14. qui Sixto Stephani ſucceſſori mitiora ſuaſit conſilia: tum denique quia quarto etiam ſæculo clariſſima Eccleſiæ lumina, S. Athanaſius Alexandrinus, Cyrillus Jeroſolymitanus, & Baſilius Magnus, nullatenus moti auctoritate Sancti Stephani, Decretum Cypriani & Firmiliani de Hæreticis rebaptizandis ſecuti ſunt.

3. Poſterioribus ſæculis, qui ordinati ſunt ab Hæreticis, Schiſmaticis, & Simoniacis, dicuntur nihil accepiſſe, eorumque ordinationes prorſus rejectæ fuerunt; nam ex Sigeberto tom. 1. Hiſtoriæ ad annum 761. Conſtantino invaſore Sedis Romanæ ejecto, oculiſque privato, Stephanus IV. in Synodo ex Epiſcopis Italiæ & Galliæ con-

gregata, omnia à Conſtantino ordinata ordinat, præter Baptiſmum & Chriſma: & Urbanus II. undecimo exeunte ſæculo in Epiſtola, quæ refertur à Gratiano in Decreto cauſa prima q. 7. cap. 24. de Daiberto à quodam Nezelone ſimoniacè ordinato ſic ſcribit: *Daibertum ex integro Eccleſiæ neceſſitate ingruente Diaconum conſtituimus, quod non iterationem exiſtimari cenſemus; ſed tantùm integram Diaconii dationem; quoniam qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

Nego min. & ad ſingula in ejus confirmationem adducta reſpondeo.

Ad primum. Canones, qui circumferuntur ſub nomine Apoſtolorum, non ſunt illorum opus, cùm contraria eorum doctrinæ contineant, & ſæculo ſanctorum Cypriani & Firmiliani fuerint omninò incogniti, aliàs in defenſionem ſuæ ſententiæ haud dubiè illos protuliſſent. Sunt ergo collectiones diverſorum Conciliorum particularium. Canones autem in objectione citati, excerpti ſunt ex Synodis Iconienſi, & Synadenſi, quæ ſine ambiguitate cedere debent Concilio plenario totius orbis, ut loquitur S. Aug. lib. 2. de Baptiſmo c. 3.

Ad ſecundum. Conſuetudo admittendi Baptiſmata, ab Hæreticis collata, quam Sanctus Auguſtinus loco citato agnoſcit ab Apoſtolis deſcendere, non viguit in ſola Italia, ſed & in Africa, & Oriente, teſtibus S. Cypriano & Firmiliano; nec negavit S. Cyprianus ſummum Pontificem Stephanum pro antiqua conſuetudine pugnaſſe; ſed eam appellabat veterem errorem.

Falſiſſimum eſt autem S. Stephanum approbaſſe omnium Hæreticorum Baptiſmata, quovis ritu celebrata; conſtat enim ex S. Firmiliani ep.

quæ

quæ est 75. inter Cypriani ep. S. Stephanum de solis Hæreticis baptizantibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, fuisse locutum, *illud quoque absurdum*, inquit Firmilianus, *quòd non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti . . . at quis est . . . . . . qui hoc aut defendat, aut credat, quòd invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum?* Similia scribit S. Cyprianus ep. 74. ad Pompejum, his verbis: *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptismo, item Valentini, & Appellis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Dei nasci, & illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum?* Ubi supponit S. Cyprianus, ideo S. Stephanum ratum habuisse Baptismum Marcionis, Valentini, & Appellis; quia in nomine Christi, & sub invocatione sanctissimæ Trinitatis illum conferebant. Hæc sanè testimonia præferenda sunt auctoritati Benedicti XII. qui adhuc Cardinalis, 14. sæculo scripsit Stephanum & Cyprianum in oppositos errores incidisse. Quasi verò universa Ecclesia, quæ tota in duabus illis partibus continebatur, erraverit. Frustra objiciunt Blondellus Calvinista: & nonnulli Theologi orthodoxi, Stephanum non distinxisse inter hæreticos, quorum multi formam Baptismi non servabant, sed omnium Baptisma recipiendum sanxisse. Etiam Cypr. & Firmilianus verba summi Pontificis non intellexerunt, nisi de Hæreticis, qui baptizabant in nomine Christi, & sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis, ut pa-
 tet

tet ex cit. illorum epist. Ex ipsis terminis quibus Stephanus in suo Decreto usus est, *nihil innovetur, nisi quod traditum est,* patet, quæ fuerit ejus mens, nempe ipsi ratum non fuisse aliud Baptisma, quàm quod Traditio probaverat, quæ sanè non aliud quàm verbis Evangelicis præscriptaque à Christo formula collatum probavit.

At, inquies, Stephanus decrevit admitti debere Baptisma, ubicunque collatum fuisset, *Si quis*, inquit, *à quacunque hæresi venerit ad nos*, &c. Ergo apud ipsum valuit Baptismus etiam cum forma corrupta collatus.

R. Has voces, *Si quis à quacunque hæresi*, &c. his aliis, quas subjecit S. Pontifex, *nihil innovetur*, *nisi quod traditum est*, restringi ad Baptisma, quod Traditio probaverat, uti modò dicebamus.

Controvertitur autem, an S. Stephanus de facto excommunicaverit S. Cyprianum & Firmilianum, vel intra minas se continuerit?

Firmilianus quidem videtur colligere latam à Stephano fuisse excommunicationis sententiam, ex eo quòd Cypriani nuntios non solùm ad colloquium non admiserit, sed etiam caverit, ne Romæ hospitio reciperentur. Quamobrem durioribus hisce verbis cit. epist. Stephanum alloquitur. *Lites & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? peccatum verò quàm magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti? exscidisti enim te ipsum, noli te fallere; siquidem ille verè est Schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit, dum enim putas omnes à te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti.*

Sed contrarium visum est Sancto Augustino, qui sic scribit lib. 5. de Baptismo cap. 25. *Stephanus*

phanus etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur: ille (Cyprianus) *autem quidem ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſimè præditus in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotiùs, ſed tamen fraternè indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione, nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.* Ex quibus verbis patet, Stephanum non actu & de facto communionem ſcidiſſe, ſed ſcindendam putaſſe, nullumque inter ipſum & Cyprianum ortum eſſe ſchiſmatis malum, quod ſanè apertum & perniciosum extitiſſet, ſi excommunicationis gladio diviſi, in oppoſito dogmate obfirmati permanſiſſent. Igitur Stephanus non ideò negavit colloquium & hoſpitium Cypriani Legatis, quia pro excommunicatis eos habebat; ſed quia nolebat adduci in controverſiam dogma fidei jam à ſe definitum, cavebatque vigilantiſſimus Paſtor, ne diutiùs Romæ commorantes, gregem ſibi commiſſum errore ſuo inficerent: Dura ac acerbiori agendi ratione opus eſſe cenſuit, ut Orientales & Africanos ad praxim traditione Apoſtolica innixam revocaret. Nec fingere licet Cyprianum & Firmilianum ante mortem errorem deſeruiſſe; duo enim obſtant. Primum Donatiſtæ quarto ſæculo, Cypriani auctoritate ſchiſma ſuum excuſabant, ipſumque habere Magiſtrum & Patronum gloriabantur: Ergo S. Cyprianus ſententiam ſuam non mutaverat; aliàs, ipſo Judice, Donatiſtæ damnandi fuiſſent. Secundum, S. Baſilius, qui poſt centum annos & ampliùs à morte Firmiliani ad regimen Eccleſiæ Cæſarienſis aſſumptus eſt, rebaptizandi morem à prædeceſſore in Ec-

clesia sua invectum ex parte amplexus est, ut mox dicetur; ex quo necessariò colligitur, S. Martyrem non correxisse pristinam sententiam.

At, inquies, qui fieri potuit tantos viros, quos Ecclesia colit ut Sanctos spretis monitionibus Summi Pontificis, in errore suo usque ad mortem perseverasse?

R. Quidam è recentioribus respondent, beatos illos Martyres cum suis collegis Episcopis existimasse controversiam pertinere ad disciplinam, quæ si universalis Ecclesiæ lege firmata non fuerit, ita liberum est cuilibet Episcopo eam in sua Diœcesi vel retinere, vel immutare, ut propterea novitate accusari non possit. Sicut ipse S. Cyprianus non duxit cogendos suos Suffraganeos adhærere suæ sententiæ; ita non existimavit in hac parte morem gerendum Pontifici Romano, quamvis Primatum ejus non inficiaretur.

Verùm S. Doctor non ignoravit quæstionem de veritate Baptismi prorsus spectare jus divinum, non verò disciplinam Ecclesiasticam; totus enim est in colligendis Scripturæ textibus ad elucidandam motam difficultatem, probandumque ex institutione divina Baptismum ab Hæreticis collatum esse prorsus irritum. Cùm autem alii aliter hac de re sentirent, nec veritas satis esset eliquata, ut loquitur S. Aug. usus est ea libertate, quam aliis Episcopis permisit vir pacis & unitatis amantissimus, ut singuli observarent quod verius ipsis videretur; constat enim ex Epistolis tum Cypriani, tum Firmiliani, plures Episcopos sive in Africa, sive in Oriente, admisisse Baptismum ab Hæreticis collatum.

Ad

Ad auctoritatem Agrippini & Tertulliani ejus Presbyteri,

R. Cùm non præcesserint Sanctum Cyprianum, nisi quadraginta annis, sintque antiquissimi, quos S. Doctor appellet pro sua sententia, inde arguitur ejus novitas, & confirmatur antiquitas Traditionis, pro qua S. Stephanus fortiter pugnabat.

Ad tertium, quidam ducti auctoritate S. Hieronymi lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, putant S. Dionysium consensisse S. Cypriani dogmati. Verùm duo contrarium suadent. Primum, quia nunquam Cyprianus & Firmilianus gloriati sunt Patrono tam celebri, non solùm ob eminentiorem sedem, sed etiam ob egregias virtutes & singularem doctrinam. Imò S. Basilius Epistola canonica ad Amphilochium c. 1. testatur S. Dionysium admisisse Baptismum quorundam Hæreticorum, qui Pepuzeni seu Montanistæ dicebantur. Secundum, quia Sanctus Dionysius mediatorem egit pro Sanctis Cypriano & Firmiliano apud Sanctum Stephanum, ut ipse testatur Epistola ad Sixtum ejus successorem, cujus Epistolæ fragmentum refert Eusebius lib. 7. cap. 5. Historiæ. Qualis autem mediator, si ipsemet in eodem quo Orientales laborabant, errore versatus fuisset? Hortatur quidem Summum Pontificem, ut mitiùs agat, neque unitatem gladio excommunicationis scindat, cùm periculosum sit in odium, & in invidiam conjicere tot Episcopos ab ipso dissentientes, ut loquitur in epistola ad Philemonem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum citato libro Eusebii. Ad summum ergo Dionysius censuit excusandos, donec quæstio maturiùs examinaretur;

retur; & ita visus est S. Hieronymo propendere in sententiam S. Cypriani, circa quam tamen hærebat, cùm Sixtum consuluerit quid facto esset opus, circa quendam ab Hæreticis jamdudum baptizatum.

Quæ autem fuerit mens Sancti Athanasii ambigitur. Etenim oratione tertia contra Arianos, dicit vanum planè & inutile Arianorum Baptisma; *sicuti*, inquit, *creatura diversum quiddam est à filio, ita diversum quiddam à vero Baptismate est quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris & Filii simulent se nominare.* Et infra, comparat Baptisma Arianorum cum Baptismate Paulianistarum, quod prorsus irritum erat, cùm illi Hæretici in forma peccarent. Attamen idem Sanctus Doctor in citata Synodo Alexandrina, quam celebravit anno 362. decrevit cum cæteris Episcopis, redeuntes ad unitatem Ecclesiæ Episcopos, Presbyteros, & Diaconos recipiendos cum honoribus, imprimis qui in veteri Ecclesiæ communione fuerant, ut habetur in Epistola Synodica; quibus posterioribus verbis refelluntur qui volunt in Concilio agi tantùm de iis, qui jam ordinati in Ecclesia ad hæresim defecerant; illi quidem inprimis recipiuntur cum honoribus, sed non illi soli, ut referunt Socrates lib. 2. hist. cap. 1. & Sozomenus lib. 4. cap. 28. Huic autem sententiæ consensit totus Occidens, ex Hieronymi Dialogo contra Luciferianos.

Videtur ergo S. Athanasius existimasse, quæstionem illam pertinere ad disciplinam, hoc est Christum Ecclesiæ potestatem reliquisse apponendi conditiones in Ministro Sacramentorum mutandas pro vario rerum statu.

Quòd

Quòd autem S. Basilius fuerit in illa sententia, colligitur ex cit. c. I. Epistolæ canonicæ ad Amphilochium, ubi clariùs loquitur, quàm ut verba ejus ad sensum S. Stephani detorqueri possint, sicut conantur nonnulli recentiores; *quoniam*, inquit, *nonnullis Asiaticis omninò visum est propter multorum œconomiam & dispensationem eorum* (Catharorum seu Novatianorum) *Baptisma suscipi, suscipiatur.* Subdit de Baptismo Encratitarum, dicitque rejiciendum, quia de illo nihil statutum: si tamen hæc praxis obesset tranquillitati & paci Ecclesiæ, concedit talem recipi Baptismum.

Quod spectat S. Cyrillum Jerosolymitanum, fatemur illum fuisse in sententia rebaptizantium: *unus Dominus*, inquit in Præfatione ad Catecheses, *una fides & unum Baptisma, nam soli Hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non erat Baptisma.*

Ex his patet, quæstionem de Baptismo Hæreticorum non fuisse ubique elucidatam & terminatam, nisi sub finem sæculi quarti, ac proinde controversiam illam turbasse Ecclesiam per ducentos ferè annos; ratio autem cur tamdiu fuerit agitata, ea est, quòd Concilium Arelatense I. celebratum in Galliis anno 317. ad notitiam Orientalium non venerat. Concilium verò Nicænum definierat tantùm can. 8. pœnitentes Novatianos cum honoribus suis esse recipiendos. Can. verò 2. rejiciendum Baptisma Paulianistarum; quia formam à Christo præscriptam non servabant. Inde sequitur quidem Baptismum aliorum Hæreticorum, qui non peccabant in forma, esse recipiendum; sed Cyrillus Jerosolymitanus, Basilius, & alii, id non colligebant.

Obji-

Objicies 2. Multò post quartum sæculum rebaptizandi dicuntur iidem Hæretici, quorum Baptisma quarto sæculo admittebatur, nam S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos negat Cerinthianos, Ebionitas, & Manichæos fuisse rebaptizatos. Gennadius verò quinto sæculo scribit lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 22. aliàs 52. Montanistas, Manichæos, & alios hujusmodi iterùm baptizari. Imò Concilium Constantinopolitanum anno 688. admittit omnes canones Apostolorum, & Synodos à S. Cypriano celebratas, in quibus reprobatur Baptisma Hæreticorum.

R. 1. Diversitas illa tribuenda non est versatili Ecclesiæ disciplinæ, sed inconstantiæ Hæreticorum, præsertim eorum, qui de Trinitate malè sentiebant; hi enim pro variis locis & temporibus ritum Baptismi mutabant, & in eo errorem suum identidem exprimebant; & hoc supponit Gennadius loco citato: *Illos*, inquit, *qui non Sanctæ Trinitatis invocatione apud Hæreticos baptizati sunt, baptizari debere pronuntiamus*, *ut sunt Montanistæ, & Manichæi*, &c. Ergo Manichæi tempore Gennadii formam Baptismi non servabant, cùm eam servarent tempore sancti Hieronymi.

R. 2. Concilium illud Constantinopolitanum vocatur à Vener. Beda, libro de sex ætatibus, Synodus Erratica, fuitque conventus quorundam Episcoporum Orientalium in Trullo hoc est in Palatio Imperiali habitus, qui indiscriminatim antiquos canones, etiam eos, qui hæreses continebant, collegerunt, hanc autem collectionem, ex Anastasio Bibliothecario in Præfatione Versionis Concilii VIII. Generalis ad Joannem VIII.

Sum-

Summum Pontificem, nec Ecclesia Rom. nec Patriarchales Ecclesiæ admiserunt.

Ad quartum, Ordinationes Hæreticorum, Schismaticorum, Simoniacorum, & Intrusorum, dicuntur irritæ, quoad jus officii & ministerii exercendi, Concedo: quoad characterem, Nego: Atque ut distinctio minùs violenta, sed omninò ad sensum Conciliorum, & sanctorum Patrum appareat, attendendus est hodiernus loquendi modus in hypothesi, quòd quis per simoniam, aut per vim potiatur Sede Pastorali, ordineturque ab Episcopo extraneo, mercede conducto, aut fortè apostata; nonne communis Catholicorum vox est, quòd talis sacrilegus non sit Sacerdos, non sit Episcopus, nec Pastor; quòd vana, irrita, & sine effectu sit ejus ordinatio; quia cùm nihil haberet, qui ordinavit, nihil etiam dare potuit? Quid ita? Quia nullum prorsus jus habet obeundi munia Sacerdotalia, aut Pastoralia, non agnoscitur ut Sacerdos, neque ut Pastor; & si quid ex Ordinatione sua præsumat, reprobatur ut illicitum, aliquando etiam ut irritum & nullum, nempe si sit actus jurisdictionis. Porrò non alia mente locutos fuisse Patres in objectione laudatos, affirmare cogunt momenta allata pro Ordinibus non iterandis.

Instabis 1. Urbanus II. in epistola citata, testatur, se sequi sententiam Damasi Summi Pontificis, qui reprobavit Ordinationes celebratas à Chorepiscopis, qui Episcopi non erant, sed quidam Decani rurales: atqui ordinati à non Episcopis, neque characterem, neque officium acceperunt; ergo laudatus summus Pontifex censuit Daibertum nequidem accepisse characterem Ordi-

Ordinis, ac proinde ipſum Sacramentum eidem conferendum.

Reſp. 1. Difficilem reverà eſſe Urbani II. Epiſtolam, nonnulloſque Theologos ſpuriam ſuſpicari; aliàs Urbanus II. non ſolùm cum Leone IX. Clemente II. & Nicolao II. ſed etiam ſecum pugnaret, utpotè qui in Synodis Romana & Placentina ſtatuerit admittendas Ordinationes ab Epiſcopis Simoniacis celebratas, quando ſine ſimoniæ conſcientia fuerant ſuſceptæ.

Reſp. 2. Diſtinguendo maj. Teſtatur ſe ſequi ſententiam Damaſi quoad aliquid, Conc. quoad omnia, quaſi neque characterem, neque jus miniſterii agnoverit ſicut Damaſus, Nego maj. Itaque Urbani verba intelligi debent pro ſubjecta materia, de qua illius ſæculo controvertebatur. Porrò quæſtio non erat, an Epiſcopus, qui pro pecuniæ pretio Ordines conferebat, characteris Ordinem retineret, nullus enim id negare auſus eſt; ſed utrùm ſic ordinati in officio Sacerdotali eſſent tolerandi? poſterius negat Summus Pontifex, non prius, aliàs nec ordinatos ſine ſimoniæ conſcientia ſuſcepiſſet, ſicut reverà ſuſcepit in Romana & Placentina Synodis Ergo cùm Nezelo, licèt Epiſcopus ſimoniacus, characterem haberet, potuit illum Daiberto conferre, quamvis omni jure Epiſcopali & Sacerdotali ob ſimoniam privatus, nullum jus Daiberto conferre potuerit. Cæterùm hìc non tam univerſalis Eccleſiæ cauſam, quàm ipſius Urbani II. agimus; detur enim quòd ipſe in hac parte erraverit, ut nonnulli contendunt, quid poſſet ejus auctoritas contra auctoritatem tot Summorum Pontificum & Conciliorum, etiam univerſalium, à quibus Sum-

Summum Pontificem defecisse credendum non est, dum argumenta suppetunt, quibus excusetur?

Instabis 2. allati in objectione textus ita distinguunt inter Baptisma & Ordinationem, ut redeuntes ex hæresi sine iterato Baptismo, manus impositionem cum unctione apud Orientales, & sine unctione apud Occidentales accipiant. Ordinati verò, si benigniùs cum ipsis agatur, sacratiorem ordinationem percipiant, & sic ministrent: ergo secundùm antiquam & constantem Ecclesiæ Traditionem, retenta veritate Baptismi apud Hæreticos collati, Confirmatio & Ordinatio iterabantur.

Nego consequentiam.

1. Namque triplex est manus impositio, alia reconciliatoria, alia confirmatoria, alia ordinatoria. Porro pœnitentes, sive in hæresim, sive in aliud grave peccatum lapsi fuissent, substernebantur manuum impositioni, quæ dicebatur reconciliatoria. Unctionem, sive chrismationem baptizatis in hæresi addebant Orientales, ut per eam adumbrarent Spiritus Sancti gratiam, quæ nonnisi in Ecclesia Catholica confertur. Quòd autem neque illa manus impositio, neque unctio esset iteratio Sacramenti, sive Ordinis, sive Confirmationis, patet 1. ex allatis momentis in confirmationem sententiæ Catholicæ. 2. Ex eo quòd æqualiter subjicerentur manuum impositioni ex hæresi revertentes, sive fuissent in Ecclesia Catholica ordinati, sive ab Hæreticis promoti. 3. Quia Episcopi & Presbyteri qui fuerant à Photio schismatico ordinati, atque ideo à Concilio VIII. generali rejecti, quasi nihil ab Ordinatore suo accepissent, postea à Joanne VIII. consentientibus

Græcis, absque nova Ordinatione admiſſi ſunt. Quòd autem unctio non pertineret ad Sacramentum Confirmationis, ſed ad meram Eccleſiaſticam cæremoniam, probatur 1. quia non adhibebatur ab Occidentalibus, ſed à ſolis Orientalibus. 2. Quia cùm Legati Nicolai I. nono ſæculo iterum in Bulgaria confirmarent quos reperiebant confirmatos à Presbyteris Græcis, hac ducti opinione, quòd Presbyteri nequidem extraordinariè hoc Sacramentum conficere valeant, Photius vehementer exarſit, Epiſtolamque encyclicam ad Orientales Epiſcopos ſcripſit, ut Latinos in odium traheret, quòd Confirmationis Sacramentum contra morem antiquorum Patrum, & univerſalis Eccleſiæ, iterarent; ex quo patet uſque ad nonum ſæculum conſtantem fuiſſe Traditionem, etiam apud Orientales, Sacramentum Confirmationis, quamvis apud Schiſmaticos collatum, non poſſe iterari, ac proinde eos Confirmationem non iteraſſe, dum ab hæreſi revertentes ungebant. Legati quoque, ut culpam diluerent, repoſuerunt ſe Confirmationem ab Epiſcopis, quamvis Schiſmaticis collatam, non iteraſſe, ſed à ſolis Presbyteris; neſcientes Græcorum morem, ſecundùm quem apud eos Presbyteri confirmant, quod Eccleſia Latina multò poſt in Concilio Florentino toleravit.

Negandum tamen non eſt, Novatianos pœnitentes cum Sacramento Confirmationis fuiſſe receptos; quia illi Hæretici, ut excuſarent auctorem ſuæ Sectæ, qui nondum confirmatus, & ut exprobrant ſancti Patres, Semi Chriſtianus, ab Epiſcopis ebriis Epiſcopus Romæ ordinatus eſt, Sacramentum Confirmationis tanquam inutile negligebant.

2. Ec-

2. Ecclesia semper observavit, sicut etiam nunc observat, discrimen Baptisma inter & Ordinationem; eo enim ipso, quo suscipitur redux ab hæresi, necessariò admittitur ejus Baptisma cum omnibus ejus juribus, quæ in eo consistunt, ut liceat ipsi cum omnibus aliis Fidelibus communicare, officiis divinis, & præsertim Missæ sacrificio interesse, & Sacramenta percipere. Contra verò, si in hæresi, aut per simoniam fuerit ordinatus, non suscipitur ejus Ordinatio, non admittitur ad sacrum ministerium, non gaudet Clericorum privilegiis, habeturque tanquam lacius.

Confirmatur I. ex Innocentio I. Summo Pontifice, qui epist. 23 Baptismum & Ordinationem iterari prohibet; & tamen vult revertentes ab hæresi, sive laicos, sive Clericos suscipi per manus impositionem. 2. Ex Petro Damiani auctore undecimi sæculi, qui in opusculo sexto *Gratissimus* nuncupato, contendit ex Decreto Concilii Nicæni I. Hæreticos non ordinari, sed manuum impositioni subjici. Huic impositioni manuum docet S. Fulbertus Episcopus Carnotensis epistola 25. suo sæculo, hoc est, undecimo adjici solitam fuisse quandam benedictionis formulam cum instrumentorum & vestimentorum Sacerdotalium porrectione, quæ cæremonia dicebatur sacratior Ordinatio.

Contendendum tamen non videtur circa ordinationes nunquam peccatum fuisse, præsertim sæculo X. admodum infelici, quo Sedes Apostolica aliquando tyrannicè occupata est à flagitiosis hominibus, quales Baronius pingit Stephanum VII. & Sergium III. qui nonnulla contra ca-

nones & Ecclesiæ regulas attentarunt. Quin, & Petrus Damiani in opusculo citato, cui titulus est, *Gratissimus*, scribit Leonem IX. sanctissimum Pontificem, undecimo mediante sæculo, dum ferveret adhuc controversia circa Ordinationes, quosdam iterum ordinasse, fortè ad cautelam, & majoris securitatis gratia. Satis nobis est, quòd ex Traditione constet Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis ab Hæreticis & Simoniacis collata esse valida, nec iteranda.

Solvuntur Objectiones ex Scripturis petitæ.

Jam observavimus quæstionem, in qua versamur, non ex Scripturis, sed ex Traditione posse resolvi. Nihilominus S. Cyprianus, & alii rebaptizantes, quibus Ecclesiæ consuetudo vetus error videbatur, plures Scripturæ textus à proposito prorsus alienos congerebant, quos expendere necesse est. Itaque

Objicies 1. illud Psalmi 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum:* Ergo, rejiciendum est oleum Confirmationis, cùm à peccatore ministratur.

Nego conseq. Eo enim loci non agitur de Sacramentis, sed de adulationibus peccatorum, quibus justus se deliniri non patitur. Solutio patet ex ipso contextu; sic enim legitur: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Objicies, 2. Eccl. 34. vers. 4. habetur: *Ab immundo quid mundabitur?* Et vers. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Atqui peccator est immundus, &

vel-

veluti fœtidum cadaver, cùm privetur vita ſpiritali: ergo inquinat quemcunque tetigerit, nedum mundet.

R. 1. Textus illos non eſſe ad propoſitum: in priori quippe agitur de ſomniis, quæ cùm ſint mendacia, verum docere non poſſunt, quemadmodum immundus res alias mundare nequit. In poſteriori verò ſermo eſt de eo, qui ſe purificat à legali immunditia contracta ex attactu cadaveris (Levit. cap. 11.) moxque iterum ſe polluit tangendo mortuum, & ita nihil proficit illi prior lavatio: quod accommodari poteſt iis, qui ſunt inſtabiles in bono, nec perſeverant.

R. 2. Diſtinguendo maj. cum S. Auguſtino, Ab immundo & mortuo quis mundabitur tanquam à cauſa principali, ut ſi nomine dæmonis aut idoli Baptiſmus conferatur, Conc. Ab immundo & mortuo, tanquam à cauſa inſtrumentali, ſubdiſtinguo: quis mundabitur, ſi adhæreat hæreſi & impietati cauſæ inſtrumentalis, & miniſterialis, Conc. Si non adhæreat, ut ſi in caſu neceſſitatis baptizetur ab hæretico; cujus hæreſim deteſtatur, Nego maj. Porrò ſive Petrus, ſive Judas baptizet in nomine Chriſti, ubique Chriſtus per Miniſtrum baptizat, & virtute ſua baptizatum ſanctificat.

Objicies 3. Chriſtus, Matth. 7. ait: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere;* Atqui peccator eſt arbor mala, Sacramentum verò fructus bonus: ergo peccator Sacramentum conficere non poteſt.

Confirmatur: Nemo dat quod non habet, atqui peccator nec gratiam, nec Spiritum Sanctum habet: ergo pretioſa illa dona conferre nequit.

Diſtinguo majorem: Non poteſt bonos fructus facere virtute propria, & tanquam cauſa princeps, Concedo: Virtute aliena, & tanquam cauſa inſtrumentalis, Nego majorem; namque Deus prædicatione peſſimi Miniſtri nonnunquam peccatores corrigit, infirmos confirmat, & fortiores perficit: *Nonne*, inquiunt Miniſtri infideles, Matth. 7. *in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus?* Uvæ quidem non colliguntur ex ſpinis, ſed ex vite, interdum tamen colliguntur in ſpinis, quæ vitem ſuſtentant.

Ad confirmationem ſimiliter reſpondeo diſtinguendo majorem, nemo tanquam fons & cauſa princeps dat quod non habet, Conc. Tanquam cauſa inſtrumentalis, Nego maj. Nonne ferramenta in manu Medici, dant ſanitatem, quam non habent? *Tranſit aqua ad areolas, ut canali lapideo nihil generet, ſed tamen hortis fructum plurimum affert*, inquit ſanctus Auguſtinus tract. 5. in Joan.

Inſtabis; inſtrumentum non agit, niſi ſit conjunctum cauſæ principi: atqui hæretici, & peccatores non ſunt Chriſto conjuncti, ſed ab ipſo ſeparati: Ergo.

Diſtinguo major. Niſi ſit conjunctum conjunctione minùs perfecta, quæ fit in Miniſtris Sacramentorum per gratiam gratis datam, Conced. Niſi ſit conjunctum conjunctione omnimoda & perfecta, quam gratia ſanctificans efficit, Nego maj. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia. Namque Caiphas, licèt impius, motione Spiritus Sancti prophetavit.

Objicies 4. *Peccatores Deus non audit*, Joan. 9. ergo fruſtra Miniſter Baptiſmi, aut cujusvis Sacramenti illum invocat.

Reſpon-

Respondet S. Augustinus lib. 2. contra Parmenian. hæc verba non esse Christi, sed cæci, cujus oculi cordis nondum patebant, ut intelligeret Deum audivisse orationem Davidis, Manassis, Publicani, & aliorum pœnitentium.

Distingui etiam potest, & quidem ad mentem illius cæci, Deus peccatores non audit, ad patranda miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, Concedo. Non audit ad remissionem peccatorum, ad confirmandam veritatem, & ad Sacramenta perficienda, Nego: Cæcus itaque validissimo argumento urgebat Pharisæos blasphemantes Christum Dominum esse peccatorem; nimirum, inquiebat ille, si violaret sabbathum, & adversus Deum loqueretur, Dei nomine & invocatione miraculum tam evidens non edidisset.

Objic. 5. De Sacramento Extremæ Unctionis habetur Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum*, atqui in hæreticis non potest esse oratio fidei, ut qui fide careant: ergo oratio, quam fundunt infirmum ungentes, non potest illum salvare.

Distinguo majorem: Oratio fidei objectivè sumptæ, Concedo: Formaliter sumptæ, Nego majorem: Fides formaliter sumpta est ipsemet actus, quo quis formaliter credit; ejusmodi autem actus non est in hæreticis. Fides verò objectivè sumpta, est objectum credendum, quo sensu dicitur verbum fidei, mysterium fidei, quia hæc sunt fide apprehendenda. Porro hæretici possunt & proferre orationem fidei, & prædicare verbum fidei, & explicare mysteria fidei, in quibus non errant.

CAPUT XV.

Utrùm peccatores Sacramenta licitè conficiant ?

Constat ex capite præcedenti hæreticos, & peccatores Sacramenta validè conficere.

Quæritur autem an etiam licitè ?

R. Una est Theologorum sententia, Ministros Ecclesiæ graviter peccare, si in statu peccati mortalis Sacramenta conficere præsumant.

Probatur 1. ex Scriptura, Levitici 21. v. 6. *Sancti erunt* (Sacerdotes) *Deo suo, & non polluent nomen ejus ; incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.* Et cap. 22. v. 2. & 3. *Caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi .... Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt ... in quo est immunditia, peribit coram Domino, ego ...... Dominus.* Gravis autem illa pœna necessariò supponit grave peccatum, alioquin injusta videretur.

Nec dicas leges illas spectare duntáxat veteris legis Sacerdotes, & cæremonias legales. Namque textus laudati luculenter probant Deum munditiam in suis Ministris ita severè exigere, ut iis extrema minitetur, qui cum aliqua macula accesserint. Cùm autem nostra mysteria longè sacratiora, & augustiora sint legalibus : *Quantò magis putatis*, inquit Apostolus Hebræorum cap. 10. *deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit ?* Hinc idem Apostolus Timotheum & Titum monet curandum impri-

imprimis, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi miniſtrent in conſcientia pura: *Oportet* .... *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, 1. Tim. 3. v. 2. *Oportet* ..... *Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem*, Tit. 1. v. 7. Et de Diaconis, 1. Tim. 3. v. 10. *Probentur primùm & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Probatur 2. Traditione.

S. Auguſtinus tract. 5. in Joan. ſic ſcribit: *Ego dico, & omnes dicimus* (nota hanc fuiſſe omnium ſententiam) *quia juſtos eſſe oportet.* Et lib. 2. contra Parmenian. cap. 10. *Omnia Sacramenta, cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus.*

S. Gregorius lib. 1 Epiſt. 24. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat, ſcriptum namque eſt: Mundamini, qui fertis vaſa Domini.*

Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 7. *Non poteſt aliquis*, inquit, *quantumcunque pollutus ſit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria remedia cunctarum contagionum exiſtunt; nec poteſt Solis radius per cloacas, & latrinas tranſiens, aliquid contaminationis exinde attrahere .... mali bona miniſtrando ſe tantùm lædunt, & certè cerea fax accenſa, ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis verò in tenebris lumen adminiſtrat, & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.* S. Bernardus lib. de converſione ad Clericos cap. 17. ait: *Væ Miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia apprehendunt.*

Gregorius IX. tit. *de temporibus ordinat.* cap. *Quæſitum*, ſic de peccatoribus decernit, *Monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi,*

 ut

ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis ſuis Ordinibus non miniſtrent. Et tit. *de cohabitatione Clericorum*, cap. *Quæſitum*, de peccatoribus occultis ſic habet: *Verùm etſi quemlibet pro mortali peccato quoad ſeipſum conſtet eſſe ſuſpenſum, non debet tamen in officiis vitari.*

Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, ita præſcribit: *Sacerdos, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, (quod abſit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere.*

S. Carolus Borromæus in Inſtitutionibus: *Parochus*, inquit, *omniſque Sacerdos, cujus eſt Sacramenta adminiſtrare, meminiſſe debet ſancta ſe tractare, omnique ferè temporis momento paratum eſſe oportere ad tam ſanctæ adminiſtrationis munus. Quamobrem is, cùm alios per Sacramenta purget, atque illuminet, hoc maximè ſtudebit, ut ipſe vitam purè, caſtè ac religiosè agat, mentemque item & animum ab omni peccati labe purum, adjutrice Dei gratia, conſervet diligenter. Nam etſi Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittant; tamen impurè ea miniſtrantibus æternam mortem afferunt.*

S. Thomas, cui adſtipulatur omnis Theologorum turba; 3. part. quæſt. 64. art. 6. hæc habet: *Non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei & Eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum quantùm eſt ex parte ipſius peccatoris, (licèt Sacramenta ſecundùm ſe incontaminabilia ſint) conſequens eſt, quòd tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.*

Mirare ergo temeritatem cujusdam in celebri Academia Profeſſoris, qui ante aliquot annos diſcipulis ſuis tradidit (ut teſtantur ejus ſcripta quæ

quæ in manus noſtras devenerunt) incertum eſſe, & dubium, num Miniſter Sacramentum conficiens in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter.

Dices: Sanctа ſanctè tractantur, ſi reverenter, & cum intimo Religionis ſenſu; qui etſi maculam peccati mortalis non expungat, voluntatem tamen peccandi excludit; quis enim dixerit, v. g. Canonicum peccati mortalis conſcium peccare mortaliter; quod in Choro Officium Divinum cum aliis attentè & devotè perſolvat? Ergo nulla ratio evincit Miniſtrum ex eo præcisè peccare mortaliter, quòd Sacramentum conficiat in ſtatu peccati mortalis.

Diſtinguo anteced. Sancta ſanctè tractantur, aliqua, Conc. Omnia, etiam ſacratiora ad quæ Miniſter eſt conſecratus, & ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, qualia ſunt Sacramenta, Nego antecedens.

Diſtinguo etiam conſequ. Ergo nulla ratio evincit ſecluſa traditione, & Eccleſiæ auctoritate, tranſeat: nulla ratio conjunctim cum traditione, & Eccleſiæ auctoritate, Nego conſequ. Itaque quamvis rationi ſit admodum conſentaneum, ut auguſtiora Religionis noſtræ myſteria tractentur cum conſcientia ab omni peccati mortalis labe pura, quæſtio tamen eſt, utrùm hac de re exiſtat præceptum naturale ſub mortali obligans, quam ingredi ſuperfluum eſt, cùm conſtet hanc eſſe univerſalis Eccleſiæ traditionem ab Apoſtolis uſque ad nos tranſmiſſam, & ubique ſervatam, adversùs quam diſputare inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, ut loquitur S. Auguſtinus.

Q. *Un-*

Q. *Unde repetitur gravitas culpæ Ministri, qui peccati mortalis conscius Sacramentum conficit?*

R. Alii eam repetunt ex dignitate Sacramentorum novæ Legis, & excellentia gratiæ sanctificantis, quam ex opere operato producunt; quia horrendum est nimis, inquiunt, tam pretiosum gratiæ donum fluere per canalem infectum, & quavis cloaca sordidiorem.

Hinc concludunt illi Theologi, ejusmodi Ministrum sine novo peccato mortali sacramentalia, putà, consecrationes Ecclesiæ, benedictiones chrismatis, aquæ, &c. conficere, Evangelium & Epistolam solemniter decantare, verbum Dei prædicare; quia per ejusmodi gratia sanctificans non confertur, saltem ex opere operato. Quin ex iis Theologis addunt nonnulli eundem Ministrum graviter non peccare, si Eucharistiam jam confectam ministret, cùm Sacramentum non conficiat, nec gratiam sanctificantem proferat, nisi remotè & eo modo, quo laicus, qui Eucharistiam alteri porrigeret: contra verò non excusandum à peccato mortali, etiamsi in necessitate sine solemnitate baptizet, nisi fortè ob ignorantiam, quæ laicum in hoc casu excusare potest.

Verùm, etsi ratio ista peccatum mali Ministri valdè exaggeret, adæquata tamen non est: tum quia citato cap. *Quæsitum*, non solùm Sacerdotes conscii peccati mortalis, sed etiam inferiores Clerici sub interminatione divini judicii arceantur à suis ministeriis: atqui ministeria inferiorum Clericorum non producunt gratiam ex opere operato: Ergo. Tum quia sacrificia & Sacramenta veteris legis, quæ erant signa egena & vacua munditiam in Sacerdotibus prærequirebant, etiam sub pœna capitis.

Quare

Quare ad propositam quæstionem

R. Cum S. Thoma hìc qu. 64. art. 6. & aliis communiter Theologis. Ratio adæquata, cur malus Minister Sacramenta administrans peccet mortaliter, repetitur tum ex sanctitate Sacramentorum novæ Legis, tum ex ejus consecratione & speciali deputatione ad sacra ministeria. Namque 1. in ejusmodi ministerio se habet, ut divinum, & vivum instrumentum, quo Christus utitur ad aliorum sanctificationem: ergo tenetur se conformare principali agenti, ut sit sanctus, sicut ille sanctus est: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2. Corinth. 6. 20. ex hominibus assumptus est, ut debitum Deo cultum nomine totius Ecclesiæ exhibeat, legatum apud eum agat, iræ ipsius veluti murum sese opponat, supplicationes fidelium offerat, & postulata illis impetret. Quanta autem indignatio, quòd servus peccati, mancipium diaboli, homo exosus Deo tam grave, tamque honorificum munus suscipiat, mediatorem se constituens prò sancta & gloriosa Christi sponsa?

Atque ex hac ratione deducitur,

Primò lethaliter peccare, qui conscii peccati mortalis, non solùm Sacramenta conficiunt, sed qui jam confecta ministrant, putà Eucharistiam; qui Evangelium, vel Epistolam solemniter in Ecclesia decantant; qui Sacramentalia exercent, quales sunt benedictiones aquæ, chrismatis, tonsura clericalis, &c. qui conciones habent ad plebem; qui præsunt officiis divinis, & vota fidelium ad Deum præferunt; quia in his omnibus agunt ut Ministri consecrati, & ad illa officia de

putati.

putati. Ita sanctus Thomas in 4. distinct. 24. qu. 1. art. 3. quæstiuncula 5. *Quicunque*, inquit, *cum peccato mortali aliquod sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin illud indignè faciat. Unde patet quòd mortaliter peccat.* Et in responsione ad quartum, *quandocunque exhibet se in aliquo actu, ut Ecclesiæ ministrum, mortaliter peccat.*

Suarez tamen disput. 16. sect. 3. ubi illa ministeria sacra sigillatim expendit, & alii Theologi non pauci negant ejusmodi consequentiam ex præmissa ratione necessariò sequi, contenduntque irreverentiam mali ministri in sacris ministeriis, excepta confectione Sacramenti, & Eucharistiæ administratione, esse ad summum venialem. Sed in hac opinioum contrarietate, sententia sancti Thomæ, & ejus scholæ videtur in praxi sequenda, cùm pro opposita nec ratio evidens, nec auctoritas sufficiens militet; nam ex dictis ubi de regula morum, in dubiis quæ salutem spectant, quod tutius est amplectendum, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. versic. 27.

Dixi: *Excepta confectione Sacramenti*, circa quam nulla est controversia, *& Eucharistiæ administratione;* Namque idem Suarez disput. 72. sect. 4. multis probat communem esse Theologorum sententiam peccare mortaliter Sacerdotem, qui illam administrat in statu peccati mortalis. Imò laudat nonnullos Theologos, ut Adrianum, qui docent malum Ministrum non sine novo peccato mortali, hoc Sacramentum tangere; quod ipse non audet negare, si sermo sit de Sacerdote, qui pro officio suo tangit illud Sacramentum, vel immediatè, ut ab uno in aliud vas mutet, vel mediatè,

defe-

deferendo illud in processione. Addit etiam cit. disput. 16. de Diacono & Subdiacono ministrantibus ad altare in statu peccati mortalis, sententiam esse probabilem nec contemnendam eos peccare mortaliter propter momenta supra allata, quamvis oppositam probabiliorem existimet, modò tamen, inquit, consuetudinem & animum non habeant sic ministrandi, alioquin facilè non essent excusandi à peccato mortali; *quia illa consuetudo, vel propositum videtur oriri ex quodam contemptu, vel formali, aut virtuali;* ita ille, ut quisque intelligat quàm periculosum sit sacris ministeriis defungi sine conscientia pura.

Quod spectat inferiores Clericos, Acolythos scilicet, & Clericali tonsura initiatos, communis est Theologorum sententia, & ferè certa (addit Suarez loco citato) ejusmodi Clericos non incurrere reatum peccati mortalis si conscii culpæ gravioris ministrent; quia juxta hodiernum Ecclesiæ usum quæ sunt Acolythorum, Lectorum, & Ostiariorum, exercentur à Clericis sola tonsura insignitis, sæpissimè etiam à Laicis in habitu Clericali; ac proinde qui in iis hodie ministrant, non censentur agere tanquam Ministri consecrati, & ab Ecclesia specialiter deputati. Meminerint tamen præsertim qui ad sacra illa ministeria sunt ordinati, gravissimorum verborum, quibus eos Pontifex, dum inaugurarentur, contestatus est: *Studete susceptum officium dignè implere.* Et infrà: *Tunc etenim in Dei sacrificio dignè vinum suggeretis & aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam, & opera bona oblati fueritis.* Quod omnes eo accuratiùs præstare debent, quòd sacratiora Ministeria exhibent, quàm ii, de quibus scriptum est Levit.

vit. 21. verf. 19. *Homo . . . . . . qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Et verf. 23. *Intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus, qui sanctifico eos.*

Secundo, ex eodem principio deducitur peccatorem, qui privatim & in casu necessitatis baptizat, non peccare mortaliter; quia in illo opere non se exhibet ut publicum Christi Ministrum, & ab Ecclesia specialiter deputatum: *In articulo necessitatis,* inquit sanctus Thomas cit. art. 6. ad tertium, *baptizando non peccaret in casu, in quo etiam laicus posset baptizare; sic enim patet quòd non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ; sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in illis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus.*

Ergo graviter peccaret Sacerdos, qui conscius peccati mortalis, in casu necessitatis conferret Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis; quia actus ille est semper proprius Ordinis Sacerdotalis nec potest competere laico.

CAPUT XVI.

Utrùm liceat Sacramenta petere & accipere ab improbis Ministris?

R. 1. Non licet, nisi adsit sufficiens petendi necessitas.

Probatur 1. auctoritate sancti Thomæ in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 5. ad 3. ubi sic habet: *Præter necessitatis articulum non esset tutum, quòd eum* (Pastorem) *induceret ad aliquod sui ordinis*

ordinis exequendum, durante tali conſcientia, quòd ille in peccato mortali eſſet, quam tamen deponere poſſet, quia homo in inſtanti à divina gratia emendatur.

Ergo in mente Sancti Doctoris duo concurrant neceſſe eſt, ut illicitum ſit ab improbo Miniſtro Sacramenta petere, aut recipere. Primum, nulla debet eſſe petendi, aut ſuſcipiendi neceſſitas. Secundum, conſtare debet Miniſtrum eſſe malè diſpoſitum, & cum prava diſpoſitione miniſtraturum, alioquin in dubio præſumendus eſt bonus; niſi enim moveant indicia moraliter certa, *charitas . . . non cogitat malum*, 1. Corinth. cap. 13. Certa autem indicia vix haberi poſſunt niſi Miniſter verſetur vel in diuturna conſuetudine, vel in proxima occaſione peccati, ſi v. g. Paſtor ſit ebrioſus, concubinarius, & manifeſtè ineptus ad munera paſtoralia, &c.

Probatur 2. ratione; quia illicitum eſt, & contra legem naturalem communicare peccatis alienis, & ſine cauſa ponere fratri noſtro ſcandalum, hoc eſt, præbere illi occaſionem ruinæ: *Ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*, ait Apoſtolus, Rom. 14. verſ. 13. atqui qui ſine neceſſitate petit Sacramentum à malo Miniſtro, inducit illum ad peccandum; qui verò ab illo Sacramentum ſuſcipit, communicat cum ipſo in re mala, ejuſmodi quippe adminiſtratio eſt ſacrilegium: Ergo.

R. 2. Licet Sacramenta petere, & ſuſcipere ab improbo Miniſtro, ſi adſit ſufficiens petendi, & ſuſcipiendi neceſſitas.

Probatur 1. auctoritate Nicolai Primi, qui ad conſulta Bulgarorum, utrùm à Sacerdote,

qui ſive comprehenſus eſt in adulterio, ſive de hoc ſola fama reſperſus eſt, deberent Communionem ſuſcipere; ſic reſpondet: *Ab eo, usquequò Epiſcoporum judicio reprobetur, Communio percipienda eſt; quoniam mali bona miniſtrando, ſe tantum lædunt.*

Probatur 2. ratione; Quia licet propter honeſtum finem, puta ad ſubveniendum propriæ, vel alterius neceſſitati, ſive corporali, ſive ſpirituali, expetere ab alio rem per ſe bonam, quamvis ille ex malitia nonniſi malè prævideatur conceſſurus, ut patet ex dictis Tom. 4. part. 3. cap. 14. de Uſura, & Tract. de Juſtitia & Religione, cap. 6. de juramento, ubi probavimus ex ſancto Thoma & S. Auguſtino, licitum eſſe in caſu neceſſitatis multum, vel juramentum petere ab eo, quem prævidemus, vel ſine uſuris non mutuaturum, vel per falſos deos juraturum; non enim tenemur cum gravi noſtro incommodo & detrimento, privari iis quæ nobis ſunt utilia, ne alius inde ſumat occaſionem peccandi ex ſua malitia: atqui Sacramenti adminiſtratio per ſe & ex objecto eſt res bona & honeſta: ergo in caſu neceſſitatis licet eam expetere ab eo, qui ex malitia prævidetur illam vitiaturus; neque propterea, *qui ab eo ſuſcipit Sacramentum*, inquit S. Thomas ſæpius cit. art. 6. ad 2. *communicat peccato ejus; ſed communicat Eccleſiæ; quæ eum tamquam Miniſtrum exhibet.*

Q. 2. *Quæ, & quanta debet eſſe neceſſitas, ut liceat ab improbo Miniſtro Sacramenta petere, & recipere?*

Priuſquam huic quæſtioni fiat ſatis,

Advertes improbum Miniſtrum, vel eſſe excommunicatione præciſum, quemadmodum hæreticos;

ticos; vel non esse præcisum, aut alia censura percussum. Rursus excommunicati, vel non sunt tolerati, vel tolerati: non toleratus dicitur, qui nominatim declaratus est per sententiam Judicis excommunicatus: toleratus verò, qui quidem excommunicationis pœnam ipso facto incurrit; sed nulla præcessit Judicis sententia, qua nominatim declaretur excommunicatus. His præmissis,

R. 1. In extrema necessitate licitum est ab excommunicato etiam non tolerato petere & suscipere Sacramenta. Vocatur autem extrema necessitas periculum mortis, in quo quis constitutus indiget aliquo Sacramento necessitate medii ad salutem necessario, qualia sunt Sacramenta Baptismi & pœnitentiæ.

Probatur responsio auctoritate S. Augustini libro 1. de Baptis. cap. 11. in quo sic scribit: *Si quem fortè coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat* (Baptismum) *non invenerit ..... per aliquem extra unitatem Catholicam positum acceperit ..... non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè verissimèque laudamus.* Idipsum de Sacramento Pœnitentiæ definiit Concil. Trident session. 14. cap. 7 his verbis: *Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis casibus & censuris absolvere possunt.* Cum autem Concilium dicat, *omnes Sacerdotes*, nullum excipit etiam excommunicatum & degradatum. Et ratio est, quia lex Ecclesiastica non præjudicat juri naturali & divino, nec prohibere potest quominus excommunicatus denuntiatus succurrat naufraganti, aut

 fame

fame pereunti; multò minùs periclitanti æterna damnatione.

Dices: S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 32. laudat S. Hermenegildum, qui maluit mori, quàm Sacramenta ab Episcopo Ariano suscipere, referturque 24. q. 1. cap. 42. ergo in extrema necessitate non licet Sacramenta sumere ab excommunicato Ministro.

Nego conseq. 1. Quia S. Hermenegildus non erat in extrema necessitate constitutus; non enim agebatur de Sacramento necessitate medii necessario, & in articulo mortis suscipiendo, sed de communione Paschali. 2. Etiamsi ageretur de Eucharistia in morte suscipienda, non ita certum est eam in ejusmodi circumstantiis posse ab excommunicato non tolerato percipi; plures enim negant id licere, quamvis Navarrus in Summa cap. 22. num. 4. & alii contrarium affirment; quia illud Sacramentum in articulo mortis est necessarium necessitate præcepti divini; & viaticum, si non absolutè, saltem secundùm quid necessarium hinc transituris. Unde si licitum est ab excommunicato non tolerato cibum corporalem accipere, non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate, multo magis cibum spiritualem: Favet cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. in quo morientibus conceditur tempore generalis interdicti pœnitentia, & in viaticum, denegatur verò Extrema Unctio: *in illo verbo*, inquit Innocentius III. *per quod pænitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam ...... intelligi volumus.* 3. S. Hermenegildus adigebatur ad illam communionem in signum professionis Arianæ. Porro nequidem in extrema necessitate licet suscipere Sacramentum

mentum in iis circumſtantiis, in quibus videretur quis hæreſim profiteri.

R. 2. Extra caſum extremæ neceſſitatis non licet Sacramenta petere ab Excommunicatis non toleratis, Hæreticis, & Schiſmaticis; quia Patres & Lex Eccleſiaſtica hunc caſum duntaxat notant, in quo cum ejusmodi abſciſſis liceat communicare in ſpiritualibus, ut patet ex præcedenti reſponſione.

R. 3. Requiritur, & ſufficit ea neceſſitas, quæ cenſeatur gravis, ut Sacramenta licitè peti, & recipi poſſint ab improbis Miniſtris, etiam ſuſpenſis & excommunicatis, modo tolerentur ab Eccleſia. Probatur à ſimili, ejusmodi neceſſitas requiritur, & ſufficit, ut licité petatur mutuum ab uſurario, juramentum ab infideli. Ergo Parochianus benedictionem nuptialem, Euchariſtiam in Paſchate, & extremam Unctionem in morbo licitè recipit à Parocho, licet excommunicato, aut ſuſpenſo, ſed tolerato; quia in gravi verſatur neceſſitate; cùm alius Sacerdos non adſit, qui illa ſubſidia ſpiritualia exhibeat: ſecus ſi alteri, puta Vicario, facilè poſſit ſacramentaliter confiteri.

CAPUT XVII.

De Subjecto Sacramentorum.

Quodnam eſt ſubjectum Sacramentorum?
R. Solus homo viator.

Probatur ex Scriptura, Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum*; & ratio eſt, quia nec

Angelis, cùm ſint incorporei, ſigna ſenſibila gratiæ ſanctificantis applicari poſſunt, nec creaturis irrationabilibus, cùm ſint incapaces gratiæ ſanctificantis, nec hominibus defunctis, qui cùm ſint in termino, non poſſunt proficere in gratia, nec proindè percipere effectum Sacramentorum.

Q. 2. *Quid requiritur in ſubjecto, ut validè percipere poſſit Sacramentum?*

R. 1. In parvulis nihil requiritur: patet ex Traditione Apoſtolica, ſecundùm quam baptizantur infantes in fide Eccleſiæ; quia, ut ratiocinatur ſanctus Auguſtinus ſerm. 294. aliàs ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 11. *Qui peccavit in altero* (Adamo) *credit in altero*, nempe in Eccleſia.

R. 2. In adultis aliud requiritur ad recipiendum validè Sacramentum, aliud ad recipiendum licitè, ſeu ad conſequendum ejus effectum.

Q. 3. *Quid requiritur in adultis ad validè recipiendum Sacramentum?*

R. Requitur & ſufficit voluntas, ſeu intentio illud recipiendi, excepto tamen Pœnitentiæ Sacramento.

Prima pars reſponſionis, nempe quòd requiratur intentio, probatur 1. ex conſtanti Traditione Eccleſiæ. Concilium Carthaginenſe III. anno 396. Carthaginenſe IV. anno 398. can. 79. Arauſicanum I. anno 442. can. 12. ſtatuunt ægrotos, qui uſum vel linguæ, vel rationis amiſerunt, non eſſe baptizandos, aut abſolvendos, niſi conſtet ex teſtibus, eos priùs voluiſſe baptizari, aut abſolvi. Innocentius Tertius, ſæculo decimotertio, cap. *Majores*, tit. de Baptiſmo, expreſſè aſſerit illum, qui nunquam conſenſit, ſed penitus con-

contradixit, nec rem, nec characterem ſuſcipere Sacramenti; Quia *plus eſt*, inquit, *expreſsè contradicere, quàm minimè conſentire.* Rituale Romanum auctoritate Pauli V. editum, prohibet ne baptizetur adultus, qui ex morbo, aut ex alio caſu in amentiam incidit, ſi, dum eſſet rationis compos, Baptiſmum non petiit.

Probatur 2. ratione; Quia Sacramenti ſuſceptio ex dictis cap. 1. eſt quædam initiatio, & conſecratio, ſeu religionis profeſſio, quæ ſine motu voluntatis fieri nequit.

Dices: Ex S. Gregorio Turonenſi lib. 6. Hiſt. Franc. cap. 17. multi Judæi anno 570. coacti ſunt ad Baptiſmum. Idem factitatum fuiſſe apud Maſſilienſes teſtatur S. Gregorius Magnus lib. 3. Epiſt. 45. Idem præſtiterunt Siſebutus Hiſpaniarum Rex, anno 596. Dagobertus I. in Gallia circa idem tempus, & Carolus Magnus anno 776. circa Saxones rebelles, qui poſteà auditi non ſunt, licèt conteſtarentur ſe invitos, & contra voluntatem fuiſſe baptizatos: ergo intentio, ſeu voluntas recipiendi Sacramentum, non eſt neceſſaria ad ejus veritatem.

Diſtinguo anteced. Coacti ſunt coactione inſufficienti ad perimendum voluntarium, Conc. Coactione ſufficienti, quæ excluderet omne voluntarium, Nego antecedens; Hæc enim violentia, ex dictis ubi de actibus humanis, cadere non poteſt in actus voluntatis elicitos. Sicut ergo non excuſatur à peccato idololatriæ, qui ſuppliciis perterritus Idolo ſacrificat; quia voluntate abſolutè libera, licèt ſecundùm quid invita, grande illud ſacrilegium committit; ſic qui minis coactus Baptiſmum ſuſcipit abſolute volens, & ſecun-

dùm quid nolens Chriſtianus efficitur. Prohibuit tamen Eccleſia, ne ſic deinceps Infideles baptizarentur.

Secunda pars, quòd illa intentio ſufficiat, probatur ex uſu Eccleſiæ, quæ Baptiſmum in hæreſi acceptum ſemper admiſit, nec repetendum declaravit, ut patet ex dictis cap. præcedenti: *Non intereſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, lib. 3. de Baptiſmo cap. 14. *cùm de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum, intereſt quidem plurimùm ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil interſt; fieri enim poteſt, ut homo integrum habet Sacramentum & fidem perverſam.* Nec ſibi contrarius eſt S. Doctor lib. 7. de Baptiſmo c. 53. ubi aliquam fidem in ſuſcipiente requirit; nam aliquando fidem uſurpat pro intentione, ut colligitur ex Epiſt. 98. aliàs 23.

Dixi in reſponſione: *Excepto Pœnitentiæ Sacramento*; Quia in illo Sacramento actus pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio requiruntur tanquam ejus pars materialis; atqui non perficitur Sacramentum ſine materia & forma. Ergo.

Q. 4. *Quæ intentio requiritur in ſubjecto ad validè recipiendum Sacramentum.*

R. 1. Ad Baptiſmum ſaltem requiritur intentio habitualis: intentio autem habitualis hìc dicitur voluntas, quæ præceſſit, nec fuit retractata, Patet ex dictis in præcedenti reſponſione; Baptiſmus enim eſt Religionis Chriſtianæ profeſſio, per quam baptizatus obligat ſe ad obſervandam Legem Evangelicam, & Eccleſiæ Statuta, quod neceſſariò ſupponit intentionem, ſaltem habitualem. Idem à fortiori dicendum de

Sacra-

Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, in quibus cùm actus suscipientium habeant rationem materiæ & partis essentialis, necesse est ut censeantur præsentes, salem moraliter, quando duo illa Sacramenta celebrantur.

R. 2. Intentio generalis & interpretativa sufficit ad suscipienda cætera Sacramenta, excepto fortè Sacramento Ordinis.

Probatur; quia intentio interpretativa ea dicitur, qua dum aliquis expressè vult rem unam, censetur velle ea omnia, quæ ad illam pertinent tanquam appendices, etiamsi de illis nunquam, cogitaverit, v. g. capessit aliquis dignitatem, ignorans quoddam ejus singulare privilegium, interpretamur illum voluisse tale privilegium, licèt nunquam in mentem ejus venerit; quia expressè voluit illam dignitatem, in qua continebatur illud privilegium.

Atqui, eo ipso, quo quis voluit baptizari, hoc est, profiteri Religionem Christianam, Ecclesia semper est interpretata illum voluisse frui omnibus gratiis & bonis, quorum habet dispensationem, nec aliud quibusdam in casibus ab eo exigit ad conferenda Sacramenta, de quibus est sermo: ergo revera sufficit interpretativa illa intentio.

Minor probatur ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ Fidelibus repentino morbo correptis, quo usum linguæ & rationis amiserunt, administravit Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis, etiamsi illa ante non expetierint, satisque fuit piæ matri, quòd Baptismi vota evidenter per peccatum mortale non retractassent.

Dixi, *excepto fortè Sacramento Ordinis;* quia controvertitur in Scholis, num infantibus validè conferri possit?

Nonnulli Theologi affirmant, sed minùs probabiliter; quia cùm liberum sit cuique Christiano amplecti statum Matrimonii, vel Clericatus, voluntas interpretativa suscipiendi Ordines non potest, nec debet intelligi in ipsa professione Religionis Christianæ; ac proinde Sacramentum Ordinis nequit conferri validè sive infanti, sive adulto, qui actu nunquam voluit ordinari.

Cæteri Theologi distinguunt inter Christianos, alii mediocri virtute contenti ad Evangelicam perfectionem non contendunt: alii ad illam toto corde nituntur: sed ex propriæ infirmitatis sensu sacra ordinatione indignos se judicant, nec persuaderi queunt se esse à Deo electos ad tantum honoris & sanctitatis gradum, & hac persuasione reluctantur suis Prælatis, qui eos promovere decreverunt. In prioribus locum non habet voluntas interpretativa, si de Ordinatione agatur, nullumque foret illud Sacramentum, nisi actualis voluntas in suscipiente saltem præcessisset.

De posterioribus verò aliter sentiendum existimant illi Theologi, quia eo ipso, quo Christiani illi pietate insignes se totos Deo, & cultui ejus consecrant, divinæ vocationi, cujus signa non desunt moraliter certa, acquiescere censentur, saltem generali intentione, quamvis particulari quàm maximè resistant. Generalem hanc intentionem intellexerunt Flavianus Episcopus Antiochenus in Macedonio sanctissimo Anachoreta, quem, ut refert Theodoretus lib. Religiosæ

Histo-

Hiſtoriæ c. 13. inſcium, & nihil tale ſuſpicantem ordinavit in Presbyterum, licèt hactenus fuiſſet reluctatus; & S. Epiphanius in Pauliniano Monacho fratre S. Hieronymi, quem etiam obſtructo ore, ne reclamaret, Presbyterum conſecravit, ut ipſemet Epiphanius ſcribit ep. 60. inter Epiſt. S. Hieronymi ad Joannem Jeroſolymitanum commotum, quòd contra Eccleſiæ leges manus impoſuiſſet Pauliniano in Diœceſi Jeroſolymitana commoranti.

De invitis ſecundùm intentionem particularem intelligendus eſt S. Gregorius lib. 7. epiſt. ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, in qua ſic ſcribit: *Sicut is, qui invitatus venit: quæſitus refugit, ſacris eſt Altaribus admovendus: ſic qui multò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſeat, & aſcendendo exteriùs ad profunda deſcendat?*

Q. 5. *Quid requiritur ad effectum Sacramenti conſequendum?*

R. 1. Ad quodlibet Sacramentum requiritur fides, *ſine qua*, inquit S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. *vacuum eſt omne myſterium*, idem de pietate & devotione generatim dicendum. Sancta enim ſanctè tractanda & accipienda ſunt.

R. 2. Cùm quodlibet Sacramentum proprios habeat effectus, exigit quoque in ſuſcipiente diſpoſitiones ſibi proprias; Sacramenta enim, quæ ideò dicuntur mortuorum, quia inſtituta ſunt ad remittendum peccatum mortale, qualia ſunt Baptiſmus & Pœnitentia, non ſortiuntur effectum, niſi in contritis corde. Quæ verò dicuntur vivorum

vorum, ſtatum gratiæ ſanctificantis neceſſariò præſupponunt in accedentibus. Ex effectibus ergo, ad quos inſtitutum eſt quodlibet Sacramentum, colligendum eſt qualis diſpoſitio eſſe debeat in ſuſcipiente.

CAPUT XVIII.

De Sacramentorum novæ Legis effectibus.

Alius eſt effectus communis omnibus Sacramentis, alius proprius uni, & ſoli, diciturque gratia ſacramentalis: alius proprius uni, ſed non ſoli, ut character, qui eſt effectus proprius Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis.

Q. 1. *Quis eſt effectus communis omnibus Sacramentis?*

R. Gratia ſanctificans, quam omne Sacramentum novæ Legis producit ex opere operato, ut probatum eſt cap. 4. contra Novatores.

Movetur in Scholis difficultas exigui admodum momenti; utrùm ſcilicet Sacramenta novæ Legis phyſicè operentur, quemadmodum ignis per influxum phyſicum comburit lignum, ut docent Thomiſtæ; vel moraliter tantùm, eo modo quo contractus donationis transfert dominium rei datæ, vel merita Chriſti Domini ſalutem noſtram operantur.

Poſterius nobis cum aliis communiter Theologis videtur longe probabilius.

1. Quia Sacramentis non convenit alia efficacia, quàm meritis Chriſti, quæ per Sacramenta operantur: atqui merita Chriſti ſunt tantùm cauſæ morales gratiæ, quatenus nempe eorum intuitu Deus tanquam cauſa phyſica gratiam producit: Ergo.

2. Quia

2. Quia operari ſequitur eſſe: atqui Sacramentum eſt compòſitum morale, non phyſicum; verba enim abſolutionis v. g. cum actibus pœnitentis non faciunt aliquid totum phyſicum, ſed morale, ut patet. Ergo non agunt phyſicè, ſed moraliter.

3. Quæ agunt per influxum phyſicum, neceſſariò debent contingere ſubjectum, in quo operantur, vel per ſe, ut ignis comburens lignum; vel per virtutem phyſicam, quemadmodum Sol per lumen in aere diffuſum attingit corpus quod illuminat: atqui Sacramenta neque per ſe, neque per virtutem phyſicam attingunt animam, quam ſanctificant; verba abſolutionis, v. g. neque per ſe contingunt animam, tum quia ſunt aliquid corporeum, tum quia nequidem corpus, ut plurimùm attingunt, cùm vix moveant aeris partem ori loquentis proximam, neque per virtutem phyſicam à ſe emanantem quæ nequidem fingi poteſt, cùm Sacramenta non operentur, niſi quatenus ſignificant: atqui non ſignificant niſi prolata ultima formæ ſyllaba, hoc eſt, quando phyſicè exiſtere deſinunt, ac proinde quando virtutem phyſicam habere nequeunt.

Denique non ſunt inducendæ opiniones creditu difficiliores, niſi Eccleſia illas tanquam revelatas proponat; atqui creditu longè eſt difficilius Sacramenta phyſicè operari, nec Eccleſia unquam id propoſuit, tanquam à Deo revelatum, quidquid garriant Novatores.

Q. 2. *Quid eſt gratia Sacramentalis?*

R. Eſt jus fundatum in gratia ſanctificante per quodlibet Sacramentum collata ad accipienda oppor-

opportuno tempore certa auxilia, id eſt, gratias actuales, quibus poſſit homo obtinere finem Sacramenti. Supponamus v. g. quempiam cum debitis diſpoſitionibus Sacramentum Confirmationis ſuſcepiſſe, ac proinde augmentum gratiæ ſanctificantis fuiſſe conſecutum: gratia ſic accepta titulus eſt confirmato ad obtinendas à Deo gratias actuales, ut poſſit data occaſione fidem intrepidè profiteri; ad hoc enim inſtitutum eſt illud Sacramentum. Gratia ergo ſacramentalis non ſemper recipitur actu, niſi in radice, dum adminiſtratur Sacramentum: hoc maximè patet in infantibus, & in iis, qui amiſſo uſu rationis, abſolvuntur, vel unguntur; in illo enim ſtatu non ſunt capaces gratiarum actualium, utpote quæ ſint actus intellectus & voluntatis divinitus excitati; jus tamen per Sacramentum acquiſierunt ad illas ſuo tempore accipiendas.

Q. 3. *Qui labitur in peccatum mortale poſt ſuſceptum Sacramentum, retinetne jus ad illa auxilia ſupernaturalia ad gratiam ſacramentalem pertinentia, quando v. g. occurret tentatio?*

R. Minimè, quia auxilia illa fundantur in gratia ſanctificante, quæ per peccatum mortale amittitur; imò ex Apoſtolo terribilis eum manet expectatio Judicii, utpote *qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt*, Hebr. 10.

Q. 4. *Sacramenta conferuntne ſemper æqualem gratiam?*

R. In ſubjectis æqualiter diſpoſitis, ut in parvulis, æqualem gratiam conferunt: in meliùs verò diſpoſitis, maj. Ratio eſt, quia Sacramenta ſunt cauſæ neceſſariæ. Sicut ergo ignis eodem modo

modo applicatus duabus candelis ſimiliter diſpoſitis, eas ſimiliter accendit, ſecus ſi diverſimodè ſint diſpoſitæ: ita & Sacramentum.

Confirmatur ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ubi docet in baptizatis recipi juſtitiam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem.

Q. 5. *Major gratia meliùs diſpoſito collata, eſtne ex opere operato, an ex opere operantis?*

R. Eſt ex opere operato. Quemadmodum enim inflammatio ligni ſiccioris & calidioris non eſt à ligno, ſed ab igne ſolo; ſic major gratia in ſuſcipiente meliùs diſpoſito, eſt à Sacramento, non à diſpoſitionibus, quæ gratiæ non ſunt productivæ.

CAPUT XIX.

De Charactere.

Q. I. *Quid eſt Character?*

R. Eſt ſignum in anima impreſſum indelebile, quo diſtinguitur homo ab aliis, efficiturque idoneus ad nonnulla, quæ ſunt cultus divini: in Baptiſmo ad recipienda alia Sacramenta, in Confirmatione ad profeſſionem fidei, & in Ordine, ad functiones Eccleſiaſticas obeundas.

Q. 2. *Quot ſunt effectus characteris?*

R. Duo. I. diſtinguit v. g. baptizatum à non baptizatis, Sacerdotem à laicis. 2. Conſecrat & deputat ad nonnulla Religionis officia. Hæc patent ex allata definitione.

Q. 3. *Cujus eſt ille Character?*

Reſpon-

Reſpondet S. Thomas poſt Sanctum Auguſtinum eſſe characterem Chriſti Domini, *cujus Sacerdotio*, inquit q. 63. art. 3. *configurantur Fideles ſecundùm Sacramentales characteres, qui nihil aliud ſunt, quàm quædam participationes ab ipſo derivatæ.*

Q. 4. *Quare dicitur ſignum in anima impreſſum?*

R. Ut diſtinguatur, tum à charactere Circumciſionis, quo Judæi, inquit S. Chryſoſtomus, in corpore veluti pecora gregis Domini ſecernebantur ab aliis nationibus: tum à notis & inſignibus, quæ Principum Miniſtri exteriùs in veſtibus circumferunt: tum denique à charactere dæmonis, qui veluti ſimia Dei, ut loquuntur S. Patres, extrinſecùs notat ſacrilegos, qui ſe ei mancipant, ut habetur Apoc. 13. & 14.

Q. 5. *Imprimiturne character in eo, qui ficte, id eſt, ſine debitis diſpoſitionibus Sacramentum ſuſcipit?*

R. Imprimitur, ut conſtat ex dictis cap. 14. ubi probatum eſt rata eſſe Sacramenta in hæreſi collata & ſuſcepta, quamvis non conferant Spiritum ſanctum.

Q. 6. *Quot ſunt Sacramenta, quæ characterem imprimunt?*

R. Tria, nempe Baptiſmus, Confirmatio & Ordo. Ita definiit Concilium Trid. ſeſſ. 7. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis; Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpiritale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.*

Q. 7. *Quid eſt illud ſignum in anima impreſſum?*

R. Certò definiri non poteſt: quia id Deus non revelavit ſive in Scriptura, ſive in Traditione. Hinc Theologi, ut ſolent in rebus obſcuris & incertis, abeunt in varias ſententias.

Alii,

Alii, ut Scotus in 4. diſt. 6. volunt eſſe relationem realem; quia ſignum illud ex natura ſua ordinem dicit ad quædam religionis officia, in Ordine v. g. ad functiones Sacerdotales.

Alii contendunt eſſe relationem rationis tantùm; quia, inquiunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo ex Dei inſtituto conſecrant & ordinant fidelem ad ea, quæ ſunt divini cultus, quemadmodum ex hominum inſtituto Magiſtratus deputat civem ad miniſteria politica, conſecratio Baſilicarum ſacra illa loca divinis officiis in perpetuum mancipat: atqui ordo Magiſtratus ad miniſteria politica, Baſilicarum ad Officia divina, eſt relatio rationis: Ergo & ordo baptizati, confirmati, & Sacerdotis ad ea quæ cultum divinum ſpectant, eſt etiam relatio rationis. Ita Durandus in quartum diſt. 4. quæſtione 1.

Alii docent ſignum illud eſſe qualitatem, ſed non conſentiunt quæ ſit illa qualitas: quidam illam revocant ad figuræ ſpeciem; alii, ut Guillelmus Altiſſiodorenſis, ad patibilem qualitatem; alii, ut Alexander Alenſis, ad habitum; alii communiter, ut S. Thomas & Catechiſmus Romanus, ad potentiam. Has autem Scholæ controverſias neglexit Trid. Concilium, utpote quæ ad fidem non pertineant.

Immeritò itaque Soavis hîc ſolita dicacitate ſuggillat Tridentinos Patres tanquam conſilii ſani impotes, nec minùs contumelioſè Kemnitius l. 2. examinis, conqueritur quaſi Trid. fideles ſub anathemate cogat credere fide divina Scholaſticorum opiniones recens excuſas circa eſſentiam characteris, quod nullatenus Concilium attigiſſe oſtendit Cardinalis Pallavicinus lib. 9. c. 5. Hiſt. Trid.

Q. 8. *Quid ergo fide divina credendum est circa characterem?*

R. Credendum est solùm characterem existere & imprimi per tria Sacramenta. Ita Tridentinum cit. Can. 9. & ante ipsum Eugenius IV. in suo Decreto pro Armenis.

Dices 1. absurdum est definire rem existere, cujus ignoratur natura: Ergo.

Nego antecedens: etenim S. Augustinus sciebat tempus existere, nec dicere poterat quid sit, lib. 11. Confess. c. 14. fide etiam divina credebat existentiam peccati originalis, quamvis ignoraret quomodo contrahatur, ut testatur Epistola 29. ad Sanctum Hieronymum. Denique quis definiet quid sit Deus, & quis enarrabit æternam Verbi divini generationem? Adversarii tamen utrumque confitentur, nempe Deum existere, & secundam sanctissimæ Trinitatis Personam generari.

Dices 2. Concilium Tridentinum cit. Canone tria definiit; primum, characterem imprimi anima; secundum, esse indelebilem; tertium, tria Sacramenta propter illum iterari non posse: atqui hæc dici non possunt, nisi character sit aliquid physicum & realiter distinctum, tum ab anima, tum à gratia sanctificante; quis enim diceret relationem sive realem sive rationis imprimi, & esse indelebilem? ergo revera Concilium definivit characterem esse qualitatem, atque ex diversis Scholasticorum opinionibus recens inventis, ad unum fideles astrinxit sub anathemate.

Nego minorem; nam figura dicitur corpori impressa, licèt secundùm communiorem Philosophorum sententiam non sit ens physicum à subjecto distinctum. Item macula peccati dicitur

in

in anima imprimi, quamvis ſit aliquid morale, & relatio quædam ad actum peccaminoſum jam præteritum, ſed moraliter remanentem. Deinde S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. comparat characterem Chriſti cum charactere militari: atqui character militaris, licet dicatur imprimi, non eſt tamen qualitas phyſicè adveniens militi, ſed quædam moralis deputatio, *an fortè*, inquit, *minùs hærent Chriſtiana Sacramenta, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec Apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam non reſtituitur, & ideò amitti non poſſe judicatur.* Ex quo loco habes primò characterem hærere; ſecundò eſſe indelebilem; tertiò, Sacramentum quo imprimitur, non poſſe repeti; quæ omnia explicantur per notam militarem, quæ eſt tantum quid morale, & relatio rationis. Denique ipſi Scholaſtici qui contendunt characterem non eſſe qualitatem aut entitatem phyſicam ſeu meram rationis relationem ſeu deputationem inadmiſſibilem ad certa Religionis officia, nihilominus docent illum in anima imprimi. Alphonſus à Caſtro lib. 7. adverſùs hæreſes, ſic ſcribebat circa annum 1556. *Character figura quædam eſt, ſive illa ſit qualitas, ſive relatio, parum intereſt, quàm Deus animæ imprimit in ſignaculum, quo ſuum gregem diſcernit ab aliis.* Dominicus Soto, qui Concilio Tridentino interfuit, etiam poſt Concilium probabilius exiſtimat in quartum 1. quæſt. 3. art. 1. & 4. art. 2. & 20. art. 1. characterem eſſe rem ab anima indiſtinctam, & nihilominus rectè dicit imprimi, atque eſſe indelebilem; & revera nonne Matrimonii vinculum, licèt morale quid, eſt divinitus indiſſolubile?

Instabis : ritus exterior Sacramenti est actio transiens, quæ afficit solum corpus ; character verò est permanens, indelebilis, & in anima ; ergo est quid realiter distinctum à ritu exteriori.

Distinguo consequens : Character imprimens est quid distinctum, Nego : character impressus, subdistinguo ; est quid distinctum moraliter, Concedo : physicè, subdistinguo iterùm : est quid distinctum secundùm communiorem, & si ita placet, secundùm probabiliorem Scholasticorum sententiam, transeat ; secundùm Ecclesiæ doctrinam, & citatum Tridentini Canonem, Nego conseq. Itaque distinguendum est inter sigillum figuram imprimens, & figuram ipsam per sigillum subjecto impressam. Ritus exterior Sacramenti est veluti sigillum imprimens characterem & transit ; consecratio verò impressa manet & quidem in anima ; baptizatus enim aut confirmatus deputatur & consecratur maximè secundùm animam ad quædam divini cultus officia. Utrùm autem illa deputatio aut consecratio fiat per qualitatem physicam, necne non attigit Concilium.

Dices 3. si Concilium non definivit, sitne character entitas physica, an moralis, inutilis est ejus definitio ; nullus enim è Novatoribus negavit per Baptismum ita consecrari hominem, ut consecratio illa deleri non possit, aut repeti : absurdum est autem consequens, ergo & antecedens.

Negо maj. namque Novatores 1. negant talem consecrationem divinitus fieri per Confirmationem & Ordinem, & contra hunc errorem definivit Concilium per tria Sacramenta imprimi characterem. 2. docent characterem esse figmentum

tum humanum ab Innocentio III. inventum decimo tertio sæculo, Concilium verò declarat esse à Christo Domino institutum.

Q. 9. *Quomodo probatur characteris existentia?*

R. 1. Evidenter non educitur ex Scripturis; affertur quidem caput primum 2. ad Corinth. v. 22. ubi sic habetur: *Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et caput 1. Epistola ad Ephes. vers. 13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Sed illi textus intelligi possunt de gratia sanctificante, ut explicant Sanctus Chrysostomus, Theophilactus, & Sanctus Thomas in hunc locum.

R. 2. Itaque probatur ex Traditione, quæ cernitur vel in uno Sancto Augustino. Hic enim quarto sæculo agens totius Ecclesiæ causam, tam feliciter evicit contra Donatistas tria Sacramenta in hæresi collata non esse iteranda, ut Concilia sæpius in hanc rem celebrata, & subsequentes Patres ejus doctrinam tanquam divinitùs traditam declaraverint. Inter omnia testimonia, quæ supra cap. 14. collegimus, celebris est locus ex cap. 13. lib. 2. contra Parmenianum desumptus, ubi sic scribit S. Doctor, *Nulla ostenditur causa, cur ille qui Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere, utrumque enim Sacramentum est, & quandam consecrationem utrumque homini dat, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur, ideoque in Catholica Ecclesia utrùmque non licet iterare.* Ex quibus patet per Baptismum & Ordinem dari quandam consecrationem & potestatem, ideoque non esse iterandos: atqui talis consecratio & potestas ex dictis est character: ergo ex Sancto Augustino Baptismus & Ordo imprimunt characterem: de Confirmatione vero sic lo-

 quitur

quitur Epiſtola 74. ad Januarium, *Cur ad verba quæ procedunt de ore homicidæ poſſit tamen Deus oleum ſanctificare, & in altari quod poſuerunt hæretici, non poſſit, neſcio.* Similia ſcribit lib. 5. de Baptiſmo capite 20. ad probandum Confirmationem collatam ab hæreticis valere, nec eſſe iterandam, ac proinde imprimere characterem.

Expreſſè autem meminit nominis characteris Epiſtola 185. aliàs 50. ſub finem, ubi inducit Donatiſtam ſic loquentem: *Quare ergo me non baptizas, ut abluas me à peccatis?* Reſpondet; *Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo deſertoris;* Idem nomen uſurpat lib. 6. de Baptiſmo cap. 1. & Epiſt. 98. aliàs 28. ad Bonifacium: ergo Innocentius III. non efficit nomen characteris.

Dices: ante Petrum Pictavienſem Magiſtri Sententiarum primò diſcipulum, deinde ſucceſſorem in Cathedra Theologica Pariſienſi, nullus meminit characteris; imò Albertus magnus in quartum diſt. 6. art. 4. docet vix in ſcriptis ſanctorum Patrum quidquam de charactere inveniri. Scotus etiam in quartum diſt. 6. q. 9. dicit propter ſolam Innocentii III. & Eccleſiæ Romanæ auctoritatem admittendum characterem. Gabriel Biel ibidem quæſtione 2 ſcribit neque Scripturam, neque ſcripta Sanctorum Patrum cogere ad admittendum characterem. Cajetanus etiam in tertiam partem Sancti Thomæ q. 63. art. 1. ait ex ſola auctoritate Eccleſiæ non multùm antiqua agnoſcendum characterem; ergo cùm Eccleſia novas à Deo non accipiat revelationes, Concilium Tridentinum non potuit definire tanquam de fide, characterem exiſtere.

Diſtin-

Distinguo antecedens : antiqui Theologi docent characterem non habere fundamentum in antiqua traditione, in sensu quo Scholastici disputant, ut ipse Albertus Magnus loquitur loco citato, & Gabriel Biel, Concedo : eo sensu, quo definiit Concilium Tridentinum, & ante illud Eugenius IV. in suo Decreto, Nego antecedens. Itaque fatemur cum laudatis Theologis probari non posse ex Sanctorum Patrum Scriptis characterem esse qualitatem, aut relationem sive realem, sive rationis, sed constat ex dictis eos agnovisse ejus existentiam. Et hoc advertit Magister Sententiarum lib. 4. dist. 7. his verbis : *Iterari autem illam non possunt* (Baptismus nempè, Confirmatio, & Ordo,) *quia sanctus Augustinus ait ea per consecrationem dari ; quod autem semel est consecratum, suam consecrationem nunquam amittit.* Porrò consecratio illa intelligi non potest de gratia sanctificante, quæ sæpius amittitur : necesse est ergo, ut intelligatur de charactere.

Instabis : vitiosus hic admittitur circulus ; nam ex charactere probatur tria Sacramenta iterari non posse ; & vicissim colligitur eadem Sacramenta imprimere characterem, ex eo quòd non iterentur : ergo.

Nego ant. vitiosus enim non est circulus, quando est in diverso genere probationis, ut patet exemplo diei lucescentis, ex quo colligitur ortus solis, tanquam causa ex affectu. Contra verò cæcus sciens solem oriri in æquinoctio hora sexta, inde concludit diem esse, & vocat domesticos ad solitas operas. Similiter nonnunquam Catholici probant existentiam characteris ex effectu, nimirum ex eo quòd tale Sacramentum non iteretur ; data verò alia occasione, ex causa colligunt effectum necessa-

riò ei conjunctum, scilicet, hoc Sacramentum imprimit characterem : ergo iterari non potest.

Contemnenda potiùs, quàm seriò confutanda ea, quæ docent Novatores, nempe Baptismum non ratione characteris, sed mysticarum significationum non iterari ; quia est regeneratio à peccato originali, & janua, qua patet ingressus in Ecclesiam & in vitam æternam. Cùm autem peccatum originale non redeat, nec jam ingressus iterum intrare possit, consequens est, inquiunt, semel baptizatum iterùm baptizari non posse. Quasi vero deleatur macula peccati originalis, quando quis fictè & sine debitis dispositionibus baptizatur, vel necesse non habeat iterum intrare, qui per excommunicationem, schisma, & hæresim ab Ecclesia recedit. Non itaque propter significationes illas mysticas, sed propter characterem pœnitens non rebaptizatur.

CAPUT XX.

De numero Sacramentorum Novæ Legis.

Q. 1. *Quot sunt Sacramenta novæ Legis?*

Mira est Novatorum varietas circa numerum Sacramentorum. Lutherus lib. de captivitate Babylonica scribit se non damnare septem Sacramenta, unum tamen esse propriè dictum, sed admittenda duo, scilicet Baptismum & Eucharistiam, & in alio loco ejusdem libri addit Pœnitentiam.

Melanchton ejus Collega, in celebri Confessione Augustana tria etiam Sacramenta confitetur, & in posterioribus scriptis nunc quatuor, nunc quinque agnoscit, propendetque in sententiam Zwinglii, Matrimonium inter Sacramenta numerantis lib. de vera & falsa Religione.

Calvi-

Calvinus lib. 4. Inſtitutionum c. 18. Baptiſmum & Euchariſtiam ſolùm retinet, quanquam c. 19. Ordinationem addere videatur. Dallæus ejus ſectator & Pſeudo-miniſter in agro Pariſienſi, vulgò *Charenton*, hac noſtra ætate ſcripſit quæſtionem de num. Sacramentorum nullius aut parvi admodum eſſe momenti. Contra ejuſmodi varietates

R. De fide eſt ſeptem eſſe Sacramenta novæ Legis; ita Concillum Tridentinum poſt Eugenium IV. definivit Seſſ. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora, quàm ſeptem . . . . anathema ſit.*

Probatur ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ tum Orientalis, tum Occidentalis; Græci enim ſicut & Latini, ſeptenarium illum Sacramentorum numerum retinent, ut patet tum ex eorum Eucologiis, ſeu Ritualibus: tum ex cenſura, qua Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem proſcripſit: tum ex Synodo Bethlehemitica anno 1672. ſub Doſitheo Patriarcha, ubi Græci profitentur ſe agnoſcere ſeptem novæ Legis Sacramenta. Porrò conſenſus generalis Eccleſiarum Orientalium ſchiſmate à ſe invicem ſeparatarum, evidens eſt teſtimonium traditionis divinæ: ſiquidem quod ſemper & ubique & ab omnibus obſervatum eſt, divinitus eſt traditum ex Vincentio Lirinenſi; errorem enim variaſſe neceſſe eſt, ut argumentatur Tertullianus lib. de præſcriptionibus contra hæreticos.

Nec Novatores hìc pro more caluminari poſſunt Eccleſiam Romanam ſua tyrannide Græcorum

rum mentes præoccupaſſe; cùm Græci à pluribus ſæculis ab ea ſint diviſi, teſtenturque (quod ſatis per ſe notum eſt) ſe hanc doctrinam ab antiquioribus Patribus accepiſſe. Sed iſta accuratiùs probabuntur, ubi de Sacramentis in particulari.

Dices; recens eſt ille catalogus ſeptem Sacramentorum, nec reperitur in ſacra Scriptura, nec apud ullum è Sanctis Patribus; imò SS. Ambroſius, Cyrillus Jeroſolymitanus, & alii, qui fidei rudimenta in ſuis Catecheſibus exponunt, non meminerunt niſi duorum aut trium Sacramentorum, nempe Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ, quod ſignum eſt intolerandæ novitatis, quam Scholaſtica Theologia duodecimo ſæculo nata invexit.

R. 1. Neque Scriptura, neque ulla Synodus ante Laodicænam texuerunt catalogum Librorum Canonicorum: an propterea admittendus non eſt? ſufficit itaque quodlibet è ſeptem Sacramentis colligi ex diverſis Scripturæ locis.

R. 2. Sancti Patres aliquando unius Sacramenti, aliquando duorum vel trium mentionem faciunt; quia illorum inſtituti ratio aliud non exigebat: eam ob rem SS. Ambroſius & Cyrillus, qui Cathechumenos inſtituendos ſuſceperant, de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia tractant; quia ſolebant illis miniſtrari tria illa Sacramenta. Sic Rabanus nono ſæculo in opere de Inſtitutione Clericorum, non meminit Sacramenti Matrimonii, quod Clericos non ſpectat. Durandus quidem minùs rectè ſcripſit de Matrimonio, ſed in hac parte deſeritur ab omnibus Theologis.

Q. 2. *Quare nec plura, nec pauciora sunt quàm septem novæ Legis Sacramenta?*

R. Quia ita Chriſtus Dominus voluit; in contingentibus enim & liberis ratio facti nulla eſſe poteſt, quàm voluntas facientis; hanc tamen convenientiam S. Thomas repetit ex naturali ordine rerum humanarum. Quemadmodum enim in ordine naturali requiritur primò ut homo naſcatur, ſecundò ut creſcat, tertiò ut nutriatur, quartò ſi ægrotet, medicinam accipiat; quintò ut muniatur contra hoſtes, ſextò ut ab aliquo ſuperiore regatur, ſeptimò ut ſpecies humana per generationem conſervetur; ſic in ordine ſupernaturali & vita ſpirituali, Baptiſmus eſt ad regenerationem, Confirmatio ad accretionem, Euchariſtia ad nutritionem, Pœnitentia ad medicinam, Extrema unctio ad armaturam, Ordo ad regimen, & Matrimonium ad multiplicationem fidelium.

CAPUT XXI.

Utrùm Eccleſia habeat poteſtatem inſtituendi Cæremonias?

R. Affirmant Catholici contra Novatores, probantque ex continuo uſu univerſalis Eccleſiæ.

Apoſtolus 1. ad Cor. 11. pollicetur ſe ordinaturum, quæ ad Euchariſtiam celebrandam ſpectant; *Cætera autem*, inquit, *cùm venero*, *diſponam.* Huc refert S. Auguſtinus Epiſt 54. aliàs 118. morem miniſtrandi Euchariſtiam nonniſi jejunis; relatis enim Apoſtoli verbis, hæc addit S. Doctor, *Unde*

Unde intelligi datur . . . ; ab ipso (Paulo) *ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.*

S. Justinus Apostolorum temporibus vicinus, meminit Apologia 2. multarum Cæremoniarum ad confectionem & dispensationem Eucharistiæ pertinentium.

Tertullianus tertio sæculo, scribit lib. de Baptismo, secundùm Ecclesiæ consuetudinem lac & mel baptizatis degustanda dari consuevisse.

S. Cyrillus quarto sæculo recenset in suis Catechesibus multas Cæremonias apud Orientales adhibitas in celebratione Baptismi; & S. Aug. ad probandum peccatum originale contra Pelagianos sæpius urget exorcismos, quibus Ecclesia ex Traditione Apostolica Catechumenos ad Baptismum præparabat.

Sacramentale S. Gregorii Magni, Euchologia Græcorum, scripta S. Isidori, Alcuini, Rabani, Amalarii, & aliorum, fidem faciunt ritus, quos etiam nunc Ecclesia Latina observat in celebratione Sacramentorum, in officio Hebdomadæ Sanctæ, & aliarum Solemnitatum, institutos esse ante mille annos.

Ex his patet, si usus Cæremoniarum sit contrarius verbo Dei, ut contendunt Novatores, Religionem Christianam defecisse à primis incunabulis, Ecclesiamque Catholicam nunquam extitisse nisi adulteram, sanctos quoque Patres periisse in ejus sinu, si nemo, ut Novatores asserunt, saluti suæ consulere possit, nisi ab ea recesserit.

Objiciunt Cæremonias Ecclesiæ Romanæ simplicitati & paupertati Evangelicæ esse contrarias, vanitatem mundanam & pompam satanæ redolere,

re, plerasque à Gentilibus & à Judæis desumptas, earumque multitudine fideles obrui, contra Sancti Petri præceptum Act. 15. & Sancti Augustini doctrinam Epistola 154. aliàs 118.

R. 1. Pompa satanæ non est, quæ non in hominum, sed in Dei gloriam refertur. Quis enim nisi insipiens credat aurum, argentum, & gemmas ad solius hominis ornatum fuisse creata, cùm ipsemet Deus iis tabernaculum suum adornari præceperit, & ipsemet Christus Dominus simplicitatis & paupertatis amantissimus laudaverit Matth. 26. Mariam, quæ pretiosum unguentum super caput ejus effudit? An culpandi antiquiores Patres, qui Constantini magnificentiam in extruendis & adornandis Templis, laudaverunt & imitati sunt? Negari non potest præferendos esse pauperes, quando urget necessitas; sed huic pietatis officio non defuerunt S. Ambrosius, Augustinus, & quotquot sanctitate floruerunt. Si autem privati nonnulli contra mentem Ecclesiæ, hunc charitatis ordinem prætereunt, non est propterea scindenda unitas, nec eorum societate magis polluimur, quàm divitum communione, qui neglectis pauperum necessitatibus divitias coacervant.

R. 2. Cùm ratio naturalis multa reverentiæ interioris signa suggerat, qualia sunt sacrificia, prostrationes, &c. quid mirùm si Christiani ad veri Dei cultum referant, quæ Gentiles in superstitionem convertunt? Nonne Deus in veteri Testamento multa præscripsit, quæ in usu erant apud Gentiles? Addere licet, quod observarent SS. Patres, dæmonem Dei æmulatorem Judæorum cæremonias ad suum cultum sacrilegum transtulisse.

Q. 2.

Q. 2. *Cæremoniæ possuntne sine peccato omitti aut mutari extra casum necessitatis, per quemcunque Ecclesiæ Ministrum?*

R. Affirmant Novatores, modò id fiat sine scandalo. Contrarium definiit Tridentinum sess. 7. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Et sess. 22. can. 7. *Si quis dixerit, Cæremonias, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis: anathema sit.*

Q. 3. *Quare Ecclesia instituit Cæremonias?*

R. Triplici ex causa; 1. ut mysteriorum nostrorum commendetur dignitas, & debita ipsis reverentia excitetur. 2. ut in his visibilibus signis fideles tanquam in tabella accuratè depicta latentem mysteriorum virtutem & naturam deprehendant. Unde colliges, quòd quemadmodum intuentium oculos lædit, tabella rudiori & inerudita manu exarata; sic cæremoniæ deformem mysterii imaginem exhibent atque in contemptum vertunt, nisi sedulò cum dexteritate, & quadam venustate perficiantur. 3. Nonnullas etiam Cæremonias Ecclesia instituit ad sanctificationem quam habent cum Sacramentis, dicuntur sacramentalia; sunt enim signa quædam sanctitatis.

Q. 4. *Quot vulgò numerantur Sacramentalia?*

R. Sex numerantur hoc versiculo contenta;
Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, indicat orationem Dominicam; *tinctus*, aquam lustralem; *edens*, panem benedictum, qui & Eulogia ab antiquis dici solet; *confessus*, confessionem, quæ publicè fit die Jovis in Cœna Domini; *dans*, eleemosynam: *benedicens*, benedictonem Episcopalem.

Verùm cùm recitatio orationis Dominicæ, & largitio eleemosynæ, non sint ritus ab Ecclesia instituti, sed opera moralia, de iis non est hìc disserendi locus.

Q. 5. *Quomodo Sacramentalia producunt sanctitatem?*

R. 1. Certum est eam non producere ex opere operato; hæc enim efficacia propria est Sacramentorum, quæ Ecclesia non potest instituere, ut constat ex dictis.

R. 2. Ex Ecclesiæ precibus vim habent iis impetrandi gratias actuales, quibus applicantur; si enim privati per oleum, aquam, panem, & cætera à se benedicta, salutares effectus aliis obtinuerunt, ut de plurimis Sanctis fidem facit Historia Ecclesiastica; à fortiori ipsamet Ecclesia, in qua omnes Sancti continentur, id præstare poterit. Fideles ergo precibus & suffragiis Ecclesiæ adjuti, dum piè illa Sacramentalia adhibent, faciliùs doloris & contritionis, sive amoris divini motum concipiunt, quo vel delent peccata, vel in gratia crescunt. Unde sequitur Sacramentalia nonnisi ex opere operantis, & remotè sanctitatem producere.

Q. 6. *Estne antiquus usus ille Sacramentalium?*

R. Est antiquissimus.

1. Quoad benedictiones. In lege naturæ Sacerdos Melchisedech benedixit Abraham, Gen. 14.

In le-

In lege ſcripta Deus ipſe Num. 6. præſcribit Sacerdotibus Aaronicis formam benedicendi Iſraelitis, promittitque ſe confirmaturum eorum benedictiones, *& ego benedicam eis.* In nova lege ritus ordinationis Presbyterorum demonſtrat eis competere benedicendi poteſtatem, eamque Eccleſia ſuis precibus & ſuffragiis commendat his verbis: *Conſecrentur manus iſtæ, ut quidquid benedixerint, benedicatur.* In Concilio tamen Agathenſi initio ſexti ſæculi, prohibentur Presbyteri benedictionem dare ſuper plebem & pœnitentes, ut poteſtas illa Epiſcopis propria conſervetur. A tempore Apoſtolorum hactenus benedixerunt Presbyteri, tum Latini, tum Græci, eorumque benedictiones Deus nonnunquam miraculis confirmavit, & pro magno beneficio habuerunt etiam Imperatores, ſi ab Epiſcopis benedicerentur.

2. Duplex eſt aquæ benedictio, tum apud Latinos, tum apud Græcos. Alia ſolemnior, quæ in Eccleſia Latina celebratur pridie Paſcha & Pentecoſten ad fontem baptiſmalem: apud Græcos verò in Feſto Epiphaniæ, quæ ab ipſis *Theophania* dicitur: alia minus ſolemnis, quæ fit tum à Græcis, tum a Latinis diebus Dominicis. Dubitari autem non poteſt, quin prior benedictio fontis baptiſmalis ſit traditionis Apoſtolicæ, cùm illius meminerint antiquiſſimi Patres. De tempore, quo inſtituta fuit altera benedictio, non conſentiunt Theologi. Alii putant eſſe inſtitutam à S. Alexandro, qui vixit primo ſæculo, & ſedit initio ſecundi, probantque ſuam ſententiam ex ejus Decretali. Sed communiter rejiciuntur Summorum Pontificum Epiſt. Decretales quarto ſæculo antiquiores, tanquam ſuppoſitæ à quodam Iſidoro

Isidoro *Mercatore* nuncupato, ex eo quòd primus vitiosas illas merces advexerit. Bellarminus l. 3. de cultu Sanctorum c. 7. contendit in ea Decretali usum aquæ benedictæ tantùm præcipi, institutum verò esse ab Apostolis. Sed esto Ecclesia, non Apostoli, hanc benedictionem instituerit, satis est illam esse antiquissimam, ut constat ex Sacramentariis Latinis, & Euchologiis Græcorum.

Porrò in universa Ecclesia, hoc est, in Oriente & in Occidente, ex a qua benedicta sive solemniori, sive minùs solemni plebs secum deferebat, sicuti etiam nunc defert ad aspergendos cibos, agros, pecora, & eorum stabula, & ad arcendas à domiciliis infestationes dæmonum, ut constat tum ex Euchologiis Græcorum: tum ex antiquo ordine Romano, edito à Patre Mabillonio Ordinis S. Benedicti: tum ex lib. 7. Capitularium tit. 76. & ex Hincmaro Episcopo Rementi anno 852. cum hoc tamen discrimine, quòd cit. Capitularia velint hauriendam aquam ex sacro fonte ante chrismatis infusionem, Ordo verò Romanus post ipsam infusionem. Ex quibus mirari licet, quomodo pseudo-Apostolorum sæculi præcedentis insanus furor eò usque erumpere potuerit, ut affirmarent sacras illas benedictiones esse incantationes magicas. Quasi verò Christianus sui compos asserere audeat, nunquam veram Christi extitisse Ecclesiam: atqui nunquam extitisset, si, ut contendunt Novatores omnes, omnes Ecclesiæ Pastores à tempore Apostolorum ad eorum usque ætatem magicis artibus fuissent dediti.

3. Panis benedicti frequens est mentio apud Auctores quarti sæculi. Illius meminerunt S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis c. 26.

Paulinus Episcopus Nolanus in fine Epist. 25. inter Augustinianas, & ante eos Concilium Laodicænum canone 82. ubi prohibet ab Hæreticis Eulogias accipere, quod Martinus Braccarensis repetit cap. 70. circa annum 572. Gregorius Turonensis lib. 5. Histor. Franc. c. 14. ubi refert se Eulogias, quas prius dare recusaverat Mœrovæo à Sacerdotio apostatæ, tandem concessisse, quia minabatur aliquos de populo interficere. In Concilio Aquisgranensi cap. 64. anno 817. sancitum est pro Monachis, ut Eulogiæ fratribus, qui eo die non communicaverint, per manus Sacerdotis in refectorio distribuantur, quod etiam Hincmarus præstandum sanxit omnibus laicis.

Usus etiam Eulogiarum hactenus apud Græcos viguit, apud quos comeduntur in Ecclesia à jejunis non communicantibus, ut Eucharistiæ orbitatem utcunque compensent. Eulogiæ reverà sunt in supplementum Eucharistiæ, quæ dicebatur *fermentum:* quia sicut fermentum totam massam pervadit, sic Eucharistia Fidelibus distributa omnes in unum copulat, propterea que in signum unionis à Summo Pontifice, ministerio Acolythorum, ad Presbyteros urbanos mittebatur, ut constat ex prima Epist. Innoc. I. quarto sæculo ad Decentium Episcopum; *quia*, inquit, *urbani Presbyteri*, (Parochi) *ipsa die dominica, propter plebem creditam nobiscum convenire non possunt; idcircò fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maximè illa die, non judicent separatos.* Tum de rusticanis Presbyteris adjicit, *quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta . . . . Presbyteri eorum conficiendorum jus habent.*

Verùm,

Verùm, refrigeſcentente Fidelium devotione, obſolevit uſus domum aſportandæ Euchariſtiæ, quin Concilium Laodicenum illum prohibuit can. 14. his verbis, *quod ſancta nullo modo cauſa Eulogiarum tempore Paſchalis feſti ad alias Parochias debeant deſtinari.* Quare uſus Eulogiarum, ſive panis benedicti, tum apud Græcos, tum apud Latinos ſubſtitutus eſt; unde cùm ſpecialem benedictionem accipiat ad ſpirituales effectus, fovendamque unionem, quæ inter Fideles debet eſſe maxima, diſtribuendus non eſt animalibus, pro quorum pabulis alias benedictiones inſtituit Eccleſia. Imò nonniſi religioſa mente, tanquam ſacramentale quid ſumendus eſt, non miſcendus cum prophanis cibis, cautèque ſervandus, ne pereat, juxta laudati Hincmari decretum: *Micas*, inquit, *ne incautè defluant*, *accipiat* (Presbyter) *Panem illum ſanctum Fidelibus diſtribuens.* Atque hoc ad Religionis Chriſtianæ, & majorum noſtrorum mentem: at nunc, proh dolor! unitatis ſignum & inſtrumentum ambitio frequenter convertit in cauſam diviſionis & ſcandali; adeò ut jam non ſit Dominicam cœnam manducare, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 11.

4. Ritus confitendi peccata publicè, ſed generatim, in Cœna Domini, & continuò percipiendi à Sacerdote vel ab Epiſcopo, ſi adſit, benedictionem, quæ vulgò dicitur abſolutio, Gallicè *l' Abſolutè*, eſt umbra & repræſentatio ritus antiquioris, ſecundùm quem publicè pœnitentes, initio Quadrageſimæ è templo ejecti, hac die reconciliabantur, palàmque abſolutionis beneficium perfecta jam pœnitentia, conſequebantur. Porrò nihil eſt in hac Cæremonia: licèt non ad-

modùm antiqua, quod justè possint carpere Novatores. In illa siquidem fideles palàm se confitentur peccatores, à Deo veniam petunt, pro illis Ecclesia suis suffragiis intercedit, eosque per Ministrum suum benedicit; quæ omnia planè religiosa sunt, & ad pœnitentiam sanctiorisque vitæ consilium provocant.

Q. 7. *Estne conveniens in administratione Sacramentorum, & aliis Officiis Divinis, uti lingua Latina, quæ à pluribus sæculis peregrina est, & multis ignota?*

Hanc maximè causam recedendi à societate nostra prætexunt Novatores; quia, inquiunt, in Conventibus Papistarum, lingua tantùm orat, mens autem sine fructu est, cùm non percipiat id quod dicitur. Unde in Romanenses detorqueri licet, quod Christus Dominus Judæis olim exprobrabat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem longè est à me.* Hunc abusum (pergunt illi) multis & gravissimis verbis reprehendit Apostolus, adeò ut secundùm ipsum insanire, & in aera loqui videantur, qui peregrino orant idiomate, 1. Corinth. 34. v. 9. 14 & 23. Sed meritò ipsis tribuendum est illud Proverb. 18. *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico, & omni tempore erit exprobrabilis.*

1. Namque usus idiomatis vulgaris, & omnibus noti impossibilis est in Conventibus publicis, ad quos conveniunt, vel saltem conveniendi jus habent Fideles diversi idiomatis. Supponatur quòd Romæ, & in tota Italia divina Officia celebrentur idiomate Italico, & Parisiis, sive per totam Galliam Gallico, nonne hæc lingua vulgaris, magis erit ignota Germanis, Hispanis, & aliis Nationibus in illis regionibus peregrinis, quàm Latina? Latina enim in toto Occidente à pluri-

pluribus dicitur, vulgaris verò vix à quoquam extraneo, imò in eodem regno, puta Francorum, pro diverſitate Provinciarum, diverſa ſunt idiomata. Pariſienſes v. g. non norunt idioma Aquitanorum, Amoricorum, Arvernorum. Nunquid hi omnes, qui frequenter inter ſe in civilibus communicant, in ſpiritualibus ſeparabuntur propter diverſitatem idiomatum? Meritò itaque Eccleſia Romana retinuit uſum Linguæ Latinæ, ſicut & Orientalis Græcæ, licèt ambæ Linguæ non ſint ampliùs vulgares.

2. Novatores non fugiunt Conventus Religioſos propriæ ſectæ, etiamſi celebrentur lingua, ut plurimum ignota: Galli Calviniſtæ, v. gr. dum peregrinantur in Anglia, in Germania, &c. conveniunt cum Anglis & Germanis ad Officia divina, quamvis lingua magis illis ignota, quàm Latina ibi perſolvantur. Cur idem nobiſcum non factitant?

3. Mutatio, quæ frequenter accidit in lingua vulgari, efficit ut verba & nomina obſoleta ſermonem ingratum, barbarum & contemptibilem reddant, hoc conſtat ex Libris Ritualibus, qui Gallico idiomate à duobus ſæculis ſunt typis mandati; vix enim legi poſſunt, quin lector aut auditor ad riſum moveatur, ſicque auguſtiora noſtra Myſteria barbaro illo idiomate explicata manifeſto contemptui exponerentur.

Nec dicant Adverſarii novos libros identidem cudendos; namque 1. novitas & mutatio in rebus ad Religionem pertinentibus, Fidelium animos offendunt. 2. Verſiones difficiles ſunt & periculoſæ, nec publicæ proponendæ, niſi à ſapientioribus priùs approbatæ fuerint; mutatio enim ver-

verborum ſæpè ſenſum mutat, aut etiam deſtruit. Vix autem iſta poſſe obſervari in multis Diœceſibus, nemo eſt qui non intelligat. 3. Inopia Eccleſiarum, incuria & negligentia populorum, nonnunquam etiam Paſtorum, obſtant quominus novi cudantur libri.

Reſpondeo ad momenta ex Epiſt. ad Corinthios adducta, Apoſtolum ibi concedere uſum linguæ peregrinæ in Conventibus Eccleſiaſticis, modò unus adſit, qui interpretur, ſolùmque reprehendere Corinthios, quòd omnes æmularentur diverſis loqui linguis, ex quo neceſſe erat naſci confuſionem, qualis eſſe ſolet inter inſanientes. At in Eccleſia Romana, ſicut una omnium fides, & unum corpus myſticum, ſic omnes unum Deum laudant uno ore & una lingua, quæ quamvis pluribus ſit ignota, adeſt tamen interpres; nam Paſtoris præcipuum officium eſt ſingulis diebus Dominicis & feſtis explicare Verbum Dei, ritum ſacrificii, & cætera, quæ fiunt in Eccleſia, quin & negligentes Paſtores, ſi qui ſint, ſeveriſſimis pœnis ab Epiſcopis urgendos præcipit Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 8. Adde preces Eccleſiæ Lingua vulgari redditas eſſe in omnium manibus; quapropter idiotæ ſcienter reſpondere poſſunt *Amen* ad Sacerdotis benedictionem, quamvis nec temerè reſponderent, etiamſi eam non intelligerent; norunt enim hujuſmodi preces eſſe ab Eccelesia approbatas, nihilque continere falſi & impii. At Corinthiis priùs probandi erant ſpiritus, ut monet Sanctus Joannes, cap. 4. 1. ſuæ Epiſtolæ, num ſcilicet, ii à Deo, vel à dæmone inſpirati eſſent, qui inſolita & omnibus ignota Lingua, abſente Interprete, loquebantur; unde

unde idiota ante illud examen prudenter non poterat respondere *Amen.*

Q. 8. *Estne tolerandus cantus in Officio publico, & usus Instrumentorum Musicorum?*

R. Psalmi, qui ex sancto Augustino sunt lingua, qua universalis Ecclesia laudes Dei celebrat, nos excitant ad laudandum Deum in sono tubae, in psalterio, & cythara, in chordis, & organo, Psalm. 150. Horum usus frequens erat apud Judæos, ut constat ex libri secundi Regum cap. 6. & libri 1. Paralip. cap. 25. Organa tamen, & cætera musica instrumenta, primis Ecclesiæ sæculis in Ecclesia videntur incognita; Fideles quippe in criptis & speluncis sine multo apparatu sacra celebrabant: *Nonne*, inquit sanctus Augustinus enar. 2. in Psal. 31. *id egit institutio in nomine Christi vigiliarum istarum, ut ex isto loco cytharæ pellerentur?* Horum tamen Fortunatus Pictaviensis sexto sæculo meminit lib. 2. can. 1. Sed eorum usus non ita fuit universaliter receptus, quin sæculo 13. visa sint S. Thomæ parum congruere moribus Christianorum; sic enim scribit 2. 2. quæst. 19. art. 2. ad 4. *Hujusmodi musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quàm per ea formetur intus bona dispositio; in veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum: tum quia populus erat magis durus & carnalis: tum etiam quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Quare nonnullæ Congregationes Regulares strictioris observantiæ organa in suis Oratoriis non admittunt. Posteriora tamen Concilia tolerarunt, solumque prohibuerunt, ne profana sacris admisceantur, quales sunt concentus, qui voluptatem magis, quàm devotionem provocant, & omnia instrumenta, quæ

ad choreas, ludos theatrales, & mundanas sæculi pompas inservire consueverunt.

Cantus verò ad pietatem fovendam compositus, fuit apud Christianos semper in usu, ut colligere licet ex Tertulliano, qui cap. 2. Apologetici refert Plinium juniorem ad Trajanum scripsisse, quòd inquirens in mores Christianorum, nihil de his compererit, præter obstinationem non sacrificandi, & cætus antelucanos ad canendum Deo. Sanctus Hieronymus epistola 17. de incolis Bethlehem, sic scribit: *Extra Psalmos silentium est quocunque te verteris, arator stivam tenens*, Alleluja, *decantat: sudans messor Psalmis se avocat; hæc sunt in hac Provincia carmina, hic Pastorum sibilus.* Et hæc quidem secundùm Apostoli institutum ad Colossenses 3. *Verbum Christi*, inquit, *habitet in vobis abundanter, docentes & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Quàm autem efficaces sint cantus in Divinis Officiis adhibiti, expertus est sanctus Augustinus lib. 4. Confess. c. 6. ubi sic Deum alloquitur, *quantùm flevi in hymnis & Canticis tuis; suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter.* Sed quàm diligenter in his cavenda sit sensuum delectatio, quæ mentem deprimit, monet lib. 10. Confessionum cap. 33. ubi sic scribit: *Cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res, quæ cantatur, moveat, pœnaliter me peccasse confiteor . . . . aliquando hanc ipsam fallaciam* (aurium delectationem) *immoderatiùs cavens erro nimia severitate: sed valde interdum, ut melos omne Cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri*

veri velim, atque ipsius Ecclesiæ, tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpè mihi dictum commemini, qui tam modico flatu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti. Notent hæc sancti Doctoris verba, tum qui melodiam componunt, præsertim ad aures mulcendas, tum qui ad Ecclesiam confluunt, tanquam ad spectaculum theatricum voluptatis capiendæ gratia, cui verus Christianus nusquam servit, sed multò minùs in Templo, in quo sicut in cœlo debet adesse, nempè ad laudandum Deum reverentia & tremore. Quapropter ne mentes fidelium aliò avocentur, Concilium Braccarense II. anno 567. statuit can. 12. ne quidquam poeticè compositum in Ecclesia psallatur, sed anno 633. Toletanum IV. can. 13. versus humano studio compositos rejiciens, excipit quos beatissimi Doctores Hilarius & Ambrosius ediderunt: *Amica & familiaris est oratio Deum de suo rogare*, inquit S. Cyprianus libro de Oratione Dominica.






Tractatus DE BAPTISMO.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, existentia, & definitione Sacramenti Baptismi.

Q. 1. *Unde nomen Baptismi?*

R. A nomine Græco Βαπτισμὸσ, quòd Latinè significat immersionem, seu ablutionem.

Hinc Baptismata dicuntur quæcunque ablutiones etiam profanæ, ut usus balneorum, 2. Esdræ 4. lotiones calicum, & aliorum hujusmodi vasorum, Marci 7. Sed apud Auctores Ecclesiasticos, Baptismus est ablutio ad Religionem pertinens, de qua hìc agitur.

Q. 2. *Quotuplex est Baptismus hoc posteriori modo?*

R. Triplex. Primus dicitur baptismus sanguinis,

nis, quod eſt martyrium: ſecundus baptiſmus flaminis, quod eſt votum, ſeu deſiderium recipiendi Sacramentum Baptiſmi: tertius, baptiſmus aquæ, quod eſt primum novæ Legis Sacramentum, de quo hìc eſt Tractatus.

Q. 3. *Quare martyrium, & votum Baptiſmi dicuntur baptiſmata, ſeu ablutiones?*

Metaphoricè ita vocantur; quia in caſu neceſſitatis, ubi non eſt facultas ſuſcipiendi baptiſmum aquæ animam mundant à peccato, ut infrà dicetur; ſicque ablutiones quædam ſunt metaphoricæ. Dicuntur etiam Sacramentum baptiſmi in voto, propter deſiderium hujus Sacramenti in illis conceptum, quamvis rectiùs ea appellaveris votum ſacri Baptiſmi; reverà enim Sacramenta non ſunt, cùm non ſint ſacri ritus externi à Chriſto Domino inſtituti.

Q. 4. *Quomodo probatur Baptiſmum eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum?*

R. Probatur 1. ex Scriptura Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ex quibus textibus hic conficitur ſyllogiſmus.

Tria requiruntur ad Sacramentum novæ Legis. Primum, ut ſit ritus externus à Chrìſto Domino inſtitutus: ſecundum, ut ritus ille habeat promiſſionem gratiæ ſanctificantis; tertium, ut extet mandatum illius obſervandi; atqui hæc tria exprimuntur in illis textibus. 1. Ritus abluendi aqua ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. 2. Promiſſio gratiæ ſanctificantis: talis enim ablutio dicitur regeneratio in Spiritu Sancto. 3. Mandatum

datum obſervandi illam ablutionem : *Docete*, inquit, ... *baptizantes*, quod ita neceſſarium præcipitur, ut ſine eo non pateat ingreſſus in regnum Cœlorum.

Probatur 2. ex conſtanti Traditione univerſalis Eccleſiæ, quæ ſemper ritum baptizandi obſervavit, atque in hac parte nobis conſentiunt Novatores.

Q. 5. *Quot nominibus donatur Sacramentum Baptiſmi ?*

R. Tribus potiſſimum.

1. Dicitur Sacramentum regenerationis, ſeu renovationis : *Salvos nos fecit*, inquit Apoſtolus 3. ad Titum, *per lavacrum regenerationis*, *&* *renovationis Spiritus Sancti*. Hinc dicitur etiam Sacramentum adoptionis ; quia cùm eſſemus natura filii iræ, Epheſ. 2. in hoc Sacramento Deus per gratiam ſanctificantem, qua efficimur ejus divinæ conſortes naturæ, 2. Petri cap. 1. adoptat nos in filios & hæredes regni ſui.

2. Nominatur illuminatio ex S. Juſtino apolog. 2. juxta illud Apoſtoli Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos*, *qui ſemel illuminati ſunt* (ideſt baptizati) *& prolapſi ſunt*, *rurſus renovari ad pœnitentiam*. Ideo autem ſic vocatur Baptiſmus, quia per ipſum infunditur lumen fidei.

3. Vocitatur ab Apoſtolo, Rom. 6. mors, ſepultura, reſurrectio ; quia in Baptiſmo peccatis morimur, exuimus veterem hominem, & novum induimus : *Conſepulti enim ſumus*, inquit, *cum illo* (Chriſto) *per baptiſmum in mortem*, *ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris*, *ita & nos in novitate vitæ ambulemus*.

Q. 6.

Q. 6. *Quomodo definitur Sacramentum Baptismi?*

R. Definitur à S. Thoma post Magistrum Sententiarum, ablutio exterior facta sub præscripta forma verborum: à Theologis vulgò Sacramentum novæ Legis ad spiritualem hominis regenerationem, à Christo institutum.

Q. 7. *Quandonam Christus Dominus instituit Sacramentum Baptismi, an ante, an post Passionem?*

R. 1. Neque ex Scriptura, neque ex Traditione id manifestè constat. Unde sancti Patres & Theologi in oppositas abeunt sententias. S. Chrysostom. homil. 28. in Joan. & post eum Theophylactus & Euthymius, S. Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, auctor Commentariorum in epist. ad Rom. cap. 4. apud S. Ambrosium; Alensis, Melchior Canus, existimant post Passionem fuisse institutum, in quam sententiam propendet Tertullianus lib. de Baptismo cap. 11. Contra verò S. Augustinus variis in locis, & præsertim epist. 265. aliàs 208. & tract. 5. in Joan. Magister Sententiarum in 4. distinct. tertia, S. Thomas & alii Theologi communiter contendunt Christum Dominum ante Passionem Baptismum suum instituisse.

R. 2. Ex Scripturis erui videtur Sacramentum Baptismi ante Passionem fuisse institutum.

Probatur 1. ex cap. 3. Joan. vers. 22. baptizabat Jesus, saltem per manus discipulorum suorum, ut habetur Joan. 4. vers. 2. atqui non baptizabat Baptismo Joannis, sed suo. Judas baptizavit, inquit S. Augustinus, sed Baptismo Christi. Id autem evincitur ex invidia Discipulorum Joannis cit. cap. 3. vers. 26. si enim Discipuli Christi baptizassent Baptismo Joannis, non ipse

ipse Christus, sed Joannes dictus fuisset post eos baptizasse; sicque nulla fuisset discordiæ & invidiæ causa; cùm in illa hypothesi Christus Dominus sectator, & Discipulus Joannis visus fuisset: Ergo in nomine Christi baptizabant Apostoli.

Probatur 2. Joan. 13. Petrus dicitur lotus, & ea lotione à peccato mundatus: atqui non erat mundus à peccato per baptismum Joannis, cùm efficaciam non haberet, ut mox dicetur: ergo lotus erat Baptismo Christi, quem propriis manibus Christus ipsi contulit, cæteris verò Apostolis manibus Petri, si vera sit Epistola Evodii secundi post sanctum Petrum Episcopi Antiocheni, quam refert Nicephorus lib. 2. hist. cap. 3.

Probatur 3. Apostoli ordinati sunt Sacerdotes, & Eucharistiam sumpserunt ante Passionem, nimirum in ultima cœna: atqui non fuissent capaces horum Sacramentorum, nisi priùs tincti Baptismo Christi, ut ratiocinatur sanctus Augustinus, epist. 153.

Tempus autem instituti Baptismi certò assignari non potest. Tum quidem adumbratus est, cùm à Joanne baptizatus est Dominus; in eo siquidem sensibiliter apparuerunt tres Sanctissimæ Trinitatis Personæ: audita est vox Patris; demonstratus est Filius, visus est Spiritus Sanctus in specie Columbæ. Denique ex S. Ambrosio lib. 3. in Lucam baptizatur Christus, non mundari volens, sed aquas mundare, ut baptismatis jus haberent. Unde sanctus Thomas, & alii communiter Theologi suspicantur Christum Dominum circa illud tempus, priusquam prædicationis officium inchoaret, Baptismum suum instituisse.

Dices

Dices 1. Per Baptiſmum myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis propalatur; atqui ante Paſſionem non fuit propalatum; prohibuit enim Chriſtus Matth. 16. ne Apoſtoli cuiquam dicerent, quod ipſis per Petrum innotuerat: & cap. ſequenti, ubi de myſterio Transfigurationis, ait: *Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat:* Ergo.

Diſtinguo majorem: Propalatur obſcurè, ſicut propalatum eſt, quando Chriſtus Dominus fuit à Joanne baptizatus, Concedo: Clarè & diſtinctè explicando, quod tres Perſonæ realiter diſtinctæ in unitate naturæ ſubſiſtant, Nego major. Similiter diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia.

Dices 2. In Baptiſmo Chriſti datur Spiritus Sanctus: atqui Spiritus Sanctus non eſt datus, niſi poſt reſurrectionem, ex capite 7. Joannis; donum enim illud eſt effectus Paſſionis Chriſti: Ergo.

Diſtinguo minorem cum S. Auguſtino tract. 32. in Joann. non eſt datus ſenſibiliter, cum tanta effuſione, & cum illis portentis, quæ contigerunt die Pentecoſtes, Conc. Inſenſibiliter, Nego min. Quis enim crediderit Chriſtum miniſtraſſe Euchariſtiam Spiritu vacuam, S. Joannem Baptiſtam, & quotquot præceſſerunt electi, ſine Spiritu Sancto inhabitante fuiſſe juſtos? Porrò Baptiſmus licèt tempore Paſſionem præceſſerit, ex ea tamen futura, tanquam ex cauſa morali & meritoria, hauriebat vim ſuam, ſicut profeſſio fidei, quam diximus, ubi de Sacramentis in genere, inſtitutam tempore legis naturæ ad delendum peccatum originale.

Q. 8. *Differuntne Baptiſmus Chriſti Domini & Joannis?*

R. Patet differre ex cap. 19. Act. ubi Diſcipuli tincti ſolo Baptiſmate Joannis, jubentur baptizari Baptiſmo Chtiſti: ergo Baptiſma Chriſti non eſt idem cum Baptiſmate Joannis. Ita ratiocinatur S. Auguſt. tract. 5. in Joan. & libro 5. de Baptiſmo cap. 9.

Q. 9. *Quod eſt diſcrimen inter Baptiſmum Chriſti & Joannis?*

R. Tripliciter differt. 1. Baptiſmus Joannis non erat Sacramentum, utpotè qui non eſſet ſignum permanens; vix enim duravit uno, aut altero anno. 2. Alio ritu peragebatur, nulla in eo invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis: imò verborum expers erat, Joannes quidem hortabatur populum, ut crederet in eum, qui poſt ſe erat venturus, Actuum 19. Sed credendum non eſt ipſum baptizando hæc verba pronuntiaſſe tanquam formam ſui Baptiſmi, cùm non convenirent Chriſto, quem baptizavit. 3. Non dabat Spiritum Sanctum.

Poſſunt & alia diſcrimina afferri, nimirùm Joannes non Diſcipulorum, ſed propriis tantùm manibus baptizabat, nec niſi adultos; quia Baptiſmus ejus erat in pœnitentiam, cujus capaces non erant parvuli: at Baptiſmus Chriſti poteſt conferri parvulis, non ſolùm manibus Miniſtrorum, ſed & cujuslibet hominis, ſaltem in caſu neceſſitatis, ut infrà dicetur.

Q. 10. *Nullane efficacia competebat Baptiſmo Joannis?*

1. Novatores præſtructo fundamento erroneo, hominem ſola fide juſtificari, concludunt Baptiſ-

mum

mum Chriſti & Joannis paris fuiſſe virtutis. Ita Melanchton Lutheri collega in locis communibus, tit. de Bapt. Calvinus in Commentariis in Acta Apoſtolorum: hunc errorem directè impetit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. de Bapt. his verbis: *Si quis dixerit Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.*

2. Quamvis nullus ex orthodoxis Doctoribus Baptiſmum Joannis virtute adæquet Baptiſmo Chriſti, attamen nonnulli videntur ipſi tribuere inferiorem quandam vim ad delenda peccata. Per Baptiſma Joannis, inquit S. Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſi 2. dabatur remiſſio peccatorum: per Baptiſmum Chriſti adoptio filiorum. Item Optatus Milevitanus, lib. 5. adverſus Parmenianum, ſcribit Baptiſmum Joannis peccata deleviſſe. In eadem ſententia fuiſſe videntur Lactantius lib. 4. Inſtitut. cap. 15. & Prudentius in hymno, *ó Nazarene.*

Non eſt cur anxiè laboremus cum quibusdam Theologis, ad ſuadendum laudatos Auctores intelligendos eſſe de efficacia, quæ ſit propria virtutis pœnitentiæ, ad quam Joannes hortabatur ſuis prædicationibus, & præparabat ſuo Baptiſmo, juxta illud Marc. 1. *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Atque ideò Baptiſmus ejus non proximè, & ex opere operato; ſed remotè, & ex opere operantis mundabat à peccato. Non eſt, inquam, cur laboremus ad probandum hanc eſſe ſententiam laudatorum Auctorum; hæc enim difficultas non pertinet ad dogma fidei, eamque prudenter Tridentini Patres in citato canone declinaverunt. Ipſe quoque Sanctus Auguſti-

nus lib. 5. de Bapt. cap. 10. liberum relinquit credere Baptismum Joannis vim habuisse dimittendi peccata (quamvis contrarium ipse opinaretur) modò virtus major concedatur Baptismo Christi; verba ejus sunt: *Ne quisque contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed.... ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus Apostolus denuò baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

Attamen verior, & Scripturæ conformior est sententia, quæ Baptismo Joannis negat omnem efficaciam ex opere operato ad delendum peccatum. Quare ad propositam quæstionem

R. Baptismus Joannis non solùm eandem vim cum Baptismo Christi non habuit, ut fides docet, sed nec ullam per se, & ex opere operato efficaciam habuit ad delendum peccatum. Duæ sunt responsionis partes; sed iisdem suadentur argumentis.

Probatur itaque 1. ex Scriptura, ubi ipse Joannes monet se baptizare tantùm in aqua, eum verò, qui venturus est post se, baptizaturum in Spiritu Sancto, Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est...... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Eadem refert sanctus Lucas, cap. 3. vers. 16 Marc. 1. *Fuit Joannes in deserto baptizans & prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ex quibus sic argumentari licet pro prima parte responsionis:

Illa baptismata vim eandem non habent, quorum unum dat Spiritum Sanctum, aliud verò non: atqui Baptisma Christi Domini dat Spiritum

tum Sanctum; Baptisma verò Joannis mimine: Ergo.

Item prò secunda parte responsionis, illud Baptisma per se nullam vim habet delendi peccatum, quod Spiritum Sanctum non confert; nulla enim potest esse remissio peccatorum sine Spiritu Sancto: atqui Baptisma Joannis non confert Spiritum Sanctum: Ergo.

Nec audiendi sunt Novatores, si dixerint Joannem non loqui de Sacramento Baptismi, sed de descensu Spiritus Sancti die Pentecostes; quem vocat Baptismum in igne, juxta illud Christi Domini, Act. 1. vers. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Quamvis enim verum sit mirabilem illum descensum vocari metaphoricè Baptisma, non potest tamen dici nullum aliud Baptisma, propriè dictum dare Spiritum Sanctum, & ad solum diem Pentecostes respexisse Joannem; namque 1. aqua Baptismi habet vim regenerativam: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. atqui aqua vim regenerativam non habet, nisi à Spiritu Sancto, undé protinus subditur eo loci, *& Spiritu Sancto.* 2. Præceptum est omnibus, ut renascantur ex aqua, & Spiritu Sancto: atqui descensus Spititus Sancti in igne non omnes spectat, sed solos Discipulos Christi, Jerosolymis congregatos: ergo, ut quis sive adultus, sive parvulus introire possit in regnum cœlorum, debet baptizari, & accipere Spiritum Sanctum in alio symbolo, quàm in symbolo ignis.

At, inquies, Joannis Baptismus de cœlo erat, Matth. 21. vers. 25. ergo per se delebat peccatum.

Nego conſeq. Nonne etiam lex vetus de cœlo erat; an propterea tribuebat Spiritum Sanctum, & remiſſionem peccatorum? de cœlo itaque erat Baptiſmus Joannis; quia à Deo inſpiratus, & non ab hominibus excogitatus. Divinus erat mandato, non poteſtate, ait Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 10. nihil enim cœleſte præſtabat, ſed cœleſtibus præminiſtrabat. Agebatur Baptiſmus pœnitentiæ quaſi Candidatus remiſſionis & ſanctificationis ſecuturæ.

Probatur 2. ex Patribus, Tertull. cap. 10. de Bapt. mox citato, S. Chryſoſtomo hom. 10. in Matth. *Spiritus Sancti gratia in Chriſti Baptiſmate eſt, Joannis verò Baptiſma hac donatione privatur.* S. Hieronymo Dialogo contra Luciferianos: *Si Joannes, ut confeſſus eſt, non baptizavit in Spiritu, conſequenter nec peccata dimiſit.* S. Auguſtino enchirid. cap. 49. *non .... renaſcebantur, qui Baptiſmate Joannis baptizabantur,* ſed Chriſto, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur.

Dices: S. Ambroſius libro de Spiritu Sancto cap. 3. & in cap. 3. Epiſt. ad Galatas, item S. Hieronymus in cap. 2. Joelis, & in cap. 1. ſancti Marci, docent ideò Paulum Act. 19. juſſiſſe baptizari in nomine Chriſti, qui jam tincti fuerant à Joanne, quia legitimum Joannis Baptiſma non acceperant. *Ideo*, inquit S. Ambroſius, *Spiritum Sanctum neſciebant, quia nec Baptiſmum in Chriſti nomine, ſicut Joannes dare ſolebat, acceperant.* Ex quibus textibus Magiſter Sententiar. ſic concludit diſt. 2. lib. 4. *Illi qui baptizati ſunt à Joanne, neſcientes Spiritum Sanctum eſſe, ac ponentes ſpem in illius Baptiſmo, poſtea baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti. Illi verò qui ſpem non poſuerunt in Baptiſmo Joannis, &*

Patrem,

Patrem, *&* *Filium*, *&* *Spiritum Sanctum credebant*, *non baptizati fuerunt.* Ergo Baptiſmus Joannis ſufficiebat ad ſalutem, ac proinde remittebat peccata.

Diſtinguo conſeq. Remittebat peccata ratione pœnitentiæ, modò perfecta eſſet, & eo ſenſu ſufficiebat ad ſalutem, nondum promulgato Evangelio, Conc. Sed Doctores laudati imperfectam putabant pœnitentiam ſine fide in Spiritum Sanctum: dimittebat peccata per ſe immediatè, & ex opere operato, Nego conſeq. Et quidem ad mentem ſanctorum Doctorum. De S. Hieronymo jam conſtat ex citato Dialogo contra Luciferianos. De ſancto vero Ambroſio, probatur ex Præfatione in Pſal. 37. ubi opponens Baptiſmum Joannis Baptiſmo Chriſti, dicit in priori ſolam Pœnitentiam operari, in poſteriori verò gratiam: *Supplicia*, inquit, *prævidet qui baptizatur Baptiſmo pœnitentiæ. At verò ille gratiam ſpectat qui baptizatur in Chriſto.* Itaque duas ob cauſas tincti à Joanne, Act. 19. videri poterant rurſus tingendi Baptiſmo Chriſti, 1. Quia non erant juſtificati, utpote qui neſcientes Spiritum Sanctum, ad perfectam pœnitentiam commoveri non potuerint: *Spiritum Sanctum neſciebant*, inquit S. Hieronymus loco citato, *iterùm baptizantur*, *ne quis putaret Gentibus*, *ac Judæis aquas ſine Spiritu Sancto ad ſalutem poſſe ſufficere.* 2. Quia jam promulgato Evangelio die Pentecoſtes, Baptiſmus Chriſti erat neceſſarius, neceſſitate quidem præcepti iis, qui jam juſtificati fuerant, cæteris verò neceſſitate medii, ut infra dicetur. Porrò laudati Doctores priori hærent rationi, cùm ſola ad propoſitum conferret. Quare eorum mentem minimè

aſſecutus Magiſter Sententiarum, eruit concluſionem, quæ communiter ab omnibus Theologis rejicitur. Opera verò in Epiſtolas ſancti Pauli, & in Evangelium ſancti Marci in objectione citata, falsò laudatis Doctoribus adſcribuntur, cum erroribus ſcateant.

CAPUT II.

De materia Baptiſmi.

Q. 1. *Quotuplex eſt Baptiſmi materia?*

R. Duplex, remota & proxima.

Q. 2. *Quænam eſt materia Baptiſmi remota?*

Lutherus primò dubitavit an Baptiſmus ſine aqua collatus eſſet validus: deinde admiſit collatum in lacte, & cerviſia, ac omni liquore, quo ablui poſſumus.

Contra hunc errorem extat canon 2. ſeſſ. 7. Concilii Tridentini de Baptiſmo: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque adeò verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti*, niſi quis renatus fuerit, &c. *ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit.* Itaque ad propoſitam quæſtionem

R. De fide eſt, aquam veram propriè dictam, eſſe materiam neceſſariam Baptiſmi.

Probatur ex Scriptura, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quòd autem aqua hic non metaphoricè, ſed propriè determinata ſit à Chriſto pro materia neceſſaria Baptiſmi, conſtat 1. quia Apoſtoli ita intellexerunt: Actuum 8. Philippo annuntiante neceſſitatem Baptiſmi, dixit Eunuchus:

chus: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* ſubditurque, *deſcenderunt uterque in aquam ...... & baptizavit eum.* Item in capite 10. verſ. 47. Petrus, effuſa viſibiliter ſupra Cornelii familiam Spiritus Sancti gratia, intulit, *nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos?* 2. Eadem aqua baptizavit Chriſtus Dominus, qua baptizatus eſt à Joanne, ut conſtat, tum ex ſanctis Patribus, qui communiter docent aquas contactu ſacratiſſimi Corporis Chriſti accepiſſe vim ſanctificandi: tum ex quæſtione mota inter Diſcipulos Joannis ob ſimilitudinem inter Baptiſmum Chriſti, & Magiſtri, Joan. 3. verſ. 26. 3. Univerſalis Eccleſia aquam propriè dictam, tanquam ad baptiſmum neceſſariam, ſemper adhibuit, damnavitque uti hæreticos, qui ea rejiciebant, ut Cajanos, ex Tertulliano, libro de Baptiſmo cap. 1. Manichæos, ex ſancto Auguſtino libro de hæreſibus capite 46. & Seleucianos ex eodem ſancto Doctore libro citato, cap. 59.

Dices: Stephanus III. dum in Gallia degeret anno 754. conſultus de Presbytero, qui in caſu neceſſitatis infantem vino baptizavit, deficiente aqua, reſpondit, nulla ei (Presbytero) exinde adſcribitur culpa; infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo; nam ſi aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur. Item Nicephorus libro 3. hiſt. cap. 37. narrat Judæum defectu aquæ, arena fuiſſe baptizatum.

R. Ad primum; 1. Reſponſum illud multis videri ſuppoſititium, vel ſaltem dubium: tum quia Scriptores contemporanei illius non memi-

nere, nec habetur in Collationibus canonum Gallicanæ & Romanæ Ecclesiæ; tum quia ex tribus Codicibus, qui illud referunt, alii tribuunt Syricio, alii Stephano III. alii Stephano Tornacensi. 2. Supposita veritate historiæ responsum Summi Pontificis spectat solùm Presbyteri actionem, de qua erat quæstio, censetque in his circumstantiis non mereri pœnam excommunicationis. Addo verba illa, quæ parenthesi clauduntur, *infantes sic permaneant in suo Baptismo*, videri ab imperitis esse inserta, vel saltem culpa Librariorum mendum irrepsisse. Quidquid sit, non hìc Ecclesiæ, sed Summi Pontificis causam propugnamus, ne scil. videatur errasse recedendo à communi doctrina cæterorum Pontificum, qui Decretis suis definierunt non minùs necessariam esse aquam ad veritatem Baptismi, quàm invocationem SS. Trinitatis, Baptismumque iterandum, si alio liquore fuerit celebratus. Ita Innocentius III. libro 3. Decretal. tit de Baptismo.

R. Ad secundum, vera sit Nicephori Historia, quam eruditi falsam meritò suspicantur: nihil ex ea contra doctrinam Catholicam concludi potest; cùm Baptismus sic collatus, ab Episcopo irritus fuerit declaratus.

Ex his sequitur 1. Aquam ex herbis, rosis, & aliis floribus expressam, etiamsi lavet, non esse materiam aptam ad Baptismum, quia Christus Dominus determinavit pro materia hujus Sacramenti aquam propriè dictam; hujusmodi autem succi, non magis propriè dici possunt aqua, quam vinum, quod ex vite exprimitur. Idem esto judicium de saliva, sudore, lacrymis, &c.

Sequi-

Sequitur 2. omnem aquam propriè dictam, cujuſcunque ſpeciei ſit, valere ad Baptiſmum: *Nulla diſtinctio eſt*, inquit Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 4. *mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.*

Sequitur 3. ſecundùm doctrinam S. Thomæ hìc artic. 7. in qualibet aqua, qualitercunque tranſmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poſſe fieri Baptiſmum; ſpeciem autem aquæ non ſolvi, niſi quando liquoris, qui aquæ admiſcetur, quantitas ſuperat quantitatem aquæ. Ex quo ſequitur (concludit S. Doctor.) 1. Admixtione chriſmatis, decoctione carnium, aut aliorum hujuſmodi non ſolvi ſpeciem aquæ, niſi fortè ſit facta tanta reſolutio lixatorum in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de aqua, quod ex ſpiſſitudine percipi poteſt. 2. Lixivium, & aquam ſulphuream balneorum ad baptizandum aſſumi poſſe.

CAPUT III.

Quænam ſit materia proxima Baptiſmi?

R. Ablutio eſt proxima Baptiſmi materia; quia uſus & applicatio materiæ remotæ in quolibet Sacramento dicitur materia proxima: atqui ablutio eſt uſus, & applicatio aquæ, quia diximus remotam Baptiſmi materiam: Ergo.

Q. 2. *Quotuplici modo poteſt fieri ablutio?*

R. Triplici. 1. Immerſione, trina, vel unica. 2. Infuſione. 3. Aſperſione.

Q. 3. *Quælibet ex recenſitis ablutionibus ſufficitne ad veritatem Baptiſmi?*

Græci Schismatici contendunt contra Latinos, trinam immersionem, saltem ex præcepto divino esse necessariam. Unde Marcus Ephesinus, soluto Concilio Florentino, in Epistola Encyclica ad omnes orbis Episcopos, arguit Orientales quasi duo Baptismata admiserint, contra illud Apostoli, Ephes. 4. *Unum Baptisma*, dum fœdus cum Latinis in laudato Concilio hac inierunt conditione, quòd unaquæquæ Ecclesia baptizaret secundùm morem suum, Græca per trinam immersionem, Latina per infusionem.

Porrò Græci his præsertim nituntur momentis.

1. Baptismus, secundùm etymologiam & usum nominis apud Judæos, significat immersionem.

2. Christus Dominus per immersionem à Joanne baptizatus est; legitur enim Matth. 3. vers. 16. *Baptizatus .... Jesus confestim ascendit de aqua.*

3. Per immersionem baptizarunt Apostoli, ut patet ex c. 8. Act. ubi dicitur de Philippo & Eunucho, quòd *descenderunt uterque in aquam.*

4. Baptismus celebratur in signum mortis & sepulturæ Christi, Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum*, &c. Atqui hæc significatio non servatur nisi immersione: Ergo.

5. Quod semper & ubique, & ab omnibus servatum est, censetur divinitus traditum, ex Vincentio Lirinensi: atqui ab Apostolis usque ad decimum tertium sæculum in Ecclesia Latina, in Græca verò ad hunc usque diem, Baptismus per immersionem est celebratus. Can. 5. Apostolorum deponitur Presbyter, qui semel in Baptismo mergit.

mergit. Glossa in canonem septimum Concilii I. Constantinopolitani, observat hoc canone sanciri, ut omnes, qui una immersione baptizati sunt, denuò baptizentur.

6. SS. Patres expressè docent trinam immersionem â Christo Domino esse præceptam. Sanctus Chrysostomus hom. de fide: *Dominus in tribus merssonibus aquæ, unum Baptisma Discipulis suis tradidit.* Pelagius summus Pontifex cap. *Multi*, dist. 4. de consecr. ait, *Evangelicum præceptum nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam immersione sanctum Baptisma tribuere.* S. Cornelius summus Pontifex & Martyr tertio sæculo Epist. ad Fabium Antiochenum de Novatiano in lecto baptizato, atque ideò infusione: *si tamen Baptismum suscepisse dicendus est.* Theodoretus libro 4. hæreticarum fabularum, cap. 3. contendit Eunomium Baptismi ritum à Domino præceptum & ab Apostolis traditum subvertisse, quando dixit non oportere, ut baptizandus tèr immergatur, aut Trinitas invocetur. Attamen his non obstantibus momentis, ad propositam quæstionem

R. Certum est immersionem sive trinam, sive unicam, neque necessitate Sacramenti, neque necessitate præcepti divini esse necessariam, sed posse sufficere infusionem, vel aspersionem. In hac parte nobis consentiunt Pseudo-reformati, baptizant enim per infusionem. Ubi advertere licet hominum levitatem, qui mutationem in Ecclesia Romana circa ritum Baptismi factam approbant & observant; circa verò usum Calicis Eucharistici acriter impugnant, quamvis similia prorsus argumenta contra utramque militent. Sed contra Græcos schismaticos convertenda sunt arma nostra.

Recen-

Recentiores Theologi communiter probant immersionem nullo modo esse necessariam, exemplo S. Petri, qui uno die tria, & altero quinque millia hominum baptizavit, quod, ut eis videtur, fieri nequivit nisi aspersione. Verùm antiquiores Doctores tale argumentum omiserunt, dum haberent probandam Baptismi veritatem cum infusione: verisimile enim est Petrum Judæos baptizasse secundùm communem gentis morem, nimirum per immersionem, quod non ita difficile ei fuit adjuvantibus aliis Discipulis, maximè cum Judæi purificationibus assueti, haberent communiter vasa, seu baptisteria ad hujusmodi cæremonias legales præparata.

Probatur itaque efficaciter ex Traditione Ecclesiæ, quæ à primis sæculis semper probavit Baptismum infusione collatum. S. Cyprianus epist. ad Magnum 69. versùs medium tertii sæculi sic scribit: *Quæsisti . . . . frater charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate . . . gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eò quòd aqua salutari non loti sint, sed perfusi? . . . Nos, quantùm concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo . . . debilitari posse beneficia divina . . . . nec quenquam movere debet, quòd aspergi vel perfundi videntur ægri*, &c. Idem responsum citatur Stephani III. supra laudati, dum in Galliis Carisiaci degeret. Deinde Confessores in carcere detenti baptizabantur, quod fieri non poterat immersione. Hinc in actis S. Laurentii, quæ refert Valfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 2. desinente nono sæculo, legitur sanctum Romanum urceolum detulisse ad sanctum Laurentium, ex quo beatus Martyr illum baptizavit. Denique Clynicos, hoc

hoc eſt, qui ad ultimam ægritudinem Baptiſma differebant, nunquam iterum tingendos ſancivit Eccleſia: quamvis quarto ſæculo ſtatuerit in Concilio Laodiceno can. 12. non eſſe ordinandos ſanitate recepta, niſi quos ſingularis pietas commendaret. Nec ſanctus Cornelius ambigebat de veritate Baptiſmi, quem Novatianus in infirmitate acceperat, ſed de ejus effectu; ſatis enim parati ad gratiam Sacramenti non videbantur, qui nonniſi urgente morte ad eam recurrebant.

Dices; His quidem momentis eruitur immerſionem non eſſe neceſſariam ad veritatem Sacramenti; ſed inde concludi non poteſt minimè eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti divini, quemadmodum nec concludere licet explicitam peccatorum confeſſionem non eſſe præcepti divini ex eo quòd ſine ea abſolvantur ægri in extremis poſiti, certum enim eſt præceptum poſitivum etiam divinum non urgere in caſu neceſſitatis.

R. 1. Ergo ſaltem corruunt argumenta ducta ex etymologia Baptiſmi, ex cap. 6. Epiſtol. ad Romanos, ex can. 7. Concilii Conſtantinopolitani, ex quibus ſupra eliciebatur ſine trina immerſione nullum eſſe Baptiſmum.

R. 2. Immerſionem non eſſe impoſſibilem in ægritudine, ſicut explicitam peccatorum confeſſionem in ægris, qui uſum linguæ & rationis amiſerunt; cùm enim periculosè decumbentes nonnunquam ex præſcripto Medici balneis curentur, poſſent etiam aquis immergi in vitam æternam ex Chriſti præcepto, ſi extaret. Reverà quoniam incommoda eſt infirmis immerſio, omittendam cenſuit Eccleſia; ſed dubitandum non eſt, quin circa cæteros in Occidente ob nimias difficultates, & fre-

& frequens pudoris periculum, maximè in mulieribus, sensim desierit, etiam non expectata Ecclesiæ ordinatione, quæ in nullo Concilio plenario hanc præscripsit mutationem; sed ei obsistendum non credidit cum fidelium perturbatione. Nec movet hodiernus Græcorum usus; nam præterquam quod pro diversitate regionum & morum disparitate, leges sint diversæ, fortè etiam apud Græcos tot occurrunt incommoda in hoc immersionis ritu, ut æquo rerum æstimatori satius visum fuerit ritum hunc omittere; imò testis est Jacobus Goard Dominicanus in notis ad officium Sacramenti Baptismatis, Græcos interdum sola infusione baptizare infantes. Maronitæ etiam modò infusione, modò immersione indiscriminatim baptizant, & in vetustissimo codice Syriaco apud Morinum lib. 8. cap. 18. num. 29. Presbyter effundit aquam tribus vicibus super caput, dicens: *Baptizatur*, &c. Quare stabilita Ecclesiæ Catholicæ doctrina, jam respondendum est ad momenta in contrarium opposita.

Ad primum. Baptismus etiam apud Judæos non solùm immersionem sed quamlibet ablutionem significat, ut patet ex c. 7. Marci v. 3. ubi lotiones urceorum & lectorum dicuntur Baptismata, lecti autem per immersionem certè non abluebantur. Et Lucæ 11. v. 38. miratur Pharisæus, quòd Christus Dominus non esset baptizatus ante prandium, hoc est, quòd non lavisset manus, ut liquet tum ex cit. cap. 7. Marci, tum ex cap. 15. Matthæi, ubi arguuntur Discipuli, quòd manus non lavent, cùm panem manducant.

Ad secundum, Christus Dominus baptizatus est, & baptizavit juxta communem morem Judæo-

dæorum per immersionem, sicut Eucharistiam celebravit in calice aqua mixto, & in pane azymo, qui solus erat in usu apud Judæos diebus azymorum: unde in forma distinguo hanc propositionem: Christus instituit Eucharistiam in azymo, & Baptismum in immersione, tanquam in circumstantiis non pertinentibus ad substantiam illorum Sacramentorum, quas reliquit dispositioni Ecclesiæ vel retinendas vel mutands, Concedo; tanquam in circumstantiis ad substantiam illorum Sacramentorum pertinentibus, & ex præcepto divino servandis, Nego.

Ad tertiam patet solutio ex præcedenti responsione.

Ad quartum: Apostolus Rom. 6. alludit quidem ad immersionem, quæ illa ætate erat in usu, quemadmodum hodie Concionatores ex veste alba, qua induuntur recens baptizati, probant eos exuisse veterem hominem, & novum induisse: sed neutrum signum pertinet ad substantiam Sacramenti; siquidem illa sufficienter exprimuntur per ablutionem, qua significatur peccati destructio, & gratiæ sanctificantis infusio; illa enim est mors quædam spiritualis, ista verò resurrectio, juxta illud Apostoli Rom. cap. 6. v. 11. *Ita & vos existimate, vos mortuos esse quidem peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro.*

Ad quintum, distinguo propositionem: secundùm antiquiores Patres trina immersio est à Christo præcepta ratione rei significatæ, Concedo: ratione sui præcisè, Nego. Ad cujus solutionis intelligentiam,

Advertes hæreticos, qui à primis sæculis negarunt Trinitatem Personarum, identidem mu-

tasse

tasse ritum Baptismi, omittendo formam verborum præscriptam, & trinam immersionem; quia his duobus signis tres Personæ expressè designabantur. Adversùs autem tantam præsumptionem calamum acuerunt SS. Patres, vindicaveruntque Traditionem Apostolicam, secundùm quam tres Personæ in Baptismo debent necessariò exprimi, sicut reverà exprimuntur tum verborum prolatione, tum trina immersione: nec solliciti fuerunt an verborum prolatio & trina immersio ex æquo essent necessariæ; quia hæc distinctio ad propositum non pertinebat: unde potiùs repetenda est ex usu Ecclesiæ, quàm ex scriptis Sanctorum Patrum contra hæreticos exaratis. Sic Tertullianus c. 26. lib. contra Praxeam, à quo dicti sunt Hæretici Patripassiani, quia volebant Patrem esse incarnatum & passum, quasi una esset Persona cum Filio & Spiritu Sancto, *Mandavit*, inquit, *ut tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimur.* Sic etiam Canon septimus, qui circumfertur sub nomine Concilii Constantinopolitani; quamvis Ecclesia Occidentalis non agnoverit nisi tres primos Canones hujus Concilii; nam Theodoretus libro Hæreticarum Fabularum, & Sanctus Epiphanius hæresi 56. qui non longè post illud Concilium scripserunt, monent ideò Concilium reprobasse Baptismata Hæreticorum in cit. Can. recensitorum, quia peccabant in forma Baptismi. Sic & Pelagius supra laudatus rejecit Baptismum in nomine Christi, hoc est sine invocatione Sanctissimæ Trinitatis, & sine trina immersione collatum; si tamen illud decretum

sit

ſit Pelagii, non enim invenitur inter ejus Epiſtolas.

Ex his eruitur Patres ſcripſiſſe trinam immerſionem eſſe divinitus præſcriptam, non quidem ratione ſui præcisè, ſed ratione ſignificationis, hoc eſt, vòluiſſe tantùm in Baptiſmo tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis neceſſariò eſſe exprimendas, ad quod ſufficit ſola verborum prolatio. Hinc cùm Ariani ſexto ſæculo in Hiſpania, ex trina immerſione arguerent diſtinctionem naturarum in tribus perſonis, Epiſcopi Hiſpani ſtatuerunt baptizandum unica immerſione ad deſignandam naturæ divinæ unitatem quod ſtatutum probavit Sanctus Gregorius Magnus epiſt. 41. lib. 1. his verbis: *In una fide nihil officit Eccleſiæ ſanctæ conſuetudo diverſa*, & paulò poſt Concilium Toletanum quartum idipſum confirmavit. Nec refert quòd Alcuinus octavo ſæculo acriter contra hanc mutationem pugnaverit, oppreſſuſque auctoritate Sancti Gregorii, citatam ejus Epiſtolam tanquam ſuppoſititiam, ſine fundamento, & contra omnium fidem rejecerit.

Citatur pro trina immerſione Can. 50. Apoſtolorum, qui ſic habet: *Si quis Epiſcopus aut Preſbyter non tres immerſiones, ſed unam duntaxat peregerit, deponatur.* Sed hi Canones falsò Apoſtolis adſcribuntur, cùm ignoti fuerint antiquioribus, nec collecti credantur niſi poſt quartum ſæculum. Hanc collectionem Gelaſius ſummus Pontifex in Synodo Romana anno 494. declarat eſſe librum apocryphum.

Nec dicas in Sacramentorum adminiſtratione adhibendam eſſe materiam certam & minimè dubiam: ſecundùm vero S. Thomam hic q. 66. art. 4.

art. 4. tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus; namque S. Doctor absolutè docet infusionem sufficere. *Dicendum*, inquit, *quòd immersio non est de necessitate Baptismi.* Neque verò comparativum illud, *tutius*, opponitur dubio, sed tuto, sicut calidius calido, non frigido; tutiorem autem dixit immersionem, quia tunc temporis adhuc erat fermè ubique retenta.

Q. 3. *Quæ & qualis requiritur aquæ infusio aut aspersio?*

R. 1. Non sufficit aquam attingere vestes aut capillos baptizandi; sed necesse est, ut corpus ejus perfundatur, aliàs non ipse, sed ejus vestes aut capilli dicerentur ablui.

R. 2. Debet esse quædam successio & fluxus aquæ; non enim dicitur ablutus, super quem una aut altera pluviæ gutta decidit. Expressè monet Rituale Catalaunense anni 1649. eam aquæ copiam fundendam, quæ in scapulas defluat & pectus.

R. 3. Curandum est ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maximè verò caput, in quo omnes sensus vigent; & hæc ablutio affinis est immersioni, quia videtur homo obrui aquis, dum in quadam copia super caput ejus defluunt. Unde in Rituali Remensi anni 1505. hæc leguntur: *Debet fieri trina mersio super caput pueri.* Inde sequitur dubium esse Baptismum, in quo abluitur manus, vel pes infantis, atque ideo libri rituales communiter docent repetendum sub conditione, quia ex priori ablutione infans videtur non simpliciter, sed secundùm quid lotus.

Hic

Hic quæstionem movent Theologi, utrùm in hypothesi, quòd quis periclitantem infantem non posset baptizare, nisi projiciendo eum in puteum, aut in flumen, verus esset Baptismus adhibita verborum forma. Negat Richardus de Mediavilla in 4. Sententiarum dist. 4. art. 4. q. 2. Alii communiter affirmant; sed inutilis prorsus quæstio, cùm nemini liceat quovis prætextu occidere innocentem, cùm ejus vita sit sub solius Dei dominio.

CAPUT IV.

Quænam sit forma Baptismi?

R. Legitima est hæc forma, apud Latinos quidem, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. apud Græcos verò, *Baptizatur N. in nomine Patris*, &c. vel *Baptizetur N. in nomine*, &c. ut refertur in Decreto Eugenii IV. Colligitur ex Scriptura Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ex quibus verbis Ecclesia semper intellexit baptizandum esse sub forma allata.

Q. 2. *Valetne Baptismus, si verba laudata mutarentur in alia, quæ eundem sensum redderent?*

R. Valeret juxta doctrinam stabilitam c. 9. de Sacramentis in genere, sed licitum non est mutare ritum ab Ecclesia præscriptum, tum quia Concilium Tridentinum sess. 7. can. 13. dicit anathema his, qui dixerint approbatos Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos sine peccato per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: tum quia

talis mutatio vix fieri potest sine aliquo Sacramenti periculo. Quis v. g. non crederet verba illa, in nomine genitoris & geniti & spirati idem significare ac in nomine Patris, &c. attamen S. Thomas in quartum Sentent. ad Annibaldum dist. 3. quæst. unica art. 2. ad quartum, & plures Theologi post illum docent contra alios nullum fore Baptismum sub hac forma collatum: quia nomina illa, genitor & genitus, adjectivè dicuntur, significantque actum, non verò personam subsistentem.

Q. 3. *Singulæ voces suntne ita necessariæ, ut vel una omissa, nullum esset Sacramentum?*

R. 1. Si pronomen *Ego*, omitteretur, staret veritas Sacramenti, quia sufficienter exprimitur in verbo, *baptizo*,

R. 2. Fuit agitata quæstio inter insignes Theologos sæculi duodecimi circa hæc vocabula, *Baptizo te*. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis parte 3. c. 13. Petrus Cantor in Summa manuscripto de Sacramentis; Stephanus Tornacensis epist. 5. ad Petrum Claromontanum; Præpositus quarta parte Summæ opinantur, *Baptizo te*, sine jactura Sacramenti omitti posse, imò Præpositus asserit hanc esse omnium Magistrorum sententiam. Et ratio est, quia Sancti Patres ad veritatem Baptismi nihil aliud requirunt in forma, quàm invocationem sanctissimæ Trinitatis, nec usquam meminerunt vocum istarum, *Baptizo te*; cùm ex Scriptura erui non possint; nam Christus Dominus eo modo dixit, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. quomodo de Eucharistia præscripsit dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: atqui ex his posterioribus verbis

non

non concluditur Sacerdoti, dum Euchariſtiam conficit, proferendum eſſe, *Ego facio in commemorationem Chriſti*: Ergo.

Confirmatur. Nonnulli codices, etiam antiquiſſimi, ſic exhibent ritum Baptiſmi, ut non Miniſter pronuntiet ſacratiſſima illa nomina, ſed ipſe Catechumenus interrogatus à Miniſtro num credat in Deum Patrem, &c. & ipſum reſpondentem, *Credo*, ter mergat ad ſingulas reſponſiones. Unde ex Rufino lib. 1. Hiſt. Sanctus Alexander Epiſcopus Alexandrinus probavit Baptiſmum à S. Athanaſio adhuc puero collatum, poſtquam prævio examine, didicit interrogata baptizantis, & reſponſa baptizatorum juxta Eccleſiæ ritum fuiſſe obſervata, neque inquiſivit utrùm puer Athanaſius formam allatam protuliſſet.

Nihilominus conſtans eſt Catholicorum doctrina, *Baptizo te*, eſſe de eſſentia formæ, adeo ut ſine his vocabulis irritus ſit Baptiſmus. Ita decrevit Alexander III. exeunte duodecimo ſeculo; referturque ejus Decretum extra. de Baptiſmo & ejus effectu, his verbis: *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, amen, & non dixerit, Ego te baptizo in nomine*, &c. *puer non eſt baptizatus.* Eugenius IV. in Decreto ſuo eadem vocabula exprimenda innuit, *Si exprimitur*, inquit, *actus, qui per ipſum perficitur Miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Tandem Alexander VIII. hanc vigeſimam ſeptimam propoſitionem damnanavit anno 1690. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, In nomine Patris*, &c. *prætermiſſis illis, Ego te baptizo.*

Probatur ex Traditione, ſecundùm quam ubi-

que à tempore Apoſtolorum uſque nunc, Miniſter inter baptizandum protulit, *Ego te baptizo*, vel *Baptizatur N.* ut conſtat ex Ritualibus libris tum Latinorum, tum Græcorum, antiquiſſimis. In Ordine Romano ſexti ſæculi (ut videtur) in Sacramentario Gregoriano S. Eligii, in Sacramentario Gallicano mille annorum per Mabillonium edito, in Miſſali Gallicano octavi ſæculi Romæ per Thomaſium typis excuſo legitur, *Baptizo te in nomine*, &c. & in Euchologiis Græcorum ſchiſmate antiquioribus habetur in forma Baptiſmi, *Baptizatur N.*

Deinde Chriſtus Dominus non magis expreſsè dixit Matth. 28. proferendum à Miniſtro, *In nomine Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus Sancti*, quàm, *Ego te baptizo*: Ergo cùm ex illo textu eruatur dicendum à Miniſtro, *In nomine Patris*, &c. ut mox probabitur, idem quoque ſentiendum de verbo, *Baptizo*; quanquam S. Thomas in 4. diſt. 3. q. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 3. contendit Chriſtum Dominum Matth. 28. non tradere formam Sacramenti, cùm eam priùs tradidiſſet, quando Apoſtoli baptizabant ante Paſſionem, ſed eis præcipere actum baptizandi ſecundùm formam priùs traditam. Quod verò ſpectat Euchariſtiam, nec Scriptura, nec Traditio docent dicendum à Sacerdote, dum Euchariſtiam conficit, *Hoc facio in Commemorationem Chriſti*, nec, *Ungo te*, dum ungit infirmum. In his autem, quæ à libera Dei voluntate pendent, non eſt argumentandum à pari, niſi ubi Scriptura, aut Traditio eodem modo loquuntur.

Inſignes quidem ſunt laudati Theologi, ſed eorum auctoritas hìc non eſt tanti ponderis: tum quia opinando, & cum aliqua dubitatione ſcripſerunt. *Opiniones*, inquit Stephanus Tornacenſis,

censis, *profundo non assertiones:* tum quia ipse Petrus Cantor testatur opinionem, quam amplectitur, multis displicere: tum denique quia Alexander II. suo Decreto jam laudato illam proscripsit, eo ferè tempore quo nata est.

Silentium verò unius aut alterius codicis non minuit fidem, quæ debetur omnibus aliis; maximè cùm in illo nihil legatur de invocatione Patris, & Filii, &c. necessariò facienda à Ministro etiam in sententia eorum, qui hunc objiciunt codicem. Ex his autem, quæ expressa sunt, colligendum cætera fuisse secuta, cùm nec inscitia, nec error præsumi debeant fuisse impedimento. Nonne Concilium Arelatense I. can. 8. statuit admittendum Baptisma revertentis ab hæresi, si interrogatus de Symbolo rectè respondeat? Quis inde concludet Concilium ad veritatem Baptismi nihil requirere, quàm hujusmodi interrogationes & responsiones?

R. 3. Vocabula illa, *In nomine Patris*, &c. necessariò sunt à Ministro exprimenda.

Probatur 1. ex Scriptura, Ephes. 5. ubi Christus dicitur dilexisse Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: *In verbo*, inquit Chrysostomus homil. 20. *quo? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Probatur 2. ex constanti usu Ecclesiæ, quæ Baptisma hæreticorum sine invocatione sanctissimæ Trinitatis collatum rejecit, cæterorum verò admisit; sic Concilium Nicænum ratum habuit Baptismum Novatianorum, irritum verò Paulianistarum. Quid ita? Respondet Innocentius I. initio quinti sæculi Epistola 21. ad Episcopos Macedoniæ c. 5. his verbis: *Ratio manifesta declarat, quia*

 Pau-

Paulianiſtæ in nomine Patris, &c. *minime baptizabant*, *& Novatiani iiſdem tremendis nominibus baptizabant*; unde S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo cap. 25. ſic ſcribit: *Quis neſciat non eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi Evangelica verba, quibus Symbolum conſtat . . . deſuerint? ſed facilius inveniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.*

Dices: Apoſtoli baptizarunt in nomine *Jeſu*, quod conſtat ex cap. 8. & 19. Actuum, expreſsèque docent, tum Catechiſmus Romanus 2. parte n. 15. de Baptiſmo, *ut*, inquit, *divina ejus poteſtas initio Eccleſiæ magis celebraretur*: tum Sanctus Thomas hic qu. 66. art. 6. ad primum, & plures alii Theologi. Deinde Sanctus Stephanus Summus Pontifex & Martyr tertio ſæculo decrevit ſuſcipiendum Baptiſmum à quibuſcunque hæreticis collatum. Certum eſt autem multos hæreticos baptizaſſe ſine invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis. 3. S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. *Conſideremus*, inquit, *utrùm quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe legimus Baptiſmatis Sacramentum; ita etiam ſancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil deſit ad myſterii plenitudinem. Rationem ſequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit.* 4. Nicolaus I. nono ſæculo in reſponſione ad conſulta Bulgarorum, docet ratum eſſe Baptiſmum collatum ſive in nomine Patris, ſive in nomine Domini Jeſu. 5. Sanctus Bernardus 12. ſæculo interrogatus de puero, quem ob periculum mortis laicus baptizaverat, dicens: *Baptizo te in nomine Dei & veræ Crucis*, reſpondet Epiſt. 43. aliàs 340. his verbis: *Ego verò hunc baptizatum puto: nec ſonum vocis veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare debuiſſe.* Similia habet Magiſter Sentent. in 4.

diſt. 3.

diſt. 3. *Inſinuari videtur*, inquit, *verum Baptiſma dari poſſe in nomine Patris tantùm, vel Spiritus Sancti tantùm, ſi tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat.*

Reſpondeo ad ſingula.

Ad primum diſtinguo: Apoſtoli baptizarunt in nomine Domini Jeſu, id eſt auctoritate & Baptiſmo Domini Jeſu, quemadmodum Petrus Actuum 3. claudum in hoc nomine ſanavit, Concedo; ſolo nomine Jeſu invocato, Nego antecedens. Suadetur autem hæc ſolutio tum ex Scriptura, tum ex Patribus priorum ſæculorum. Ex Scriptura quidem; nam Actuum 19. miratus Paulus, quod Epheſii reſpondiſſent ſe neſcire, an eſſet Spiritus Sanctus, interrogavit, *In quo ergo baptizati eſtis?* quod innuit Apoſtolos ſolitos baptizare invocando Spiritum Sanctum, ac proinde duas alias perſonas; & cùm audiſſet baptizatos tantùm Joannis Baptiſmate, juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu; ubi baptizare in nomine Domini Jeſu, eſt baptizare auctoritate Domini Jeſu in nomine Patris, &c.

Nec dicant adverſarii ex hoc loco ſolùm colligi Baptiſmum Chriſti non fuiſſe ab Apoſtolis collatum, niſi his, qui myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis didicerant.

Nam ſecundùm eorum interpretationem baptizari in nomine Domini Jeſu, eſt baptizari ſub invocatione tremendi illius nominis: Ergo à pari baptizari in Spiritu Sancto, eſt etiam baptizari invocato nomine Spiritus Sancti. *In quo ergo*, inquit Apoſtolus, *baptizati eſtis?* quibus verbis liquet Apoſtolos baptizaſſe in Spiritu Sancto. Hærendo itaque Scripturæ textui, nihil cogit credere Apoſtolos mutaſſe formam à Chriſto præſcriptam;

ptam; imò id vetat interpretatio ſanctorum Patrum, qui vicini fuerunt temporibus Apoſtolorum, nam conſtanter docent Baptiſmum non valere ſine invocatione Patris & Filii, &c. S. Cypr. Ep. ad Jubajanum ſic ſcribit: *Jeſu Chriſti mentionem facit Petrus* (Actuum 2.) *non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri Filius quoque adjungeretur*; Facundus item Hermianenſis lib. 1. cap. 3. pro tribus Capitulis ſexto ſæculo hæc habet: *Quòd in nomine Domini Jeſu hi, quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati ſunt, ſed ut etiam in ipſis ſervaretur verbis à Domino conſtituta forma Baptiſmi.*

Ad ſecundum: immeritò Blondellus Calviniſta, & nonnulli è Catholicis, ut Benedictus XII. adhuc Cardinalis, hunc errorem tribuunt S. Stephano, 1. quia nullus ſcriptor quarti aut quinti ſæculi, ſive orthodoxus, ſive heterodoxus, hujus nævi Sanctum Pontificem inſimulavit: imò Sanctus Firmilianus, etſi commotus ejus Decreto illum abſolvit in Epiſtola ad Sanctum Cyprianum, ſic enim ſcribit in S. Stephanum, *Illud abſurdum, quod non putant quærendum eſſe, quis ſit ille qui baptizaverit, eo quòd, qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi Firmilianus agnoſcit Stephanum probaſſe Baptiſmum à quibusvis hæreticis collatum, ſuppoſito quòd illi baptizaverint in nomine Patris, &c. 2. quia in decreto Sancti Stephani nihil niſi ſanum & fidei conſonum deprehendi poteſt; ſic enim refertur à S. Cypr. Epiſt. 24. ad Pompejum, *Si quis . . . . . à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi*

illi imponatur in pœnitentiam. Unde ſic argumentari licet: Stephanus vult recipi venientes à quacumque hæreſi, prout traditum eſt, atqui nunquam fuit traditum Baptiſma ſine invocatione Patris, &c. collatum eſſe admittendum: *Facilius*, inquit S. Aug. lib. 6. de Baptiſmo cap. 25. jam laudato, *inveniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.* Et S. Hieron. dialogo contra Luciferianos ſcribens de Simonis, Menandri, & Cerinthi diſcipulis, qui vivente Joanne Apoſtolo eruperunt, aſſerit nullum eorum fuiſſe rebaptizatum. Negandum tamen non eſt quin hæretici ſucceſſu temporis, ubi viderunt firmatam ſuam ſectam, plura auſi fuerint, ritumque Baptiſmi errori ſuo conſentaneum induxerint: id de quibusdam Arianis patet; de Marcionitis verò ſuſpicari licet, nam Theodoretus Epiſtola 145. juſſit eos rebaptizari; cùm tamen nec S. Irenæus, nec S. Epiphanius, nec S. Auguſtinus, Theodoreto antiquiores, aliquid ſimile ipſis objiciant. Sed etſi aliqui hæretici tempore Stephani in forma Baptiſmi peccaviſſent, error in eo tantùm fuiſſet facti, non juris, hoc eſt, Stephanus falſò ſuppoſuiſſet omnes hæreticos formam ſervare.

At, inquies, S. Cyprianus arguit S. Stephanum, quòd probaverit Baptiſmum in Chriſti nomine collatum.

R. Intelligendum Stephanum eo ſenſu quo ipſemet Cyprianus intellexit verba S. Petri Act. 10. *Juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu*; ſed ſtimulatus S. Martyr decreto ſummi Pontificis, verba ejus ſine ratione in diverſa expendit ſtatera, & in alienum ſenſum detorſit.

Ad tertium, 1. Sanctus Ambroſius clarè requirit

quirit ad veritatem Baptiſmi in Miniſtro expreſſam invocationem trium Perſonarum lib. de myſteriis cap. 4. ubi ſic ſcribit: *Credit Catechumenus, ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non poteſt accipere remiſſionem peccatorum.* Quare ne ſibi videatur contrarius Sanctus Doctor loco in objectione laudato, qui quidem difficilis eſt, & multis offendendi occaſio. 2. reſpondendum eſt ipſum eò loci, non de baptizantis, ſed de baptizandi fide loqui, velleque ſolùm baptizandum, ut conſequatur effectum Sacramenti, debere credere myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, hancque fidem ſuam ſatis exprimere, ſi reſpondeat ad interrogata Miniſtri quòd credit in Patrem, vel in Filium, vel in Spiritum Sanctum; quia nominando unam Perſonam ſatis intelligitur alias credere.

Confirmatur autem hæc reſponſio; 1. quia adducit exemplum Eunuchi, quem dicit plenum myſterium eſſe conſecutum, ex eo quòd dixerit ſe credere in Chriſtum Jeſum, Actuum 8. 2. quia ideo dicit Epheſios Act. 19. non eſſe conſecutos remiſſionem peccatorum in Joannis baptiſmate; quia illud acceperant neſcientes Spiritum Sanctum, quem Joannes prædicabat, ſicut & alias Perſonas; quæ exempla evincunt S. Doctorem loqui de profeſſione emittenda à baptizando, non verò à baptizante. 3. Docet ſine hac fide vacuum eſſe Myſterium; qua fide inquam ego? an Miniſtri? hæreticum eſt, & à mente S. Ambroſii alienum, ergo intelligendum eſt ſine fide baptizandi. Denique ſcribit ibidem S. Ambroſius expreſſo ſolo nomine Spiritus Sancti perinde valere Baptiſmum: atqui nullus dixerit, niſi Magiſter Sententiarum

in

in hac parte deceptus, & à nullo Theologo hac in re probatus, ratum eſſe baptiſmum invocato ſolo Spiritus Sancti nomine.

Ad quartum, quidam Theologi verba Nicolai I. & venerabilis Bedæ in ſenſu S. Ambroſii benignè accipiunt, utpote qui S. Doctoris auctoritate nitantur, ſed aliis Theologis non videntur pati hanc benignam interpretationem, quare fatentur citatos auctores mentem S. Ambroſii non aſſecutos, exiſtimaſſe hanc ſufficere Baptiſmi formam, *Baptizo te in nomine Chriſti*, neque Nicolaum I. hìc egiſſe ut ſummum Pontificem, ſed Doctorem particularem; quia ab eo non quærebant Bulgari quid cenſendum eſſet de baptiſmo in nomine Chriſti, ſed de Baptiſmo à Judæo quodam collato. Ad quæſtionem autem propoſitam rectè, & ut decebat ſummum Eccleſiæ Paſtorem, reſpondit Nicolaus ratum eſſe hujuſmodi Baptiſmum, ſi in eo ſervatus ſit ritus præſcriptus; ſed longiùs progreſſus ſuam ſententiam tanquam Doctor particularis protulit, nempè legitimam eſſe formam, ſive baptizatus eſſet in nomine Patris, &c. ſive in nomine Chriſti.

Ad quintum, quibuſdam videtur ſuppoſititia laudata Epiſt. Sed germana ſit Sancti Bernardi Epiſtola: S. Doctor ſingularem ſuam opinionem ita modeſtè protulit, ut eam ſapientiorum judicio ſubjiciat, *ſine præjudicio*, inquit...... *ſaniùs ſapienti.*

Objici poteſt etiam S. Hilarius lib. de Synodis. Sed eo loci non agit de Baptiſmi forma: conciliat tantùm cap. 10. Actuum Apoſtolorum, ubi referuntur baptizati in nomine Chriſti cum 28. Matthæi, in quo præcipitur Apoſtolis baptizare in

in nomine Patris, &c. docetque in nomine Christi intelligi Patrem, & intelligi Filium, & Spiritum Sanctum.

CAPUT V.

Quis est Baptismi Minister in casu necessitatis?

Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 15. §. 21. & 22. scribit eos solos esse Baptismi Ministros, qui ad hoc officium ordinati sunt, contrariumque sine ratione & fundamento asserit; quamvis apud Veteres non desint exempla Baptismi à laicis collati, & probati.

Ex Arcudio, cap. 11. de Baptismo, hodie apud Græcos schismatis & ignorantiæ tenebris involutos invalescit contra morem antiquum usus non baptizandi parvulos absente Sacerdote, etiamsi in extremo vitæ periculo sint constituti. Huic errori forsitan occasionem dedit S. Basilii Epist. ad Amphilochium auctoritas, quæ in hac parte nulla est; cum eo loci Sanctus Basilius sequatur errorem S. Cypriani, & Sancti Firmiliani prædecessoris sui, asserentium irritum esse Sacerdotum hæreticorum Baptisma hac falsa ratione, quòd Sacerdotes, dum in hæresim incidunt, laici fiant; quasi verò laici baptizare non possint. Nec ita generaliter S. Doctor admittit illud principium, quin in eadem Epistola liberum cuilibet relinquat sequi traditionem suæ Ecclesiæ, hoc est admittere vel rejicere Baptismum ab hæreticis collatum: atque ita, supposito quòd Sacerdotes hæretici fiant laici, verum erit, in mente S. Basilii, laicum posse baptizare.

Patres,

Patres, qui primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, expreſſè quidem tradunt Baptiſmum à laicis jam baptizatis conferri poſſe, an autem & à non baptizatis, non ita clarè definiunt.

Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 17. ſic ſcribit, *etiam laicis jus eſt*, (baptizandi in neceſſitate) *quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt .... ſufficiat ...... in neceſſitatibus ut utaris.*

Concilium Eliberitanum canone 38. ſic ſtatuit anno 305. *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſi bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum.*

Advertes circa hunc canonem, quando Baptiſmus urgente neceſſitate conferendus eſt, & plures adſunt: ſecundum Concilii mentem, qui dignior eſt, debere miniſtrare ; quare præferendus eſt non bigamus bigamo, qui integrum ſervavit baptiſmum, ei, qui lapſus in peccatum, Pœnitentiæ legibus ſubjicitur, vir mulieri, Clericus laico, Sacerdos inferiori Clerico ; ita S. Thomas hìc art. 4. hæc tamen regula ſervari non debet ubi læderetur pudor, vel ritus Baptiſmi à viro ignoraretur.

S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos ait: *Scimus etiam licere laicis* (baptizare) *ut enim accepit quis, ita & dare poteſt.*

Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. *Quanquam etſi*, inquit, *laicus aliqua pereunti dederit* (baptiſma) *neceſſitate compulſus, quòd cùm ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum ; nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt : ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt.*

Sed

Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, *&* *à quolibet cuilibet detur*, *quod datum fuerit*, *non poteſt dici non datum*; *quamvis recte dici poſſit illicite datum.* At ubi S. Doctor quæſtionem movet de non baptizatis, utrùm ſcilicet baptizare queant, quamvis in affirmantem propendeat ſententiam, ut patet ex capite 53. lib. 7. de Baptiſmo ubi ſic ſcribit: *nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum*, *qui ubicumque & à quibuſcumque* .... *verbis Evangelicis conſecratum* ...... *accepiſſent*; tamen non audet quidquam definire.

Equidem Concilium Tridentinum hanc difficultatem non attigit, fortè quia jam ſatis erat elucidata; maximè cùm Novatores eam ob rem pacem non turbarent; nam ex Bellarmino non conſtat qua mente Calvinus Baptiſmum à laicis collatum improbaverit, an ut illicitum tantùm, an verò ut invalidum. Sed cùm cit. loco Catholicos arguat, Eccleſiæ doctrina ſtabilienda eſt ſequentibus reſponſionibus. Ad propoſitam quæſtionem itaque

R. 1. Nemo in quacunque neceſſitate poteſt ſeipſum baptizare; ita Innocentius III. cap. *debitum*, de Baptiſmo & ejus effectu, reſpondit Epiſcopo Metenſi de quodam Judæo, qui ſeipſum baptizaverat: quia, inquit, Chriſtus à Joanne baptizatus eſt, & nemo generat ſeipſum, præcepitque Dominus Apoſtolis, Ite, baptizantes eos, in nomine Patris, &c.

Nec dicas hominem poſſe ſeipſum communicare, ut patet in Sacerdotibus ſanctificantibus.

Nam in his, quæ pendent a libera Dei voluntate, non eſt argumentandum a pari; maximè, cùm conſtans Eccleſiæ Traditio diſparitatem agnoſcat. Adde quòd qui communicat, non

non Sacramentum conficiat, ſed jam confectum recipiat.

R. 2. Omnis homo viator, ſive vir, ſive mulier, fidelis, aut infidelis, baptizatus vel non baptizatus, in caſu neceſſitatis poteſt licitè baptizare.

Probatur 1. ex Scriptura, Exod. 4. Sephora uxor Moyſis circumcidit filium ſuum: ergo à pari mulier poteſt baptizare. Joannis 4. Apoſtoli adhuc laici, & nondum ordinati baptizabant. Act. 9. S. Paulus baptizatus eſt ab Anania qui à nonnullis creditur laicus. Act. 8. Philippus Diaconus baptizavit Eunuchum.

Probatur 2. ex Traditione. Nicolaus I. laudata reſponſione ad Bulgaros, docet ratum eſſe baptiſmum collatum à quodam Judæo vel Pagano. Quòd autem reſponſum Summi Pontificis fuerit juxta Traditionem Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, evincitur ex eo quòd Photius & ejus aſſeclæ, qui tunc temporis quærebant occaſiones diſcedendi ab Eccleſia Romana, & dente mordaci minima quæque in Latinis immeritò carpebant, nunquam tamen contra illud Nicolai Decretum oblocuti ſint.

Confirmatur 1. Latini exinde non variarunt circa hanc doctrinam, nec eam Græci hactenus Latinis objecerunt, ſive dum ferveret diſcordia, ſive dum pacem cum Latinis reſarcierunt in tribus Conciliis Generalibus, nempe in Generali VIII. in Lugdunenſi II. & Florentino.

Confirmatur 2. Eugenius IV. juxta hanc antiquam Eccleſiæ Traditionem in ſuo Decreto pro Armenis ait: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In caſu autem neceſſitatis, non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus,*

vel mulier, imò etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt; dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.

Dices: hi ſoli baptizare poſſunt, quibus Chriſtus Dominus dedit poteſtatem baptizandi: atqui ſolis Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus dedit hanc poteſtatem; illos enim alloquitur, Matth. 28. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ergo. Hinc cap. 176. Prati Spiritualis refert Joannes Moſchus ſeptimo ſæculo, Laicos reſpondiſſe Judæo in itinere baptiſma petenti, *nobis non licet hoc facere, ſæculares enim ſumus.* Et S. Auguſt. Epiſt. 228. aliàs 180. docent Paſtores illicitè fugere ſæviente Vandalica perſecutione, exponit luctuoſum gregis ſtatum, qui Sacerdote abſente, non habet qui eum fonte baptiſmatis regeneret aut pœnitentia reconciliet.

Diſtinguo min. ſolis Apoſtolis dedit poteſtatem baptizandi ſolemniter & ex officio: Concedo; baptizandi in caſu neceſſitatis, & ſine ſolemnitate, Nego min. Nam ex S. Thoma 3. p. q. 67. art. 3. ad miſericordiam Dei, qui vult omnes homines ſalvos fieri, pertinet, ut in iis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, homo remedium facilè inveniat, ac proinde obvium habeat Baptiſmi Miniſtrum, ſicut & materiam, & ita ſemper intellexit Eccleſia; colligiturque ex cap. 8. Actuum, ubi Philippus, quamvis Diaconus, Eunuchum baptizavit. Quare nonniſi ex ignorantia ii, de quibus in Prato Spirituali, reſponderunt Judæo, ſe in illo neceſſitatis caſu non poſſe baptizare.

Confirmatur reſponſio, Chriſtus Dominus Apoſtolos alloquens, Matth. 28. non ſolùm dixit,

xit, *Baptizantes*, sed & *docete* : quod non impedit, quin laici, imò & mulieres, quibus Apostolus non permittit loqui in Ecclesia, 1. Tim 2. privatim & in casu necessitatis licitè doceant: ergo etiam nihil impedit quominus similiter baptizent.

In Epistola verò laudata S. Augustinus non contendit plus juris non competere laicis circa Baptismum, quàm circa reconciliationem; contrarium enim expresse docet lib. 2. contra Parmenianum jam cit. sed ad flectendos Sacerdotes, exaggerat miseriam gregis à Pastore derelicti, in quo alii petunt monita salutis, alii Baptismum, alii reconciliationem, alii pro morientibus Ecclesiasticam sepulturam; quæ solatia à multitudine imperita & dispersa nullatenus sperare queunt.

Instabis: neque ex Scriptura, neque ex Traditione, saltem paganis & mulieribus vindicari potest baptizandi potestas. De paganis patet, tum S. Aug. testimonio, qui usque ad suam ætatem, hoc est, usque ad quintum sæculum, hac de re nihil viderat, aut legerat traditum; tum ex Gregorio III. qui octavo sæculo in Epist. 1. ad Bonifacium sic scribit: *Eosdem quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, ut denuò baptizes in nomine Sanctissimæ Trinitatis mandamus.* Refertur de consecratione dist. 4. Denique ex c. 2. pœnitentialis Theodori Cantuariensis sæculo sexto, & ex can. 3. Concilii Compendiensis, referturque à Burchardo, Ivone Carnotensi, & Gratiano his verbis: *Si Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos prius baptizavit.* Quomodo ergo Nicolaus I. nono

ſæculo, & Eugenius IV. 15. ſine auctoritate Scripturæ, & Traditionis divinæ; definire potuerunt ratum eſſe Baptiſmum à Pagano collatum? De mulieribus etiam hæc ſcribit Tertull. cap. 9. lib. de velandis Virginibus, *non permittitur .... in Eccleſia loqui, ſed nec docere; nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare.* S. Epiph. hær. 42. & 79. inter Marcionitarum errores, notat quòd profiteantur mulieres poſſe baptizare. Concilium Carthaginenſe IV. can 100. prohibet mulierem baptizare.

R. 1. Pertinet ad Eccleſiam explicare Scripturam, & Traditionem divinam, ubi obſcuritas occurrit: habetur autem in Scriptura Chriſtum Dominum ad Apoſtolos non arctaſſe poteſtatem baptizandi, cùm Philippus Diaconus baptizaverit, Actuum 8. Sed quouſque extendatur illa poteſtas, an usque ad Paganos & mulieres, non exprimit Scriptura. Recurrendum eſt ergo ad Traditionem, in qua videmus à tempore Apoſtolorum, Baptiſmum ſuſcipi à laicis collatum. Rationem quidem hujuſce diſciplinæ, Tertullianus & S. Hieronymus afferunt, nempe quia laici aliis dare poſſunt quod ipſi acceperunt: quo ratiocinio innuunt ſe loqui de laicis baptizatis: cùm ipſis non occurreret exemplum (quod rariſſimum eſt) Baptiſmi à Pagano collati.

Hinc nata eſt Auguſtino difficultas, num ratio illa inadæquata propoſitionem generalem probaret, accipiendaque eſſet ſicut in ratiocinio ſequenti: hic Sacerdos occurrens homini lethaliter percuſſo & pœnitenti, reconciliationis Sacramentum impertiri debet; quia Paſtor ejus eſt.

Hæc

Hæc quidem ratio magis urget, ſed propoſitionem univerſaliter non probat; nam Sacerdos in illo caſu, etiamſi non eſſet Paſtor, nihilominus pœnitentem illum abſolvere teneretur.

Ita S. Auguſtinus opinabatur accipiendum ratiocinium Tertulliani & Sancti Hieronymi; ſed difficultatem definire non præſumpſit ſine Conſilio aliorum Epiſcoporum. Exiſtimavit ergo ex Traditione quæſtionem illam elucidari poſſe. Porrò quod optabat S. Doctor, præſtiterunt Summi Pontifices & Epiſcopi.

S. Leo eodem ſæculo paucis annis poſt S. Auguſtinum, epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, aliàs 92. nunc 2. ſic ſcribit: *Si iſti, quaſi ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur . . . quilibet modo formam Baptiſmatis acceperint, baptizandi non ſunt.* Refertur de conſecratione diſt. 4. cap. 28. Similia eodem ſæculo ſcripſit Gelaſius I. epiſtola, ſed clariùs Concilium Compendienſe can. 9. octavo ſæculo: *Si quis baptizatus eſt à Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo invocata fuerit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit, Impoſitione tamen manus Epiſcopi indiget.* Ex his

Sequitur 1. in collectionibus objectis, corruptum eſſe Canonem Compendienſem, nullamque earum rationem habendam. Unde emendator Decreti Gratiani expunxit hæc poſteriora Canonis verba, *& omnes, quos baptizavit*, tanquam imperitè abjecta, & textui minus cohærentia.

Sequitur 2. Gregorium III. intelligendum eſſe de his, qui baptizati fuerant ſine invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Quis enim crederet Summum Pontificem contraria decernere in re tanti

momenti, nempe Gregorium III. velle à Paganis baptizatos in forma præſcripta iterum baptizandos; Sergium verò II. & Nicolaum I. immediatè ſequenti ſæculo idem expreſſe prohibere, quibus & præiverat Concilium Compendienſe?

Sequitur 3. Eugenium IV. non ſine Scripturæ & Traditionis divino auxilio definiiſſe Paganum in caſu neceſſitatis poſſe baptizare. Utrùm autem hæc propoſitio præciſè ſumpta ſit de fide, Theologis expendendum relinquitur, ſufficit ad propoſitum, quòd ſit certiſſima, *Si quid horum*, inquit Sanctus Auguſtinus epiſt. 54. aliàs 118. *tota per orbem frequentat Eccleſia ..... quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

R. 2. In objectis textibus agi de mulieribus hæreticis, quæ juxta errorem Sectæ ſuæ ſolemniter in Eccleſia non ſolùm baptizabant, ſed alia officia Sacerdotalia uſurpabant. *Apud eos*, inquit S. Epiphanius cit. loco, *mulieres Epiſcopi ſunt & Presbyteri.* Quòd autem Concilium Carthaginenſe cit. can. loquatur de Baptiſmo ſolemni, colligitur ex alio præcedente canone, his verbis concepto: *Mulier, quamvis docta & ſancta, propter viros, in conventu docere non præſumat.* Et Tertullianus cap. 9. de velandis Virginibus, *non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre.* Et cap. 41. lib. de præſcriptionibus: *ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, & audeant docere, contendere, exorciſmos agere*, &c.

Argumenta ex Scriptura, & ex ratione ſpeciatim deducta contra Baptiſmum ab Hæreticis & peccatoribus collatum, ſoluta ſunt cap. 14. Tractatus de Sacramentis in genere.

CA-

CAPUT VI.

Quis eſt Miniſter Baptiſmi ſolemnis?

R. Solus Sacerdos ſive Epiſcopus ſit, ſive Presbyter, eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter; extraordinarius verò Diaconus.

Prima pars probatur ex cap. 28. Matthæi, Chriſtus Dominus ſolis Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, baptizandi munus demandavit his verbis: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. Et ratio eſt, quia cùm per Baptiſmum pateat ingreſſus in Eccleſiam, fiatque profeſſio ſolemnis Religionis Chriſtianæ; illius eſt reſerare fores, & cætui fidelium coaptare, qui ſacræ illi ſocietati præeſt. Hinc eſt quòd præſente Epiſcopo, Presbyter, niſi juſſus non baptizet, quòdque naſcente Eccleſia cùm Presbyteri ſub manu & oculis Epiſcopi degerent, baptizandi munus ſoli Epiſcopo deferretur: *Non licet*, inquit S. Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes: *niſi Epiſcopo aut baptizare, aut ſacra facere.* Et Tertullianus c. 17. lib. de Baptiſmo, *dandi* (Baptiſmi) *habet jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.* S. quoque Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos ait: *Inde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.*

Verùm creſcente numero Fidelium, diviſæ ſunt Parochiæ, quibus Presbyteri ſunt præfecti; ad eorum enim officium & ordinem pertinent præeſſe, ut monet Epiſcopus dum ſacram Ordinationem celebrat, *Presbyterum*, inquit, *oportet præeſſe:*

ergo & baptizare, aut aliis delegare illud officium erga sibi subditos; ac proinde peccaret Sacerdos, qui inconsulto vel Episcopo, vel Parocho, alienum Parochianum baptizaret.

Secunda pars, quæ est de Diaconis, probatur; quia Diaconi secundum proprii nominis interpretationem, & ordinis sui institutionem, officium est ministrare, non verò præesse; *neque Diaconis;* inquit Sanctus Epiphanius hæresi 79. *in Ecclesia concreditum est, ut aliquod mysterium celebrent, sed solùm ut administrent, dum celebratur.*

Unde si Diaconus extra casum necessitatis, nec jussus ab Episcopo, vel Parocho solemniter baptizat, alienum munus usurpat, & secundùm communiorem Theologorum sententiam fit irregularis; colligiturque ex lib. 5. Decretalium tit. 28. cap. 1. ubi sic legitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.*

Dices; ex Concilio Tridentino, hierarchia divinitùs instituta constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris: ergo ex divina institutione principantur Diaconi; definitur enim Hierarchia sacer principatus, ac proinde munus baptizandi Diaconis competit.

Confirmatur 1. Diaconi, cùm ordinantur, audiunt ab Episcopo: *Oportet Diaconum prædicare, baptizare, Ecclesiamque* (sub typo veteris tabernaculi) *portare & munire ornatu sancto, prædicatu divino, & exemplo perfecto.* 2. Philippus Diaconus baptizabat, Actuum 8. 3. Aliquando Diaconi Parochias rexerunt, ut liquet ex can. 77. Concilii Eliberitani, anno 305. his verbis: *Si Diaconus regens plebem*

plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus per benedictionem eos perficere debebit. Et ex S. Hieronymo dialogo contra Luciferianos, ubi sic scribit: *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui in longè minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus manum impositurus excurrat.* Ergo Diaconi eandem cum Presbytero facultatem habent circa Baptismum.

Nego consequentiam; Quemadmodum enim in civilibus ministris, qui ex officio, Principis mandata executioni demandant, in Republica præeminent, nomenque & dignitatem Magistratus sortiuntur; sic & Diaconi, qui in Ordinatione sua acceperunt jus ministrandi immediatè Episcopo, vel Presbytero, sive ad Eucharistiam conficiendam, sive ad plebem instituendam prædicando & baptizando, rectè dicuntur principari, functionesque obire hierarchicas. Neque verò pares credendi sunt Presbyteris, ex eo quòd secundùm morem antiquum, non licet Presbytero baptizare, aut offerre, præsente Episcopo: nam etsi honor ille deferatur Summo Sacerdotio, tamen in his non agit Presbyter ut Minister Episcopi, sed ex officio suo ordini competente, ut patet ex Gelasio I. epist. 9. in qua sic habet: *Diaconos propriam constituimus servare mensuram . . . absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi, prædictis fortassis Officiis longiùs constitutis, necessitas extrema compellat.* Refertur 1. p. dist. 63. cap. *Diaconos*, ubi sicut Episcopis, ita & Presbyteris tribuitur facultas mandandi Diaconis ut baptizent, quod perspicuè demonstrat Presbyterum esse Baptismi ordinarium Ministrum, non verò Diaconum.

num. Cæterùm cùm Eccleſiæ copia Sacerdotum hodie non deſit, Parochi non debent contra hodiernum morem hanc licentiam Diaconis concedere, niſi adſit neceſſitas, & conſenſus Epiſcopi accedat, ſi ad eum recurri poſſit.

Ex his facilis eſt reſponſio ad ea, quæ in objectionis confirmationem allata ſunt. Nimirum Diaconus in Ordinatione accipit baptizandi poteſtatem, nempè quando illud munus ſibi ab Epiſcopo, vel Presbytero injunctum fuerit: hoc modo baptizavit Philippus, & alii Diaconi, de quibus loquitur Concil. Eliberitanum.

Q. 2. *Plures poſſuntne eundem baptizare?*

R. Minimè, ſi quilibet baptizans ſolùm partem Sacramenti miniſtraret; quia vera non eſſet forma: *Ego te baptizo*, cùm reverà, alio fundente aquam, non ablueret.

Q. 3. *Unus poteſtne ſimul plures baptizare?*

R. Poteſt, mutando ſingularem numerum in pluralem; ſic enim creditur baptizaſſe S. Petrus Act. 2. Extra tamen caſum neceſſitatis illicitus eſſet ille modus baptizandi; quia eſt contra morem Eccleſiæ, ſecundùm quem ſicut aqua fundenda eſt ſupra ſingulos parvulos ſimul oblatos, ſic ſupra ſingulos forma diſtincta debet proferri.

CAPUT VII.

Quodnam eſt Baptiſmi ſubjectum?

Certum eſt 1. omnem hominem in ſtatu viæ, ſive vir ille ſit, ſive mulier, eſſe capacem Baptiſmi; quia Chriſtus neminem excipit à Baptiſmi gratia, cùm ait Matth. 28. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Cer-

Certum eſt 2. parvulos in utero materno ita concluſios, ut aqua perfundi non poſſunt, non eſſe capaces Baptiſmi, nec ſufficere ſi matris corpus abluatur, quia fœtus animatus non eſt pars matris, ſed perſona diſtincta; ita S. Thomas 3. part. quæſt. 68. art. 11. ad 2. & S. Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap 14. ubi ſic docet: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertineret, ita ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt aliquo mortis urgente periculo, cùm eum geſtaret in utero. Nunc verò cùm etiam ipſe baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur.* Addit ſanctus Thomas citato art. ad 3. non licere occidere matrem, ut ſalvetur filius, quia nec quivis alius habet dominium directum in propriam, vel alterius vitam, ut probamus Tract. de Juſtitia & Jure.

Controverſia eſt duntaxat circa parvulos jam natos, utrùm ſcilicet baptizari poſſint, ac debeant ante uſum rationis?

Petrobruſſiani ab auctore ſuo Petro de Bruis ſic dicti, & Henriciani ab Henrico Petri de Bruis diſcipulo, negarunt XII. ſæculo baptiſmum parvulis poſſe conferri, ex ſancto Bernardo epiſtola 240. Eundem errorem amplexi ſunt Valdenſes.

Ex Secta Lutheri prodierunt Anabaptiſtæ anno 1527. qui ex hoc Magiſtri principio, quòd Sacramenta ſuſcipiens, juſtificetur per ſolam fidem, cujus parvuli capaces non ſunt, eruerunt, duce quodam Balthaſare, baptiſmum parvulis non debere conferri, & ita docuere repugnantibus Luthero, & Calvino.

Tertull.

Tertull. quidem non negavit parvulos baptismi esse capaces, sed existimavit differendum usque ad adultam ætatem, qua per se respondere possint: *Quid . . . . necesse est*, inquit, libro de Baptismo c. 18. . . . *sponsores . . . . periculo ingerit?* Ubi agnoscit morem antiquum, secundùm quem sponsores, seu patrini fidejubebant pro parvulis quos baptizandos offerebant.

Sanctus Gregorius Nazianzenus videtur huic favisse sententiæ, quatenus oratione 40. in sancta lumina, monet, ut differatur baptismus parvulorum, saltem usque ad triennium, aut quadriennium, sed non ultra propter mortis periculum. Erasmus vero à Facultate Parisiensi damnatus anno 1527. docet Epistola præfixa Paraphrasi in Matth. parvulos, cùm adoleverint interrogandos, num ratum habeant, quod pro ipsis patrini polliciti sunt, nec esse cogendos, si renuerint, ad illud observandum. Quid autem in his credendum sit fidelibus, declarat Concilium Tridentinum, sess. 7. sequentibus Canonibus.

Can. 12. *Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est: vel in ipso mortis articulo; anathema sit.*

Canone 13. *Si quis dixerit parvulos, eo quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse*

eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum ſuſceptione arceantur, donec reſipiſcant; anathema ſit. Quare, juxta ejuſmodi Decreta ad propoſitam quæſtionem,

R. De fide eſt, parvulos eſſe baptiſmi capaces, nec expectandam eorum adultam ætatem. Patet ex definitione Concilii Tridentini, nobiſque conſentiunt Lutherani, & Calviniſtæ.

Probatur 1. ex Scriptura, obſcura quidem in hac parte, ſed per interpretationem univerſalis Eccleſiæ, à primis ſæculis dilucidè explicata, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Ubi Chriſtus Dominus baptiſmum tanquam medium onmibus ad ſalutem neceſſarium præſcribit: Ergo eſt infantibus applicandus.

Reſp. poſſet illud medium non magis ſpectare infantes jam natos, quàm nondum natos, ſuadeturque ex eo quòd baptiſmo jungendæ ſint inſtructio & fides, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Porrò infantes ſive nati, ſive non nati, nec poſſunt doceri, nec credere: ergo nec baptizari.

Hæc quidem reſponſio torquet Lutheranos & Calviniſtas, Traditionem rejicientes; Catholici verò difficultatem facilè ſolvunt auctoritate univerſalis Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis per continuam Traditionem accipit Chriſtum Dominum hanc baptiſmi legem extendiſſe ad parvulos. Quare

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione.

S. Ire-

S. Irenæus Apostolorum temporibus proximus sic scribit lib. 2. cap. 39. *Omnes per seipsum* (Christus) *venit salvare, omnes, inquam, qui per ipsum renascuntur in Deo, infantes & parvulos, juvenes & seniores.*

Origenes in cap. 6. epist. ad Romanos: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare baptismum.* Jam attulimus testimonium Tertulliani contemporanei.

Sanctus Cyprianus epist. 59. ad Fidum, qui circumcidentium more, expectabat diem octavum, ut baptizaret, sic scribit: *Hæc fuit in Concilio nostra sententia à baptismo atque à gratia Dei . . . neminem per nos debere probiberi . . . tum magis circa infantes ipsos & recens natos observandum putamus.*

S. Augustinus libro 1. de peccatorum meritis cap. 26. probans contra Pelagianos peccatum originale, quod illi negabant; ita habet: *Quia parvulos baptizandos esse concedunt* (Pelagiani) *qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt, concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris.* Hic locus insignis est, sufficitque ad demonstrandum tam constantem, tamque universalem fuisse quarto & quinto sæculo Ecclesiæ consuetudinem baptizandi parvulos, ut ipsi Pelagiani quamvis inde maximè urgerentur, eam negare, aut rejicere non auderent. Unde liquet Walfridum lapsum esse memoria, cùm nono sæculo scripsit libro de rebus Ecclesiastis, primis temporibus solùm iis baptismi gratiam dari solitam, qui ad hoc pervenerant, ut scire possent quid emolumenti in baptismo consequerentur; Synodumque Parisiensem eodem sæculo benignè intelligendam esse de adultis, cùm docet lib. 1. cap. 6. quòd in primordio Eccle-

Eccleſiæ nemo ad perceptionem baptiſmatis admittebatur, niſi priùs fuiſſet inſtitutus; aliàs error eſſet manifeſtus contra indubiam Hiſtoriæ veritatem.

Dices; ex allatis teſtimoniis colligitur ſolùm infantes baptizari poſſe in caſu neceſſitatis, quo ceſſante, antiquitùs differebantur ad adultam ætatem, ut liquet ex Sanctis Gregorio Nazianzeno, Ambroſio, Auguſtino, & pluribus aliis, qui licèt orti ex piis parentibus, tamen nonniſi grandiores effecti, & decurſis gradibus cathechumenatus, baptiſmi gratiam percipiebant: ergo infantes nonniſi in mortis periculo ſunt baptizandi.

Nego antec. Cujus falſitas arguitur, vel ex ſola controverſia, tertio ſæculo orta, num expectandus eſſet octavus dies, in qua ſanè controverſia, non agebatur de parvulis in extremo vitæ periculo conſtitutis; cùm in hac hypotheſi non eſſet locus procraſtinandi; ſed de parvulis bene valentibus, quorum baptiſmus ſecundùm omnes non erat differendus ultra octavum diem, & ſecundùm S. Cyprianum, & ſexaginta alios Epiſcopos, quos in hanc rem congregaverat, ſtatim ab ortu erat conferendus.

Negandum tamen non eſt, quin parentes etiam pii expectarint adultam filiorum ætatem, quò paratiores baptiſmi gratiam conſequerentur. At contra eorum ſpem ex ejuſmodi procraſtinatione innumera oriebantur mala & ſcandala. Plures enim adulti baptiſmum negligebant, nonnunquam etiam uſque ad ultimam ægritudinem rejiciebant; alii, ut liberiùs propriis cupiditatibus indulgerent, nulla lege refrænati: alii, ut plenè in ipſo exitu purgati, recta via ad cœlum evolarent, quibus malis occurrens Eccleſia

ſapien-

ſapientiſſimè ſanxit, ut parentes filios ſtatim ab ortu baptizandos offerrent.

Inſtabis: ſaltem parvuli ſic baptizati, niſi ratum habuerint grandiores effecti, quod patrini pro ipſis ſpoponderunt, non ſunt cogendi ad obſervandas Eccleſiæ leges, abſurdum enim eſt condemnare quenquam ad ſubeundum aliquod onus, quod alter ſine ejus mandato promiſit: ergo qui in infantia baptizati ſunt, ſuo relinqui debent arbitrio.

Nego antecedens, quia omnes & ſinguli tenentur etiam ſine patrinorum ſponſione ad legem divinam ſervandam, ad baptiſmum ſuſcipiendum, ad abrenuntiandum diabolo, & pompis ejus, & ad obediendum Eccleſiæ Catholicæ: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, inquit Chriſtus, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Luc. 10. *qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marc. cap. 16. Hoc ſolùm intereſt adultos inter & infantes, quòd illi, cùm ſui ſint juris, debeant Eccleſiæ ſe ſubjicere propria voluntate, & niſi faciant peccent: illi verò, quia ſui juris non ſunt, ſed parentum, poſſint & debeant eorum voluntate Eccleſiæ ſubjici: nec ulla fit eis injuria, ſed ingens confertur beneficium, licèt ex baptiſmo conſequatur obligatio obſervandi Eccleſiæ leges. Sic in foro ſive interno, ſive externo teneretur quis ſolvere impenſas, quas alter ſine ejus mandato fecit, ut equum, aut bovem errantem domum ejus reduceret. Ejuſmodi enim officia charitatis dicuntur apud Juriſperitos quaſi contractus; quia habent eandem vim obligandi, ac contractus propriè dicti.

CAPUT VIII.

Poſſuntne baptizari Judæorum & Infidelium infantes invitis parentibus?

R. 1. Poſſunt validè; eſt contra Durandum & paucos alios.

Probatur, quia nihil deeſt in ejuſmodi Baptiſmo ad veritatem Sacramenti: *Non . . . . ſcriptum eſt*, inquit S. Auguſtinus Epiſtola 98. aliàs 23. ad Bonifacium num. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex parenrentum voluntate . . . . . ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Et infrà num. 5. *offeruntur . . . . parvuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus . . . . quàm ab univerſa ſocietate Sanctorum . . . . . . tota . . . . mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit; quia tota omnes, tota ſingulos parit.*

Difficultas eſt utrùm id fieri poſſit licitè?

R. 2. Filii hæreticorum poſſunt licitè baptizari invitis Parentibus. Probatur 1. Quia parentes, utpotè jam baptizati, Eccleſiæ ſubditi ſunt, ac proinde cogi poſſunt ad ſervandas ejus leges. 2. Quia Eccleſia ſemper probavit leges Imperatorum contra hæreticos latas: *Cur . . . . non cogeret Eccleſia*, inquit S. Auguſtinus Epiſtol. 185. aliàs 50. cap. 6. num. 23. *perditos filios ut redirent, ſi perditi filii alios coegerunt ut perirent?* Et paulò ante num. 22. *ubi eſt, quod . . . . . . clamare conſueverunt, liberum eſt credere, vel non credere? Cui Chriſtus vim intulit? . . . . Ecce habent Paulum Apoſtolum; agnoſcant in eo priùs cogentem Chriſtum, & poſteà docentem, priùs ferientem, & poſteà conſoſolantem*, nempe Act. 9.

R. 3. Filii mancipiorum licitè baptizari poſſunt invitis parentibus, quia tam ipſi quàm parentes ſunt ſub dominio dominorum, poſſuntque abſque injuria parentibus ſubtrahi. Idem dicendum de his qui jure belli capti ſunt, qui ita in victoris poteſtatem veniunt, ut fas ei ſit illos parentibus eripere, vel etiam vendere, ſicque excuſantur Mathathias & amici ejus, qui circumciderunt pueros quotquot invenerunt incircumciſos in finibus Iſrael, 1. Mach. 2. verſ. 46. quanquam dici poteſt eos non paganorum, ſed Judæorum filios circumcidiſſe.

R. 4. Una eſt Theologorum ſententia filios infidelium, qui nequidem civiliter Chriſtianis Principibus ſubditi ſunt, illicitè baptizari reluctante utroque parente, niſi jamjam ſint morituri. Ratio eſt, quia, vel illi infantes ſubtraherentur patriæ poteſtati, vel non: primum fieri non poteſt ſine injuria parentum, quibus jus à natura conceſſum eſt educandi & inſtituendi filios nondum rationis compotes: ſecundum verò exponeret Sacramentum evidenti periculo profanationis, cùm liberi curæ parentum infidelium dimiſſi, eorum ſuperſtitionem infallibiliter ſequantur.

Dixi 1. *Reluctante utroque parente*; Si enim vel ſola mater ſit Chriſtiana, cùm & ipſa jus habeat inſtituendæ prolis, infans invito patre infideli licite baptizabitur. Ita ſanxit Concil. Toletanum IV. cap. 62.

Dixi 2. *Niſi illi infantes jamjam ſint morituri*; Quia tunc nec eriperentur paternæ poteſtati, nec Baptiſmus profanationi exponeretur.

Sed controvertitur in Scholis, num filii Judæorum, & aliorum infidelium non baptizatorum,

qui

qui Principibus Christianis civiliter sunt subditi, possint licitè baptizari, invitis parentibus?

Affirmat Scotistarum Schola: 1. Quia Baptismus est juris divini, cui cedere debet jus paternum in filios: *Obedire* enim *oportet Deo magis, quàm hominibus*, Act. 5. 2. Quia parentes jus non habent prohibendi quominus liberi baptizentur: cùm jure divino teneantur, tum sibi, tum filiis providere de medio ad salutem necessario; Deus enim concessit illis potestatem in filios in ædificationem, & non in destructionem, ut dicitur, 2. Corinth. cap. 13. Unde si pater Judæus in filium crudeliter sæviret, Princeps, cui politicè subditus est, posset & deberet subvenire injustè oppresso, illumque subtrahere paternæ tyrannidi. 3. Scriptum est Eccl. 17. vers. 12. *Mandavit illis unicuique de proximo suo*, quantò magis iis; qui ideò præsunt, ut saluti subditorum invigilent? 4. Multi Principes Christiani laudantur, qui Judæos sibi politicè subditos vi & minis ad amplectendam Religionem Christianam compulerunt, ut Childericus Francorum Rex, ex Gregorio Turonensi lib. 6. Hist. cap. 17. Sisebutus in Hispania; Carolus Magnus in Germania. Nihilominus

R. 5. Cum S. Thoma 2. 2. quæst. 10. art. 12. & ejus Schola, aliisque communiter Theologis; nefas est baptizare parvulos, invitis eorum parentibus infidelibus, civiliter dumtaxat subditis.

Probatur 1. ex constanti usu Ecclesiæ, quæ ut observat S. Thomas citato art. 12. nunquam egit apud Imperatores etiam Religionis Christianæ amplificandæ studiosissimos, ut ejusmodi infideles cogerent sacra nostra suscipere, iisque parvulos suos initia-

initiare; quin improbavit, ſi quando ex Principibus Chriſtianis aliqui minas & verbera in hanc rem adhibuerint. Illud patet, tum ex ſancto Gregorio Magno, tum ex Concilio quarto Toletano, cui ſexaginta duo Epiſcopi ſubſcripſere.

Sanctus quidem Gregorius lib. 1. Epiſtol. 45. ſic ſcribit: *Intentionem quidem hujuſmodi laude dignam cenſeo, ſed timeo ne animarum, quas eripi volumus, diſpendia ſubſequantur; dum enim quiſpiam ad Baptiſmatis fontem, non prædicationis ſuavitate, ſed neceſſitate pervenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans, inde deteriùs moritur, unde renaſci videbatur.* Et lib. 2. Epiſt. 52. *Nova atque inaudita eſt illa prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.*

Concilium quoque Toletanum quartum tria ſanxit; primum, ne quiſquam Judæus aut quivis infidelis ad fidem cogatur: *De Judæis:* inquit, cap. 56. *præcipit ſancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; cui enim vult Deus, miſeretur, & quem vult, indurat; non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ.* Secundum, ut compellantur ſervare Eccleſiæ leges qui olim baptizati ſunt, quamvis inviti; quia quævis externa coactio liberum & voluntarium prorſus non tollit: *Qui autem*, pergit eodem capite, *jampridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt venire (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti) quia jam conſtat eos Sacramentis divinis ſociatos Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe . . . . . . Oportet ut fidem, quam etiam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur.* Tertium, cap. 59. ut ſeparentur filii jam baptizati à parentibus infidelibus. *Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus.*

Ergo

Ergo contemni debent exempla in confirmationem oppoſitæ ſententiæ allata; cùm ab Eccleſia fuerint improbata; quamquam Carolus Magnus non receſſit à legibus in Concilio Toletano ſancitis; namque primo, devicerat Saxones rebelles, ac proinde jure belli potuit tollere eorum filios. Secundò, non erant Pagani, ſed apoſtatæ à Religione Chriſtiana, ut probat Baronius: atqui hæretici & apoſtatæ cogi poſſunt ex Concilio Toletano quarto: Ergo. 3. Alcuinus (cui fides adhiberi debet magis, quàm Guillelmo Malmesburienſi, cùm eſſet familiaris Carolo Magno, & in ejus comitatu) Epiſtola 7. ad Carolum Magnum, ipſi gratulatur ob clementiam Saxonibus exhibitam: *Ecce*, inquit, *quanta devotione & benignitate pro dilatatione nominis chriſtiani duritiam infidelis populi Saxonum per veræ ſalutis conſilium emollire laboraſti;* Perſuaſum quippe erat Alcuino prædicatores paganorum debere uti pacificis & prudentibus verbis, quemadmodum ſcribit ad Archarium regalis Palatii, *ne*, inquit, *ſi cogantur, fallaciter Baptiſmum ſuſcipiant.*

Probatur 2. ratione, quam affert S. Thomas cit. art. 2. *Qumadiu . . . uſum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Unde ſicut bos vel equus eſt alicujus, ut utatur eo cùm voluerit ſecundum jus civile, ſicut proprio inſtrumento: ita de jure naturali eſt, quòd filius, antequàm habeat uſum rationis, ſit ſub cura parentum. Unde contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi . . . . à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Poſtquam autem incipit habere uſum liberi arbitrii, jam incipit eſſe ſuus, & poteſt, quantùm ad ea quæ ſunt juris divini, vel naturalis, ſibi ipſi providere. Et tunc eſt inducendus ad*

fidem non coactione, sed persuasione: & potest etiam invitis parentibus, consentire fidei, & baptizari.

Ad singula momenta oppositæ sententiæ respondeo sigillatim.

Ad primum, Nego præceptum naturale debere cedere positivo Dei præcepto; quia præterquam quod utrumque est divinum, cùm Deus sit auctor legis naturalis, præceptum naturale est magis necessarium, quàm positivum, adeòque in concursu præferendum. Hinc est, quòd uxor, aut filius familias votum implere non debeat repugnante marito, aut patre, ut dictum est, ubi de voto, quamvis obligatio voti sit juris divini. Nec dici potest hominem præferendo legem naturalem, obedire hominibus magis quàm Deo; cùm obsequatur Deo præcipienti, ut præferatur lex naturalis positivæ, utpotè magis necessaria.

Ad secundum, unicuique Deus mandavit de proximo suo, scil. ut periclitanti subveniat fraternæ charitatis correctione, &, ut loquitur sanctus Gregorius, prædicationis & exhortationis suavitate, non verò violenta coactione, nisi sit superior. Porrò Ecclesia nullam habet jurisdictionem in infideles non baptizatos; Principibus verò politicis competit quidem jurisdictio temporalis in infideles civiliter subditos, qua ipsis præcipere possunt, quæ conferunt ad Republicæ pacem, & punire, si eam perturbent, si in proprios filios, qui sunt corporis politici membra, crudeliùs agant; sed eorum potestas non extenditur ad ea, quæ sunt supernaturalis ordinis.

Ad tertium; licèt omnis potestas data sit à Deo in ædificationem, homines tamen ea plerumque abutuntur, sicut qualibet alia re sibi à Deo

à Deo concessa, puta sanitate, pecunia, vino, &c. sed nunquid propterea fas erit ista ab eis auferre?

CAPUT IX.

De necessitate Baptismi.

Q. 1. *Baptismus estne ad salutem necessarius?*

Manichæi, ex Sancto Augustino libro de Hæresibus cap. 46. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.

Pelagiani peccatum originale negantes, docuerunt sine baptismo haberi posse vitam quandam beatam & æternam, sed ad regnum Dei non perveniri nisi per Baptismum, Christo dicente Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Distinctionem autem illam inter vitam æternam & regnum Dei, contra expressa Scripturæ verba à Pelagianis effictam demonstrat S. Augustinus Serm. 14. de verbis Apostoli, nunc autem 294. quod enim Christus Dominus regnum vocat Matth. 25. v. 34. nominat vitam æternam v. 46. *Ibunt*, inquit, *hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Socinianos etiam, qui in Baptismo non agnoscunt nisi symbolum exterius fidem excitans, Sacramenti necessitatem negare necesse est. Contra hos hæreticos ad quæstionem propositam

R. De fide est Sacramentum Baptismi necessarium esse necessitate medii, saltem in voto; dico, saltem in voto, nam ubi Sacramentum percipi

non poteſt, Baptiſmus flaminis, & Baptiſmus ſanguinis, qui dicunt Sacramentum in voto, ſupplere poſſunt, ut patebit ex mox dicendis.

Probatur 1. ex Scriptura, Joan. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnnm Dei:* Illud enim dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo, etiamſi in aliqua hypotheſi ſupponatur impoſſibile, finis obtineri non poteſt; ſic alimenta neceſſaria ſunt neceſſitate medii ad vitam animalem conſervandam; quia iis deficientibus, animal interire neceſſe eſt; atqui ex laudato textu ſine Baptiſmo non patet ingreſſus in regnum Dei, quod eſt ultimus finis & vita æterna: Ergo.

Probatur 2. ex Traditione.

Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 17. de eo qui periclitantem non baptizavit, *reus erit*, inquit, *perditi hominis.*

S. Chryſoſtomus hom. 3. in cap. 1. Actuum, de Epiſcopo ait: *Si vel unus tantùm decedat non initiatus, nonne totam ipſius ſubvertit ſalutem? unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione æſtimari poſſit.*

Concilium Carthaginenſe quartum Epiſtola Synodica ad Innocentium I. ſic ſcribit: *Quicunque negat parvulos per baptiſmum Chriſti à perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam; anathema ſit.* Similia habet Concilium Milevitanum Epiſt. ad eundem ſummum Pontificem, qui in ſua reſponſione eandem ſententiam confirmavit.

Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 5. de Baptiſmo; *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.*

Dices;

Dices; Gabriel Biel in quartum, Joannes Gerſon in concione habita in Feſto Nativitatis Beatæ Virginis coram Synodo Conſtantienſi generali, parentes hortatur Deum orare pro pueris in materno utero morituris; *Quis enim ſcit*, inquit, *ſi fortè exaudiat?* Cardinalis item Cajetanus in tertiam partem S. Thomæ ad articulum 11. quæſt. 68. *Dicendum*, inquit, *ſub conditione tamen parvulos in uteris maternis periclitantes poſſe ſalvari, ſicut dictum eſt de infantibus, qui non poſſunt baptizari.* Imò Concilium Tridentinum, teſte Palavicino in ſua hiſtoria, pepercit ſententiæ Cajetani, nec voluit audire, qui eam damnandam aſſerebant; ergo ſaltem de fide non eſt Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii.

R. Cum S. Auguſtino lib. 1. de peccat. meritis cap. 23. *Nulla ... ex noſtro arbitrio præter Baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.*

R. 2. Pium V. juſſiſſe expungi illam ſententiam ex commentariis Cajetani, utpotè contrariam doctrinæ Eccleſiæ, quæ nunquam pro infantibus ſine Baptiſmo defunctis oravit; ſed eos ita à communione fidelium excluſit, ut nequidem ſepulturam Chriſtianorum ipſis conceſſerit: ideò autem Concilium Tridentinum Cajetani doctrinam expendere noluit, quia ex eodem Palavicino, ejuſmodi materia non pertinebat ad controverſias, propter quas ſopiendas Patres convenerant.

R. Denique etiamſi extraordinariè Deus nonnullis infantibus ſalutem ſine Baptiſmo conceſſerit, ut referunt quædam hiſtoriæ; proptereàque Theologi in objectione laudati, miſericordiam di-

vinam obnoxiùs implorandam pro pårvulis in utero periclitantibus ſuaſerint, nihilominùs ſtabit catholica propoſitio, Baptiſmum à Chriſto Domino inſtitutum eſſe, uti remedium unicum ad peccatum originale delendum, & vitam æternam obtinendam. Sic alimenta ſimpliciter dicuntur neceſſaria vitæ animali, quamvis Deus aliquos ſine cibo extraordinariè ſervaverit incolumes.

Q. 2. *Baptiſmus eſtne etiam neceſſarius neceſſitate præcepti?*

Eſt adultis neceſſarius, quia ratio naturalis dictat conſulendum propriæ ſaluti, & aſſumenda media, ſine quibus obtineri non poteſt. Hinc graviter peccaret, cenſereturque ſui ipſius homicida, qui omnem cibum rejiceret.

Dixi, *adultis*; Nam parvuli capaces præcepti non ſunt, cùm non habeant uſum propriæ voluntatis. Unde ſi ſine Baptiſmo decedant, non damnantur tanquam præcepti tranſgreſſores, nec præciſè propter omiſſum Baptiſmum, ſed propter originalem maculam. Et hoc extendendum ad infideles negativos, hoc eſt, ad illos, qui de Chriſto Domino & ejus Evangelio nihil quidquam audire potuerunt. Hi quippe pereunt, non quia baptizati non ſunt, ſed quia in peccatis ſuis moriuntur.

Q. 3. *Sacramentum Baptiſmi eſtne omnibus hominibus neceſſarium?*

Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 16. negavit eſſe neceſſarium fidelium liberis, atque ad ſtabiliendum ſuum errorem abutitur his Scripturæ textibus, Geneſeos 17. ubi Deus fœdus ſtatuit cum Abraham his verbis; *Statuam pactum meum inter me*

me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te, Rom. 11. verſ. 16. *Quòd si delibatio sancta est, & massa; si radix sancta, & rami*, 1. ad Cor. 7. verſ. 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Contra hunc errorem

R. Univerſalis Eccleſiæ conſtans eſt doctrina, Sacramentum Baptiſmi eſſe omnibus omninò hominibus, etiam fidelium liberis, neceſſarium.

Probatur 1. ex Scriptura, quæſt. 3. Joannis cap. ſæpius laudato: *Nisi quis renatus*, &c. Neminem excipit à lege baptiſmi, ut advertit S. Ambroſius libro 2. de Abraham capite ultimo: *Nullum excipit*, inquit, *non infantem, non aliqua necessitate præventum.*

Probatur 2. ex Traditione Eccleſiæ, quæ ſemper aſſeruit parentes Chriſtianos non poſſe niſi per baptiſmum ſaluti filiorum conſulere. Enimverò eos ſpectant gravia illa monita SS. Patrum prima noſtra reſponſione laudata, Baptiſmum parvulorum non eſſe negligendum, reum eſſe hominis perditi, qui infantem ſine Baptiſmo decedere permiſerit: *Cùm Dominus*, inquit ſanctus Cyprianus Epiſtola 59. ad Fidum, *in Evangelio suo dicat, Filius hominis non venit animas .... perdere, sed salvare, quantùm in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est .... si ... à Baptismo ..... nemo prohibetur, quantò magis prohibere non debet infans, qui recèns natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?* Certè non intonant iſta parentibus infidelibus, qui ritum Baptiſmi velut ſuperſtitioſum

ſum contemnunt. Sed clariùs S. Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 12. n. 31. ubi luget miſeram ſortem parvulorum, qui è vita rapiuntur, dum pii parentes ipſis ſubvenire feſtinant: *Quid etiam*, ait, *quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in damnationem, & filiis fidelium non potuit Baptiſmate ſubveniri?*

Ad textus à Calvino oppoſitos reſpondeo

Ad primum, Deus Geneſ. 17. solùm promittit Abrahæ, quòd poſteri ejus futuri ſibi ſint in populum peculiarem. Quòd autem hæc promiſſio non pertineat ad ordinem gratiæ, Calvinus advertere debuit multos Abrahæ filios fuiſſe reprobos, quia, ut obſervat Apoſtolus Rom. 9. *Non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis.* De Jacob quippe & Eſau antequam nati fuiſſent, aut quidquam boni aut mali egiſſent, *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret .... ſcriptum eſt: Quia major ſerviet minori: ... Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Denique ex fœdere, quod Deus cum Abrahamo pepigit, omnes ejus poſteri, nullo excepto, debebant circumcidi: ergo, cùm in nova lege Baptiſmus ſuccedat circumciſioni, omnes fidelium liberi lege Baptiſmi aſtringuntur.

Ad ſecundum, vult ſolum Apoſtolus cit. c. 11. ad Rom. Deum non abſolutè & in æternum repuliſſe plebem ſuam, id eſt Iſraelitas, quorum adoptio eſt filiorum & gloria & teſtamentum, quorum etiam patres ſunt primitiæ, ſeu delibatio; cùm enim Deus benedicere ſoleat maſſæ, ſeu cumulo propter primitias inde ſibi oblatas, ſperandum eſt ipſum reliquias Iſrael collecturum ſaltem in fine mundi. Legatur caput

put integrum & patebit eſſe prorſus alienum à propoſito.

Ad tertium, ex cap. 7. 1. ad Cor. ductum, Apoſtolus manifeſtè non loquitur de ſanctitate propriè dicta; nunquid enim maritus infidelis verè ſanctus eſt propter cohabitationem cum uxore fideli? abſit: diſpoſitivè ergo ſanctus eſt, quatenus converſatio cum uxore fideli diſponit illum ad fidem, ſicque fit Candidatus fidei, ut ſcribit S. Hieronymus lib. 1. cont. Jovinian. Idem quoque de eorum liberis dicendum, non enim deſunt exempla parvulorum, *quos*, inquit S. Auguſtinus, *ad Chriſtianos faciendos voluntas unius parentis evicerat.* Ita quoque hunc locum interpretatur Tertullianus lib. 1. de anima c. 39. ubi vocat filios, quorum, vel unus parens eſt fidelis, deſignatos ſanctitati & ſaluti.

Addo hujuſmodi infantes dici ſanctos ſanctitate legali, & exteriori, hoc eſt, legitimos, non verò ſpurios. Eo enim loci docet Apoſtolus matrimonium inter fideles contractum, non evadere illicitum per converſionem unius, putà uxoris, ac proinde illam debere cohabitare cum marito, ſi ille conſentiat; quia ſi ſeparentur, filii eorum immundi, id eſt, ſpurii & illegitimi haberentur; ſervato autem conjugali vinculo, ſancti ſunt, id eſt, mundi, & legitimi reputantur.

CAPUT X.

Utrùm Baptiſmus ſanguinis, & Baptiſmus flaminis aliquando ſuppleant Baptiſmum fluminis?

R. Baptiſmus tum ſanguinis, tum flaminis ſupplent

plent Baptismum fluminis, sed diverso modo. Tres responsionis sunt partes.

Prima pars, quæ est de Baptismo sanguinis, probatur. Qui sanguinem fundunt Christi causa, vel sunt adulti, vel infantes: atqui sive adulti, sive infantes effusione proprii sanguinis pro Christo gratiam Sacramenti Baptismi consequuntur: Ergo.

Minor quoad adultos probatur ex Scriptura, Matth. 10. vers. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est:* in quem locum sic scribit sanctus Cyprianus, Epist. 73. ad Jubajanum: *Nunquid potest vis Baptismi major esse, aut potior quàm confessio, ut qui coram hominibus Christum confiteatur?*

Et sanctus Augustinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 7. *Quicunque*, inquit .... *non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit:* Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, *alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit:* Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Dices; ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. translatio à peccato ad justitiam post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest: Ergo.

Nego conseq. Nam præterquam quòd Tridentini Patres loquuntur de casibus ordinariis, in Martyrio includitur votum Sacramenti Baptismi, saltem implicitum.

Insta-

Inſtabis: S. Cyprianus epiſt. 54. ad Cornelium, ſic ſcribit: *Nec quiſquam dicat, qui Martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro gloriæ ſuæ pacem; & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.* Ergo S. Cyprianus non exiſtimavit Martyrium ſupplere Baptiſmum.

Nego conſeq. Eo enim loci ſanctus Martyr contendit ſolùm armandos eſſe fideles Sacramentorum perceptione, priuſquam ineant periculoſum illud certamen: *Ut quos*, inquit...., *hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus... Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia, erigit, & accendit.*

Eadem Minor quoad infantes probatur exemplo ſanctorum Innocentium, quos Eccleſia à primis ſæculis veneratur, ut qui fidem non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſint. Tanta vero eſt precum Eccleſiaſticarum auctoritas, ut legem credendi ſtatuat lex ſupplicandi, ex S. Proſpero in reſp. ad cap. Gall. *Horum memoria*, inquit Orig. hom. in varia Evangelii loca, *ſemper ut dignum in Eccleſiis celebratur, ut ipſa Bethlehem, in qua natus eſt Dominus, primitias Martyrum obtuliſſe videatur.* Et ſanctus Auguſtinus ſerm. 373. aliàs 66. de diverſis, numer. 3. *O parvuli beati*, inquit, *modò nati.... nondùm luctati, jam coronati: ille de veſtra corona dubitaverit in paſſione pro Chriſto, qui etiam Baptiſmum parvulis prodeſſe non exiſtimat Chriſti.*

Dices. 1. Innocentes ab Herode occiſi, circumciſionis beneficio ſalvati ſunt: ergo illorum exemplum trahi non debet ad infantes, qui, non

non percepto Baptiſmo, propter Chriſtum occiduntur.

Nego antecedens: Herodes enim occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu & infra, Matth. 2. ergo non ſolos circumciſos, ſed & eos, qui nondum attigerant octavum diem quo circumciſio celebrabatur. Deinde Eccleſia ſollicitè non inquiſivit, quinam ex iis circumciſi fuerint, ſed omnes indiſcriminatim ſemper coluit ut Martyres propter paſſionem.

Dices 2. Infans, quem mater geſtat in utero, dum illa baptizatur, non cenſetur baptizatus ex dictis: ergo nec pro Martyre habendus eſt, ſi dum torquetur mater pro Chriſto, ipſe in utero ejus prævocetur.

Nego conſeq. Diſparitas eſt quòd infans in utero materno incluſus, ſit perſona à matre diſtincta, ac proinde de ſacro fonte ſeparatim abluenda. Hinc ſi fœtus prodeat monſtroſus, præſumaturque in eo duplex anima propter duplex caput, aut pectus, effundenda eſt aqua ſuper utrumque caput, aut pectus, dicendo abſolutè in prima effuſione: *Ego te baptizo*, &c. In altera verò ſub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. At matre propter Chriſtum patiente, infans, quem geſtat, vere Chriſti cauſa interficitur, nec in materno, ſed in proprio ſanguine abluitur, & ita Martyr effectus in cœlum avolat.

Secunda pars, quæ eſt de Baptiſmo flaminis. Probatur 1. ex Scriptura, quæ ſalutem promittit Deum invocantibus, & diligentibus, Joelis 2. *Qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, Joann. 14. *qui . . . . . diligit me, diligetur à Patre*

Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Probatur 2. ex Patribus.

S. Ambrosius in oratione funebri Valentiniani junioris, & adhuc catechumeni, sic loquitur: *Quem in Evangelio generaturus eram, amisi: sed ille non amisit gratiam, quam poposcit ..... quòd si Martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.*

S. Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 22. num. 29. *Inventio*, inquit, *non tantùm passionem pro nomine Christi, id, quod ex baptismo deerat, posse supplere: sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.*

S. Bernardus auctoritate SS. Ambrosii & Augustini fretus, Epist. 77. ad Hugonem Victor. cap. 2. cum quadam acrimonia insectatur anonymum, qui contra communem Catholicorum sententiam asserebat neminem posse salvari, nisi Baptismo in re suscepto, vel Martyrio: *Ab his .... duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, mè aut errare, aut sapere fateor; credens & ipse sola fide hominem posse salvari; cum desiderio percipiendi Sacramentum: si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit: Vide etiam ne fortè ob hoc Salvator cum diceret*, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, *cautè & vigilanter non repetierit*, qui verò baptizatus non fuerit, *sed tantùm*, qui verò, *inquit*, non crediderit, condemnabitur: *Nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Quapropter & si Martyrium vicem Baptismi posse*

implere conceditur, non planè hoc facit pœna, sed ipsa fides. Nam absque ipsa quid est martyrium, nisi pœna? Qua ergo martyrio præstat, ut absque ulla dubietate pro Baptismate reputetur, ipsa ita infirma & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola obtinere non valeat?

Dices: ex S. Ambrosio lib. de initiandis c. 4. *Credit catechumenus, sed nisi baptizetur, remissionem peccatorum non potest obtinere.* Et ex S. Augustino tract. 13. in Joann. *quantumcunque . . . catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nisi cum venerit ad Baptismum.* Similia habet sanctus Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. 3. Gennadius quoque libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. sic scribit: *Nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio.* Denique Concilium Braccarense primum sic decernit can. 35. *Catechumenis sine Redemptione Baptismi defunctis nec oblationis sanctæ commemoratio, nec psallendi impendatur officium.* Ergo baptismus flaminis, seu votum & desiderium percipiendi Sacramenti, non supplet baptismum fluminis.

Distinguo anteced. Nisi baptizetur vel actu, vel in voto, Conc. Nisi baptizetur actu, subdistinguo, si votum baptismi non excludat voluntatem peccandi, nec sit charitate perfectum, Conc. Si votum excludat voluntatem peccandi, & charitate sit perfectum, Nego anteced. Sic generatim dicimus lapsos post baptismum portare sarcinam peccatorum, donec ea deposuerint beneficio clavium Ecclesiæ, quamvis ex eis aliqui bonis operibus sese disponant; quia rarò perfecta contritio Sacramentum præcedit. Quantò autem

autem veriùs id dicitur de iis, qui cum proposito confitendi differunt de die in diem, alii ad annum, alii usque ad vitæ extremum, interimque propriis cupiditatibus indulgent? atqui Catechumenorum causa prorsus erat similis; exceptis enim iis, revera respectu aliorum paucissimis, qui ad gratiam regenerationis parabantur eo quo infra dicemus modo; cæteri baptismum differebant ad multos annos, aliquando usque ad ultimam ægritudinem, adeò ut si spes recuperandæ valetudinis affulgeret, nequidem in morbo abluerentur, quasi per baptismum tempus peccandi amitteretur. *Sonat undique in artibus nostris*, inquit S. Augustinus lib. I. Confess. cap. II. *sine illum faciat quod vult, nondum enim baptizatus est: & tamen in salute corporis non dicimus, sine vulneretur amplius, nondum enim sanatus est.* Contra ejusmodi procrastinationes SS. Patres frequenter invehuntur; quin Ecclesia à sacris Ordinibus arcebat, qui à nomine Græco dicebantur clinici, id est, abluti dum in lectulo periculosè decumberent, & laudatum Concilium Braccarense, ut tanto malo efficax remedium afferret, terreretque procrastinantes Catechumenos, prohibuit ne pro iis, si in catechumenatu decederent, sacrificium offerretur, quemadmodum Ecclesia etiam nunc Ecclesiastica sepultura privandos decernit, qui in Paschate Eucharistiam percipere neglexerint. Sed severior illa Concilii Braccarensis disciplina non fuit in Ecclesia universali, ut constat tum ex S. Ambrosio supra laudato, tum ex Concilio Toletano undecimo, quod ejusmodi severitatem corrigit.

Tertia responsionis pars, nempe baptismum

flaminis & Baptiſmum ſanguinis non eodem modo ſupplere baptiſmum fluminis, probatur; quia votum ſeu deſiderium Baptiſmi 1. non extenditur ad parvulos, cum non habeant uſum liberi arbitrii, nec capaces ſint ullius actus. 2. non ſupplet in adultis, niſi ſit charitate perfectum. 3. etiamſi ſit charitate perfectum, non tollit, niſi extraordinariè, omnem reatum pœnæ temporalis, quemadmodum baptiſmus in re ſuſceptus. Contra verò Martyrium ſupplet etiam in parvulis, tollit ex opere operato in adultis omnem reatum ſive culpæ, ſive pœnæ temporalis: vincentesque ſtatim coronat. Unde S. Auguſtinus Serm. 159. aliàs 17. de verbis Apoſtoli, *injuria eſt*, inquit . . . . . *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Et cit. lib. 13. de Civit. Dei cap. 7. Martyrium præfert baptiſmo fluminis, *quid enim pretioſius, quàm mors, per quam fit ut & delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur? neque enim tanti ſunt meriti, qui cùm mortem differre non poſſent, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis, ex hac vita emigrarunt, quanti ſunt hi, qui mortem, cùm poſſent, ideò non diſtulerunt, quia maluerunt Chriſtum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad ejus Baptiſmum pervenire.*

CAPUT XI.

De effectibus Baptiſmi.

Pſeudo-Reformati plures effectus Sacramento Baptiſmi affingunt.

1. In-

1. Inquiunt, Baptismus reddit impeccabilem, dicitur enim 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

2. Liberat à lege tum divina, *lex* quippe *justo non est posita*, 1. Timoth. 1. tum humana, *nolite fieri servi hominum*, inquit Apostolus 1. Corinth. cap. 7. Unde Lutherus in cap. 2. Epistolæ ad Galatas, *si conscientia dictat, peccasti, responde, peccavi: Ergo Deus puniet, & damnabit: non. At lex Dei hoc dicit: Sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Et lib. de libertate Christiana, *nulla lege Christiano homini opus est, cùm per fidem liber sit ab omni lege.*

3. Omnia vota baptismus irritat: quia, inquiunt, in Baptismo plus vovemus, quàm implere possimus. Stultus ergo est, qui aliquid baptismo superaddit, imò Sacramentum injuria afficit, quasi esset insufficiens.

4. Quæcumque peccata post baptismum commissa remittuntur memoria pacti cum Deo in baptismo initi. Unde admodum ipsis displicet pœnitentiam vocari à Patribus secundam post naufragium tabulam; quia baptismus semper manet integer, nec promissiones Dei in eo obsignatæ evacuari possunt.

Has impietates & deliria alibi confutamus.

Primam, Tractatu de Gratia, ubi probamus amitti posse gratiam sanctificantem. Secundam Tractatu de Legibus, ubi de Lege Divina, & humana. Tertiam, Tractatu de Religione, ubi de Voto. Quartam, Tractatu de Pœnitentia; ubi asseritur esse Sacramentum à baptismo distinctum.

Qui sunt igitur veri effectus Baptismatis?

R. S. Chrysostomus homil ad Neophytos duodecim recenset, his verbis: *Ecce libertatis serenitate*

perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi; & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerant in peregrinationis errore: & juſtitiæ in ſorte vocantur, qui fuerant in confuſione peccati. Non enim tantum ſunt liberi, ſed ſancti: non tantùm ſancti, ſed & juſti: non ſolùm juſti, ſed & filii: non ſolùm filii, ſed & hæredes: non ſolùm hæredes, ſed & fratres Chriſti: nec tantùm fratres Chriſti, ſed & cohæredes: non ſolùm cohæredes, ſed & membra; non tantùm membra, ſed & templum: non tantùm templum, ſed & organa ſpiritus. Vides quot ſunt baptizatis largitates: nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione conſiſtere: nos autem honore computavimus duodecim.

1. Itaque baptiſmus mundat ab omni macula peccati tum originalis, tum actualis juxta illud Apoſtoli Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Hinc Sanctus Hieronymus epiſtola 83. ad Oceanum, *omnia*, inquit, *in Baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgentiam Judicis eſt metuenda ſeveritas, dicente Apoſtolo*, & hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis. Mirabile quidem eſt in oculis noſtris, ſed credibile facit nimis meritum Sanguinis Chriſti Domini, qui oblatus eſt *ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. 9. quique ſeipſum *tradidit pro ea* (Eccleſia) *ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*, Epheſ. 5.

2. Baptiſmus delet omnem reatum pœnæ, ita ut ex Concilio Tridentino ſeſſione 5. de peccato originali, *nihil prorſus eos*, (baptizatos) *ab ingreſſu cœli remoretur.* Et Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis, *baptizatis*, inquit, *nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed morientes ante-*

antequam culpam aliquam committant, statim ad regna cœlorum, & Dei visionem perveniunt.

Probatur autem ex constanti Ecclesiæ Traditione, quæ Scripturæ textus mox laudatos ad remissionem pœnæ temporalis semper extendit, nullumque pœnale opus Neophytis injunxit. *Nec post indulgentiam*, inquiebat supra Sanctus Hieronymus, *judicis est metuenda severitas.* Et Sanctus Augustinus Enchir. cap. 64. *Hac ergo . . . . magna indulgentia . . . . . . incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus;* Et lib. 6. contra Julianum cap. 16. *Omni . . . . peccato caret, non omni malo, quòd planiùs ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis;* quia scilicet homo per baptismum non restituitur integritati status innocentiæ, quæ præter gratiam sanctificantem complectebatur perfectam subordinationem partis inferioris cum superiore, immortalitatem in corpore, & immunitatem à quacumque miseria; initiatus enim quacumque gratia sanctificante ornatus, patitur membrorum inobedientiam, & corporis miserias. Sed ejusmodi mala non sunt in illo pœna propriè dicta: quia *caret reatu omnium malorum*, nec remanent ad peccati vindictam, sed ad virtutis exercitium, ut docet Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5.

Advertes tamen adultum non solvi per baptismum ab omni reatu pœnæ temporalis, nisi fuerit ad id sufficienter dispositus; qui enim abluitur cum affectu ad aliquod peccatum etiam levissimum, donec eum pœnituerit, manet ligatus reatu illius culpæ, ac consequenter reatu pœnæ. Quapropter Ecclesia Catechumenos non

statim generabat, sed diuturnis pœnitentiæ, & aliarum virtutum exercitationibus ad gratiam præparabat, ut infra dicetur. Nec Apostolos, qui nulla interposita mora credentes statim baptizabant, in exemplum trahere licet; stupenda enim credentium mutatio, quæ describitur Act. 4. numeranda est inter miracula, quibus formabatur Ecclesia. Sed postquam desierunt illa signa, utpote Religioni jam stabilitæ minùs necessaria, oportuit sequi consuetum gratiæ operandi modum, quæ nonnisi paulatim, & vigilanti Pastorum disciplina opus suum perficit.

3. Per baptismum infunditur gratia sanctificans, 1. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri.* Unde S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9. ait: *Præter quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit* (Christus) *dat etiam sui Spiritus occultissimam . . . . . . gratiam, quam latenter infundit & parvulis, sic & ille, in quo omnes moriuntur, præter quòd eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes ex sua stirpe venientes.* Ex quibus Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. merito sic concludit contra Pseudo-Reformatos: *Justificatio . . . . non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis . . . . . . dum . . . . per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsi inhæret.*

Quàm autem magnum, quamque pretiosum sit illud gratiæ sanctificantis bonum, quomodo animam immutet ac renovet, efficiatque consor-

tem

tem naturæ divinæ, ut loquitur Apoſtolorum Princeps, conſtituens illam in eſſe divino ſupra omne creatum & creabile: conſule quæ latè tradidimus Tractatu de Gratia, à pagina 379. ad paginam 418. ubi expendimus quid nomine doni ſupernaturalis intelligi debeat; hæc enim omnia huc revocanda ſunt, ut habeatur notitia hujuſce effectus baptiſmalis.

Cùm autem operari ſequatur eſſe, ſimul cum gratia ſanctificante infunduntur virtutes & Spiritus Sancti dona, veluti quædam ejus appendices, & facultates ſupernaturales ac divinæ, quibus baptizatus ſit expeditior ad omnia pietatis officia, etiam ad illa, quæ, ut heroica, communem agendi modum ſuperant, ut fusè proſecuti ſumus loco cit. pag. 370. & ſeq.

4. Baptiſmus veram tribuit juſtitiam, redditque initiatum perfectè juſtum, *ſed juſtificati eſtis*, ait Apoſtolus ſupra laudatus; juſtus enim dicitur, qui omnium virtutum habitibus eſt inſtructus, quique diſpoſitus eſt ad implendam omnem juſtitiam: atqui baptizatus ex mox dictis ita inſtructus eſt & affectus: ergo verè eſt juſtus.

5. Baptiſmus Deo gratum reddit baptizatum; quomodo enim Deus non diligeret quem efficit S. Juſtum, & in omnibus conformem ſuæ voluntati? Similitudo enim eſt amoris cauſa: *Ego*, inquit Prov. 8. *diligentes me diligo.*

6. Baptiſmus filios Dei parit, *non ex ſanguinibus*, *neque ex voluntate carnis*, *neque ex voluntate viri*, *ſed ex Deo*, nt habetur Joann. 1. Quemadmodum autem quod natum eſt ex carne, caro eſt, ita quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt, Joan. 3.

Nascuntur ergo fideles filii Dei ex aqua & Spiritu Sancto, Christo teste, laudato cap. 3. Joan. in quem locum S. Chrysost. homil. 25. in Joannem sic scribit: *Non ampliùs mater carnalis, non concubitus, & amplexus, novum jam naturæ nostræ intexitur opificium à Spiritu Sancto & aqua, quod enim matrix est embrioni, hoc aqua fideli.* Deus itaque consulit fonti quod dedit matri: quam comparationem SS. Patribus familiarem egregiè prosequitur S. August. vel quivis auctor Serm. 36. de tempore, nunc in Appendice 135. *Penè majori munere,* inquit, *quàm Maria, unda ditata est. Illa enim sibi tantùm meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret; ista ut peccata purgaret . . . illi est collata virginitas, isti donata fœcunditas: illa unum procreavit, & virgo est; ista generat plures, & pura est.* Maria quærens quomodo Deo consecrata Filium pareret audivit, *Spiritus Sanctus superveniet in te . . . . ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ipse idem quoque Spiritus Sanctus, qui in utero virgineo adfuit, in fontem descendens aquam fœcundat, ut quod ex ea nascitur, sanctum sit, & Filius Dei vocetur; Filius, inquam, non quidem natura, sed gratia. *Ea gratia fit ab initio . . . . . . homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio . . . factus est Christus, de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus,* ait S. Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15.

Fiunt itaque filii Dei in baptismo, non per deputationem externam & moralem, ut fit in adoptione humana; sed per communicationem ejusdem Spiritus: *quoniam autem estis filii,* inquit Apostolus Galat. c. 4. *misit Deus Spiritum Filii sui in*

corda vestra. Et Rom. 8. *accepistis Spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus, Abba; (Pater,) ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei;* nimirum ex indita quadam propensione & fiducia in Deum, qualem communio ejusdem carnis & sanguinis efficit inter filium & patrem; propter quam vulgò apud nos dicitur *le sang ne peut mentir.* In eo igitur differt spiritualis hæc regeneratio à carnali generatione, quòd in ista parentes sanguinem suum filiis communicant, non spiritum, nec egregias animi dotes, puta sapientiam, fortitudinem, justitiam, &c. Unde quod ex eis nascitur; caro est & sanguis, licèt aliquando Regum, vel Heroum serie illustris: in spirituali verò regeneratione Deus, qui Spiritus est, filiis suis adoptivis proprium tribuit Spiritum, qui est sapientia, justitia & omnis virtus; *quicunque enim Spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei*, ait Apostolus Rom. 8. & rursus ibid. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Hanc Dei magnificentiam, & ineffabilem doni amplitudinem miratus S. Joannes, scribit epist. 1. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Parum videbatur dicere, quòd *filii Dei nominemur*, nisi addidisset quòd reverà *simus*, scilicet ex participatione ejusdem cum eo Spiritus. Unde Sanctus Gregorius Nyssenus orat. catech. sic concludit: *Quod nascitur, est necessario ejusdem generis, cujus natura est eorum, qui generant, qui ex homine nascitur in vitam instabilem: qui ex Deo, in vitam immutabilem, & inalterabilem. Si ergo ex Deo natus es, ostende in te eum qui te genuit, per illa ex quibus Deum cognoscimus,*

oportet oſtendere cum Deo conjunctionem, aliàs tibi dicet Propheta, & tu fili hominis, non fili Dei.

7. Baptiſmus hæredes Dei conſtituit, *ſi autem filii*, inquit Apoſtolus Rom. 8. *& hæredes.* Atque ut amplitudinem hæreditatis perpendamus, ſubdit, *hæredes quidem Dei*, cujus immenſæ ſunt opes, gloria, & poteſtas. Quid ergo aliud præterea ambire poterit, qui non ſolum præſumitur, ſed etiam declaratur Dei hæres? Ad fovendam autem hanc baptizati fiduciam, in baptiſmo Chrſti, qui noſtri fuit prænuntius, cœli aperti ſunt, *ut diſcas*, ait S. Chryſoſt. hom. 12. in Matth. *etiam tu, cùm baptizaris, hoc fieri, Deo te jam ad patriam cœleſtem vocante, nihilque commune cum terra habere ſuadente.*

8. Per baptiſmum non ſolùm hæredes, ſed & cohæredes Chriſti efficimur; qui enim, Rom. 8. dixerat, *hæredes quidem Dei*, ſtatim addit, *cohæretes autem Chriſti.* Non ſic Abraham erga Iſaac & Iſmaelem proprios filios naturales & legitimos; poſteriori enim quædam dona contulit, ne divideret hæreditatem cum priori. Deus verò filiis adoptivis cum ſuo unigenito ſecundùm naturam ſervat eandem hæreditatem. Mirum quidem, ſed eſt quod fortè mireris ampliùs, nimirum ipſe unigenitus hanc gloriam nobis non ſolùm non invidet, ſed eam nobis promeruit, & obnixè poſtulavit; *Volo*, inquit Joan. 17. v. 24. & 26. *ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum . . . ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Propter quam cauſam*, ait Apoſtolus Hebr. 2. *non confunditur fratres eos vocare dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis.*

9. Baptiſmus Chriſto nos conjungit, compingitque

gitque tanquam membra capiti; *quicumque enim in Christo baptizati estis*, Gal. 3. v. 27. *Christum induistis*. Et vers. 28. *omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*, hoc est secundùm interpretationem Sancti Chrysostomi in hunc locum, *eandem formam*, *eandem figuram habetis omnes*, *in illum per similitudinem transformati*, adeo ut baptizatus jam non ipse, sed Christus in illo vivat, juxta Apostolum Galat. 2. ipse Christus cernatur in vultu, gestu, & toto habitu baptizati. Ex quibus idem Apostolus colligit horrendum esse, si baptizatus indignè contrectet membra sua, utpote quæ sint membra Christi. *Nescitis*, inquit, 1. Cor. 6. *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit*, scilicet tantum scelus, vel etiam cogitare, nedum committere.

10. In baptismo Fidelis consecratur templum Spiritus Sancti, juxta illud 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Hinc Ecclesia easdem cæremonias in consecratione Catechumeni observat, quas in dedicatione Templi materialis: purgatur ille exorcismis, multis precibus Deo dicatur, signo Sanctæ Crucis in pluribus corporis partibus signatur tanquam res cultui divino dicata, oleo Sancto perungitur, ut innotescat ipsum esse ab omnibus usibus profanis separatum, quemadmodum monet Apostolus cit. c. 3. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et cap. 6. *an nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* nempe ut pro libitu utamini mente vestra, oculis, lin-

gua,

gua, &c. sed pro Dei beneplacito, & ad ejus gloriam.

11. Non solùm per baptismum efficimur templa; sed & organa Spiritus Sancti; non enim Spiritus Sanctus habitat in baptizato, sicut dominus in domo sua, sed sicut anima in proprio corpore, quod vivificat, & agit; quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, Rom. 8. Et rursum, *in quo* (Spiritu) *clamamus*, *Abba* (*Pater*). Et iterum, *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hinc nascitur meritum & valor actionum baptizati.

12. Baptismus non tantùm delet peccata præterita, sed efficit ut caveantur futura; dicitur enim 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

Enimverò quemadmodum parentes carnales subministrant filiis, quæ respondeant generis nobilitati & splendori: similiter Deus intuitu gratiæ adoptionis renatos auxiliis necessariis adjuvat, ut vitam, quæ filios Dei & regni ejus hæredes decet, instituant.

Quidni dixerimus alia Sacramenta esse veluti quasdam baptismi appendices, cùm ad illa Fideles per baptismum jus accipiant tanquam ad paterna bona? Ad quid enim Confirmatio, nisi ut modò geniti in Christo infantes crescant in salutem, roborenturque contra mundi errores, delectationes, ac terrores? Cur Eucharistia, nisi ut sit panis filiorum, cibus electus, regalis & divinus, quo Deo saginantur, Sapientia æterna parvulis lactescente, ut loquitur S. Augustinus donec grandiores effecti ad mensam Patris cum Angelis assideant?

Chara-

Character est alter Baptismi effectus, de quo plura diximus Tract. de Sacramentis in genere cap. 19. pag. 130. Duo tantùm characteris baptismalis propria addenda sunt. 1. Character baptismalis non solùm distinguit, sed etiam ornat & illustrat baptizatum. Est enim insigne quoddam eximiæ dignitatis, quam per Baptismum consecutus est, ut observat S. Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Ephesios, ubi expendens illa Apostoli verba, *in quo signati estis Spiritu promissionis sancto*, sic scribit: *non jam dicit, quòd à cæteris sepositi sint tantùm, aut delecti, sed quia etiam signati, quemadmodum si quis eos, quos sortitò sibi comparavit, velit aliqua familiari nota notiores reddere.* Signati sunt etiam Israelitæ, sed corporali circumcisionis nota, pecora & bruta: nos signati sumus ut filii, scilicet Spiritu Sancto nobis ante promisso. 2. Character baptismalis est potentia veluti passiva recipiendi Sacramenta, non ex Ecclesiæ disciplina, ut vult Maldonatus qu. de Extrema unctione, reclamantibus omnibus Theologis, sed ex divina institutione, probaturque ex cap. *Si quis*, de Presbytero non baptizato: in quo decernit Summus Pontifex illum primò baptizandum, deinde reordinandum.

Hic autem meminisse debent Pastores Deum ipsis veluti Pædagogis filios suos, tot ac tantis donis ornatos atque ideò sibi charissimos tradidisse instituendos. Ut ergo injunctum officium perhonorificum quidem, sed maximè arduum, possint implere, frequenter moneant Fideles, eos in baptismo hominem exuisse, habendosque ut degeneres, si nihil supra hominem sapiant; sic enim quibusdam exprobrat Apostolus 1. Cor. 3.

Non-

Nonne, inquit, *carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Non cessent ingerere divinæ regenerationis splendorem, & Christiani nominis claritatem; sicut enim nihil ad dicendum copiosius & sublimius, ita nec ad incitandos animos efficacius, ut S. August. lib. 3. de Civitate Dei c. 4. observat ex Varrone inter Paganos doctissimo, de quo sic scribit: *utile esse civitatibus dicit* (Varro) *ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, Diis genitos esse credant; ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audaciùs, agat vehementiùs, & ob hoc impleat ipsa securitate feliciùs.*

Porrò si fabulæ & mendacia aptè ad decipiendum composita, id apud Ethnicos poterant, quid ipsa veritas apud Christianos possit olim experta est Ecclesia, cùm ejus SS. Pastores ea, qua par est dignitate, animi fortitudine, & instantia in sermonibus ad populum exponerent baptismi, & aliorum Sacramentorum stupendas virtutes; his enim veluti stimulis incitati fideles, quæcunque in Evangelio, & Apostolorum scriptis sublimiora & perfectiora leguntur, ea in moribus exprimere satagebant. Unde ergo nunc mutatus est color optimus, ut verbis propheticis loquar, nomenque Christianum ita sordescit, nisi quia silentibus Pastoribus fideles nesciunt Sacramenta Dei, nec judicant honorem animarum sanctarum, ut dicitur Sap. 2.? In concionibus, quæ magno habentur apparatu, nihil ex professo de sanctitate & efficacia baptismi, nihil de obligationibus initiatorum; totam vim dicendi explicant Ministri Verbi Dei contra transgeressiones legis naturalis, quasi Templa nostra Philosophorum Scholæ evase-

evaserint, & quidquid interserunt de Evangelii perfectione (quæ est filiis Dei, hæredibus regni cœlestis, membris Christi, & organis Spiritus Sancti consentanea morum regula) non sustinent auditores se inde urgeri, ut qui solùm meminerint se esse filios Adæ, vulneratos infirmos, qui nedum Evangelii perfectionem ferant, quin ipsam etiam legem naturalem primitus datam homini sano, & viribus integro, nunc ex parte infirmis levandam, vel saltem attemperandam contendunt.

Neque vero credendum est tanto malo catecheses languenti & incomposito stylo, & ad onerandam puerorum memoriam apto, obsistere posse; iis enim grandiores interesse detrectant; tum quia nihil ibi dicitur, quod delectet, aut afficiat voluntatem: tum quia nihil audiunt, nisi quod pueri jam didicerant, adeo ut pudeat eos ad scholam infantium amandari. Ut ergo tandem reflorescat Christiana Religio, inhærendum est vestigiis priscorum Ecclesiæ Pastorum, Cyrilli Jerosolymitani, Gregorii Nazianzeni & Nysseni, Ambrosii, Augustini, & aliorum, qui eloquentiæ suæ vires exerebant, ut fideles præ oculis semper haberent, quanta Deus per Baptismum, & alia Sacramenta largiatur, quo animo ad ea accedendum, quidve pro tot beneficiis acceptis rependendum.

De primo jam dictum est fortè plusquam brevitas proposita patiebatur: nunc superest, ut de duobus aliis disseramus.

CAPUT XII.

De dispositionibus ad Baptismum requisitis.

Diximus Tractatu praecedenti nullam in parvulis requiri dispositionem, eosque regenerari in fide Matris Ecclesiae, quemadmodum per voluntatem primi parentis peccatores constituti sunt.

Cùm autem à pluribus saeculis vix aliquando contingat adultos baptizari, superfluum videtur quidquam addere iis, quae de dispositionibus ad justificationem tradimus Tract. de Gratia pag. 357. Sed abs re non fuerit paucis exponere quomodo antiquitus Catechumeni ad Baptismum praeparentur; inde enim colligimus, quae sincerae conversionis signa, quae morum probatio, quaeve poenitentia Baptismum adultorum praecedere debeant.

Catechumeni in tres dividebantur classes. In prima dicebantur Audientes, in secunda, Competentes, in tertia, Electi.

De prima classe, quae est Audientium.

Infidelis Religionem Christianam profiteri cupiens, virum probatae fidei & pietatis adibat, qui illum Episcopo offerret, ac pro eo sponderet. Episcopus autem paucis exposita Christianae legis perfectione, quaerebat num hanc vivendi normam amplecti vellet? & ubi responderat, ille id se in animo habere, Episcopus capiti ejus manum imponebat. Tum Catechumenus, dato nomine, intererat Conventibus Ecclesiasticis ad audien-

audiendum verbum Dei; ſed concione peracta, expellebatur per hanc Diaconi vocem, *Catechumeni diſcedite.* Hinc vulgaris diſtinctio Miſſæ in duas partes; prima dicebatur Miſſa Catechumenorum, ab introitu ſcilicet uſque ad offertorium excluſivè: altera Fidelium, ab offertorio ad finem.

Quæ autem per illud tempus eſſet Audientium vivendi ratio, colligitur 1. ex canon. 85. Concilii IV. Carthaginenſis, qui ſic habet: *Baptizandi nomen ſuum dent, at diu ſub abſtinentia vini & carnium, & manuum impoſitione, crebra examinatione Baptiſmum percipiant.* Ex S. Auguſt. lib. de fide & operibus cap. 6. *Videamus*, inquit . . . . *utrùm ad percipiendum Baptiſmum ſic admittendi ſunt homines, ut nulla ibi vigilet diligentia . . . . quò ſine dubio admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eandem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis & veris uxoribus ſe concubituros profiterentur.* Unde Tertullianus lib. de præſcr. cap. 41. invehitur in Hæreticos, qui ſine probatione & delectu baptizabant quicunque eorum doctrinam amplecterentur. *Non omittam*, inquit, *ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit . . . . . . Imprimis quis Catechumenus, quis Fidelis incertum eſt, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.*

Quod Tertullianus carpit in apertis manifeſtiſque Hæreticis, illud ipſum Sanctus Auguſtinus poſtmodùm reprehendere coactus eſt lib. de fide & operibus, in quibuſdam Catholicis, qui ſolam fidem ad Baptiſmum ſufficere contendebant, & per ſagenam, de qua Chriſtus Matth. 13. verſ. 47. intelligebant lavacrum regenerationis, quo Eccleſia colligit bonos & malos; *ut videlicet*,

inquit cit. cap. 6. *perverſitate mirabili priùs eis dicatur, induite hominem novum, & cùm induti fuerint, poſtea dicatur; exuite veterem;* cùm contra ſcriptum ſit Jeremiæ 4. v. 3. *novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas*, id eſt, interprete S. Hieronymo, agrum cordis veſtri ſcelerum ſpinis horrentem per ſeriam pœnitentiam priùs expurgate, ut ſemina gratiæ & juſtitiæ recipere poſſitis.

In hac ſtatione Audientes detractis calceis, & verſi ad Occidentem, qui locus eſt tenebrarum, in quibus robur diaboli conſiſtit, inquit S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 1. renuntiabant Satanæ exſufflantes, & manus extendentes, quaſi eum repellerent. Peractis renuntiationibus, Catechumeni induebantur pallio, quod abjectionem & humilitatem prætendebat, ſicut toga ſplendorem & nobilitatem. Hinc Gentiles convitii loco Chriſtianis recens factis exprobrare ſolebant, *à toga ad Pallium*, ut refert Tertullianus lib. de Pallio c. 5.

Deinde Catechumeni ad Orientem converſi, fidem profitebantur, ex S. Cyrillo Alexandrino lib. 7. contra Julianum: *ubi depoſuerimus tenebras*, inquit, *& dæmoniorum turbis valedixerimus, omnemque ipſorum pompam & cultum prudentiſſimè reſpuerimus, confitemur fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Similia habet Sanctus Hieronymus in cap. 6. Amos. *Verſi ad Orientem*, inquit, *pactum inimus cum Sole juſtitiæ, & ei nos ſervituros eſſe promittimus.* Et Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 1. *Cùm ſatanæ renuntiaveris, aperitur tibi Paradiſus Dei, quem ipſe ad Orientem plantavit.* Fidei profeſſio juramento confirmabatur ex Sancto Hilario can. 15. in Matth. & in tabulis deſcribebatur.

Poſt

Poſt fidei profeſſionem Presbyteri Audientium nares, aures, & linguam ſaliva tingebant, ex S. Ambroſio lib. de initiandis, & S. Auguſt. tract. 44. in Joan. idque exemplo Chriſti Domini Marc. 7. demonſtrantis Sacerdotibus ordinatiſſimum baptizandi officium, inquit Haymo hom. in Evang. Dom. 13.

Dehinc exorcizabantur ſecundùm antiquum & univerſalem Eccleſiæ morem, ab Apoſtolis venientem, ex S. Auguſtino epiſt. 105. Exorciſmus autem peragebatur impoſitione manus, & exſufflatione in faciem Catechumeni, ut legitur in Sacramentario S. Gregorii: tum inungebantur toto corpore, ex lib. de Eccl. Hierar. ſub nomine S. Dionyſii, & ex Sancto Cyrillo Jeroſ. Catech. 2. Signabantur etiam in fronte, pectore, oculis, auribus, naribus, & ore ſigno Crucis, cujus virtute victus eſt diabolus, & exaltatus Chriſtus; verba ſunt Ivonis Carnotenſis ſer. ad baptizandos. Denique ſal in os mittebatur, ex S. Ambroſio in c. 22. S. Lucæ & ex S. Auguſtino lib. 1. Confeſſionum, & fuſis precibus reſerabantur Eccleſiæ fores.

De ſecunda claſſe, quæ eſt competentium.

Competentes ex Sancto Auguſtino dicuntur ſimul petentes Baptiſmum. Humi autem proſtratos hanc gratiam efflagitaſſe ſcribit S. Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſtor. c. 7. & in hujuſce rei ſignum in Eccleſia Mediolanenſi infans humi propè fontem collocatur.

In hac claſſe duris pœnitentiæ laboribus ſubjiciebantur Catechumeni: *Ingreſſuros Baptiſmum*, inquit

inquit Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 19. *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum.* Item Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. *Bona auxilia erant jejunia, humi dormitationes, orationes, lacrymæ, ærumnæ, indigentium opitulatio,* &c. Denique Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 3. ait: *Quilibet ſerpens in anguſtum intrans, deponit ſenectutem & vetuſtatem per coarctationem exuit, corporeque denuo toto renovatur: ſic & tu intra per anguſtam portam & arctam, affligens te per jejunium.* Quòd autem initiandi confiterentur peccata, præter Tertullianum jam laudatum, teſtes ſunt Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 1. & Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. jam laudata, ubi hæc habet: *Nec peccatum tuum confiteri grave ducas ſciens quo pacto Joannes baptizaverit* (nempe confitentes peccata) *ut per hujus vitæ pudorem, futuri ſæculi pudorem ignominiamque fugias.*

Symbolum Competentibus tradebatur recitantandum, deinde & Oratio Dominica, ex Sancto Auguſtino ſer. 58. aliàs hom. 42. ubi ſic alloquitur Competentes, *Symbolum reddidiſtis, quo breviter comprehenſa fides. Jam ut antea dixi vobis, quod ait Apoſtolus:* Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? *Quia ergo quomodo credatur in Deum, & accepiſtis, & tenuiſtis, & crediditis; accipite hodie quomodo invocatur Deus. Ipſe filius, ſicut audiſtis, cùm Evangelium legeretur, docuit Diſcipulos ſuos & fideles ſuos hanc orationem. Spem habemus obtinendæ cauſæ noſtræ, quando talis juriſperitus nobis precem dictavit Aſſeſſo Patris. Sicut confeſſi eſtis qui ſedet ad dexteram Patris: ipſe eſt advocatus noſter, qui venturus eſt Judex noſter, tenete ergo & orationem hanc, quam*

quam reddituri eſtis die Sabbati noviſſimo, quo die baptizandi eſtis. Dominica die Palmarum, quæ dicebatur Capitilovium, ex Sancto Iſidoro lib. 6 Etymologiarum cap. 18. lavabantur capita Competentium, ne ſordidi ad unctionem accederent.

De tertia claſſe, quæ erat Electorum.

Ex Competentibus hi ad Baptiſmum admittebantur, qui via ſcrutinii digni fuerant inventi, & ideo electi nuncupati. Septem autem fiebant diverſis temporibus ſcrutinia; & ſi quis deprehenderetur lapſus in aliquod grave peccatum, ad Audientium claſſem remittebatur, ut per quinquenium juxta Concilium Eliberitanum can. 75. per triennium verò poſtea juxta Concilium Nicænum canone 14. detinebatur. *Baptiſmum*, inquit Tertullianus cap. 8. lib. de Baptiſmo, *non temerè credendum eſſe ſciunt, quorum officium eſt* . . . . *imò illud potiùs perſpiciendum* . . . . nolite dare Sanctum canibus, Matth. 7.

Electi Epiſcopo offerebantur à ſponſoribus probatæ virtutis die ad Baptiſmum præſtituto, qui erat è ſolemnioribus; ſcilicet pervigilio Paſchæ & Pentecoſtes. Gravis autem noſtra ætate exarſit controverſia inter duos Theologos Pariſienſes circa ſolemnitatem Epiphaniæ, altero contendente, altero verò negante Baptiſmum in illa ſolemnitate ſecundùm antiquum Eccleſiæ morem fuiſſe collatum. Syricius quidem exeunte quarto ſæculo, epiſt. 1. ad Himerium, arguit temeritatem Sacerdotum, qui Baptiſma in Natalitiis Chriſti, hoc eſt, Epiphania, necnon in Apoſtolorum & Martyrum feſtivitatibus miniſtra-

bant: *Cùm hoc* inquit, *ſibi privilegium & apud nos & apud omnes Eccleſias dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat; quibus ſolis per annum diebus ad fidem confluentibus, generalia Baptiſmatis tradi convenit Sacramenta.* Gregorius II. quoque Epiſt. 4. ſic habet: *Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate & Pentecoſte noveris eſſe præbendum, exceptis iis, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubveniri.* Nihilominus Avitus Viennenſis, cui, utpote contemporaneo Sancti Remigii, credendum magis quàm Hincmaro, ſcribit Epiſtola 7. ad Clodovæum Francorum Regem, ipſum eo die baptizatum fuiſſe, quo natum cœli Dominum mundus accepit. Et Victor Uticenſis lib. 1. de perſecutione Vandalica refert cæcum à Deo per Eugenium Carthaginenſem illuminatum illuceſcente die Epiphaniorum; cùm catechumenos baptizaturus fontes benediceret. Ex quibus colligere licet in aliquibus Eccleſiis Baptiſmum die Epiphaniorum ſolemniter fuiſſe adminiſtratum.

Ex cæremoniis, quæ baptiſmum antiquitus comitabantur, multas etiam nunc retinet Eccleſia, quales ſunt Litaniæ, Benedictio fontis, Chriſmatis perunctio in ſignum unionis cum Chriſto, cujus bonum odorem baptizatus ubique ſpargere debet; veſtis alba in ſignum innocentiæ reſtitutæ & conſervandæ, cereus accenſus, ut virtutis ſplendore luceat coram omnibus hominibus. Quibus abſolutis ſtatim confirmabantur initiati, & Euchariſtiam recipiebant Tertullianus lib. de Reſurrectione, cap. 8. *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut*

& anima spiritu illuminetur, caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Quare quæ hactenus dicta sunt de præparandis initiandis, non solùm Baptismum, sed & Confirmationem & Eucharistiam spectant, atque ex iis colligendum, quid exoptet Ecclesia in iis, qui ad duo postrema illa Sacramenta accedunt. Lac & mel, alicubi etiam vinum, Neophytis, porrigebantur, ad infantiæ in Christo significationem, ut notat Sanctus Hieronymus dialogo contra Luciferianos.

Sponsores, qui & fide jussores dicebantur, nunc verò communiter Patrini, constat ab exordio assumptos: tum ex Tertulliano libro de Baptismo c. 8. jam laudato: tum ex lib. de Ecclesiastica Hierarchia, qui quinto sæculo sub nomine S. Dionysii Areopagitæ prodiit. Sicut enim, ut ratiocinatur S. Thomas 3. p. qu. 67. art. 7. recens natis nutrix, deinde præceptor, ita Neophytis dantur susceptores, qui eos doceant fidei rudimenta. Plures olim eundem suscepisse colligitur ex Concilio Trid. sess. 23. can. 2. de refor. ubi eos restringit ad unum, vel ad summum ad unum & unam, quos officium illud charitatis & religionis tam arctè devincit cum baptizato & parentibus ejus, cognationem spiritalem cum ipsis contrahant, quod non extendendum ad eos, qui jam baptizatum ad cæremonias duntaxat supplendas offerunt.

Cùm autem susceptores fidejubeant eum, quem offerunt, fidem servaturum, vitamque instituturum juxta Religionis Christianæ legem & disciplinam, jure merito ab hoc munere arcentur, 1. pœnitentes publici, priusquam per dignam

pœnitentiæ & satisfactionem fuerint reconciliati, ita Concilium VI. Parisiense lib. 1. capite 54. 2. Excommunicati & publici peccatores, & qui eo anno non fuerint confessi, nec in Paschate communicaverint, ex Concilio I. Mediolanensi, & pluribus libris ritualibus. 3. Hæretici aut de hæresi suspecti, ex Concilio Remensi anno 1583. 4. Monachi & Moniales, cùm dedeceat mortuos sæculo, cum sæcularibus novas necessitudines & affinitates contrahere, nec ipsis liceat eorum curam gerere, quos instituendos suscepissent. Olim Ecclesiastici hoc fungebantur munere, sed S. Carolus Borromæus in quinta Synodo diœcesana prohibuit Clericis sacris Ordinibus initiatis, infantem de sacro fonte suscipere, *iidemque*, inquit, *in Confirmationis Sacramento compatres non sint.* Libri etiam Rituales communiter removent eos, qui ignorant fidei rudimenta, utpote qui docere non valent, quod non didicerunt. Si autem Minister Sacramenti de susceptorum eruditione dubitet, non publicè, sed seorsim interroget. Quod de imperitis dictum est, idem de pueris sentiendum, qui etsi memoriter fidei rudimenta teneant, nondum sui satis sunt compotes, ut pro aliis fidejubeant.

Q. 2. *Quid observandum, si cæremoniæ in Baptismo fuerint prætermissæ?*

R. 1. Grave peccatum est cæremonias omittere, nisi urgeat necessitas: constat ex dictis c. 21. de Sacramentis in genere.

R. 2. Certum est eas supplendas quamprimùm; ita enim præscribunt omnes Libri Rituales juxta antiquam Ecclesiæ Traditionem; nam Sanctus Cornelius Summus Pontifex & Martyr tertio mediante

diante sæculo, arguit Novatianam in lecto baptizatum, quòd postquam convaluerat, reliqua non percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est: ita apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 43.

Difficultas est circa exorcismos, utrùm scilicet sint observandi. Videretur enim injuria fieri Baptismo, quasi non haberet per se vim delendi peccata, & à dæmonis servitute liberandi. Quamobrem aliqui Rituales prohibent suppleri exercismos, & ita novissimè prohibitum est in Synodo Meldensi anno 3691. Attamen communiter docent Theologi, & plerique Libri Rituales exorcismos etiam esse supplendos: quia ut docet S. Thomas tertia parte quæst. 73. art. 3. ad tertium non modo dæmonem coercent, ne impediat Baptismi collationem, sed etiam ne ab audiendo Dei verbo avertat fideles, & ejus impetus per concupiscentiam quam accendit, si non enervant, saltem reprimunt. Prætereà etiamsi exorcismus adhibeatur solùm ad significandum per Baptismum diabolum expelli, ut docet Guillelmus Antissiodorensis, non minùs supplendus est, quàm aliæ cæremoniæ. Cæterùm unusquisque sequatur ritum Ecclesiæ, in qua degit. Quòd si liber Ritualis nihil præscribat, satius est & magis conforme veteri disciplinæ exorcismos supplere.

Q. 3. *Quid si fictè, & sine debitis dispositionibus quis baptizatus fuerit?*

R. Baptismus ratus fuit, ideoque nec repetendus; sed caruit effectu propter malæ voluntatis obicem, quo remoto, per veram pœnitentiam reviviscit Baptismus, hoc est, expungit antecedentia peccata etiam quoad omnem pœnæ reatum.

tum. Ita Sanctus Augustinus lib. 3. de Bapt. cap. 13. his verbis: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint hæretici, non ut ille Baptismus, quasi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur, sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operatur salutem.*

Dixi, *antecedentia peccata*, quia subsequentia, & ipsa fictio, quæ in Baptismate grave peccatum fuit, subjicienda sunt clavibus Ecclesiæ, & per absolutionem sacramentalem remittenda.

Confirmatur. Peccata, quæ Baptismum præcedunt, non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo non per ipsum, sed per Baptismum remitti possunt.

CAPUT XIII.

De obligationibus Baptizorum.

Q. 1. *Contrahiturne aliqua obligatio per Baptismum?*

R. Contrahitur, & quidem maxima ex duplici capite repetenda.

1. Ex magnitudine donorum, quæ in Baptismo collata sunt; ait enim Dominus Luc. 12. vers. 48. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & qui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Et Apoc. 3. v. 3. *in mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serva .... si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur.* Quasi dicat, scito, cogita, & diligenter perpende, quot & quanta dona Deus tibi in Baptismo contulerit, memineris qualiter adhuc catechumenus sis institutus, qualem te vitam agere docuerint, qui te initia-

initiarunt, & ita vive: alioquin si dormitare perrexeris, veniam ad te spoliandum & perdendum tanquam fur inexpectato & ex improviso. Hinc Concilium sextum Parisiense nono sæculo, *valde periculosum est*, inquit l. 1. c. 9. *& à Religione Christiana alienum, quò post tanti doni perceptionem unusquisque fidelis, cùm ad intelligibilem ætatem venit, mysterium Baptismatis discere & intelligere negligit, atque eo intellecto, secundùm illud vivere non satagit. Quod periculum ad negligentiam pertinere Sacerdotum, qui illud solerter debent annuntiare, & ad auditorum incuriam, qui hoc & intelligere & adimplere parvipendunt, nulli dubium est.*

2. Baptizorum obligatio repetitur ex eorum sponsionibus in baptismo factis, quas Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 2. ad primum, vocat votum, Et Sanctus Augustinus Epist. 149. aliàs 59. ad Maximum. *Voventur*, inquit, *quæ offeruntur Deo, maximè Sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage Corporis Christi.*

Q. 2. *Sponsiones quæ fiunt in Baptismo, suntne propriè vota?*

R. Sunt propriè vota; quia votum est promissio facta Deo de meliori bono: atqui ejusmodi sponsiones sunt promissiones Deo factæ de bono, quo nullum est melius, & ideo nec dispensationem, nec commutationem admittunt. In vulgari tamen voti acceptione vota non sunt, nomine enim voti vulgò intelligitur promissio Deo facta operis boni non debiti; sed supererogationis: atqui ea, quæ promittuntur in baptismo, sunt omnibus præcepta, & necessaria necessitate finis, ut

ut loquitur Sanctus Thomas cit. art. hoc est, sine eorum observatione nullus salutem consequi potest. Unde vota baptismi sunt omnibus communia, & ad ea obligari possumus sine propria electione, ut diximus ubi de baptismo parvulorum: cætera verò, utpote quæ sint rei ad salutem necessariæ, à nostra libera voluntate pendent, nec ad ea obligari possumus voluntate aliena.

Q. 3. *Quotuplex est votum Baptismi?*

R. Triplex: 1. vovemus nos Christo perpetuò adhæsuros, & ejus Evangelium secuturos, tanquam morum nostrorum, & vitæ agendæ normam ac regulam: 2. Profitemur obedientiam Ecclesiæ, & ejus Pastoribus: 3. Abrenuntiamus iis omnibus, quæ Christianorum instituto sunt dissentanea.

Q. 4. *Quare vovent initiandi se Christo & ejus Evangelio fore mancipatos?*

R. Quia Baptismus est solemnis professio Religionis Christianæ; sicut ergo Apostolus Gal. 5. contestatur omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ, cùm circuncisio sit publica Judaismi professio; ita per Baptismum Christo nos mancipamus, Religionem ab ipso institutam profitemur, & ejus vitæ institutum, hoc est, legem Evangelicam solemniter amplectimur, atque inde Christiani vocamur. Illud adhuc pueri inter fidei rudimenta didicimus, nempe Christianum eum dici, qui credit & profitetur doctrinam Christi.

Q. 5. *Quare in Baptismo profitemur obedientiam Ecclesiæ, & ejus Pastoribus?*

R. 1. Quia per Baptismum adgeneramur membra corporis, scil. Ecclesiæ, cujus Christus caput est, nec potest vivere Spiritu Christi, qui extra

corpus

corpus ejus eſt: *Is alienus eſt*, inquit S. Cyprianus, lib. de unit. Eccleſiæ, *profanus eſt. Habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem: Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur*, nec poſſumus inter ejus membra numerari, ſi ab illa nos regi non patimur; mortuum cenſetur membrum, & aliis noxium, ſi corporis influxum non recipiat: fruſtra quis profiteretur regulam alicujus Ordinis regularis, qui nollet ſubeſſe Miniſtro, qui præpoſitus eſt regulæ tuendæ, & diſpenſandæ: *Si autem Eccleſiam non audierit*, ait Chriſtus Matth. 18. *ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* 2. Quia ipſa lex Chriſti, quam profitemur, imprimis præcipit ejusmodi obedientiam, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Nemo igitur dicat hominum ſunt mandata; namque ex S. Bernardo, lib. de præcept. & diſpenſ. cap. 9. *ſive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum.* Et infrà: *Quod ſi tantopere cavenda ſunt ſcandala parvulorum, quantò ampliùs Prælatorum, quos ſibi Deos æquare quodammodo in utraque parte dignatus, ſibimet imputat illorum reverentiam & contemptum . . . . Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omninò accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus.*

Q. 6. *Quibus renuntiare coguntur initiandi?*

R. Non abluuntur ſacro fonte, niſi ſolemniter renuntiaverint. 1. Satanæ. 2. Omnibus operibus ejus. 3. Omnibus pompis ejus.

Q. 7. *Mos ille fuitne ſemper & ubique obſervatus?*

R. Univerſalem eſſe teſtantur omnia Euchologia tam Græcorum, quàm Latinorum: Antiquitatem

tatem autem ejus, omnium veterum ſcripta. Tertullianus, qui floruit ſecundo & tertio ſæculo, inter Traditiones ſine ſcripto ab Apoſtolis acceptas annumerat ejusmodi morem libro de corona milit. cap. 3. *Aquam adituri*, inquit, *conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus*, &c. Et cap. 4. *Ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix.* Similia ante eum ſcripſerat S. Clemens Alaxandr. lib. 1. Pædagog. cap. 6. Origenes S. Clementis olim diſcipulus, ſic habet in Epiſt. ad Romam. *Recordetur quòd denuntiaverit diabolo non eſſe uſurum pompis ejus & voluptatibus non pariturum.* Subſequentium Patrum teſtimonia proferentur ad explicandam ſigillatim quamlibet renunciationem.

Q. 8. *Quis eſt primæ abrenuntiationis ſenſus*, abrenuntio Satanæ?

R. Una eſt SS. Patrum ſententia initiandum hac voce profiteri ſe renuntiare mundo, & ſæcularibus actibus: *Renuntiaſti diabolo, mundo & luxuriis ejus*, inquit S. Ambroſius libro de initiandis cap. 2. *memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis .... Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium.* Et S. Chryſoſtomus hom. 21. ad Populum Antiochenum: *Vocis illius recorderis*, inquit, *quam, dum ſacris initiareris, emiſiſti*, abrenuntio tibi, ſatana, *nam ſatanæ adhæres, ſi ſæculi moribus te conformes.*

Enimverò ſicut adhæret Chriſto, qui efficitur membrum Corporis ejus, hoc eſt, Eccleſiæ cujus Chriſtus eſt caput; ita diabolo mancipatur, non ſolùm qui illum colit in idolis, aut eo utitur in magicis artibus, & aliis Gentilium ſuperſtitionibus;

bus; sed maximè qui sese conformat huic sæculo, cujus caput & princeps est diabolus, juxta illud Joan. 12. *nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et Ephes 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores.* Unde Tertullianus libro de Spectaculis cap. 15. ait: *Utinam ne in sæculo cum illis moraremur, sed tamen in sæcularibus separamur; quia sæculum Dei est, sæcularia verò diaboli.*

Ecclesia ergo verborum Domini memor, quòd mundus non possit Spiritum Sanctum accipere, Joan. 14. v. 17. quòd Christianus non sit de mundo, *de mundo non estis*, inquit, Joan. 15. vers. 19. *sed ego elegi vos de mundo.* Et cap. 17. vers 14. *non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo;* quod repetit vers. 16. semper exegit ab initiandis, ut ante omnia mundo valedicant.

Q. 9. *Quid intelligitur per illas voces*, abrenuntio omnibus operibus ejus?

Respondet S. Ephrem, *paucis his verbis, cuncta, quæ nominantur mala, quæque odit Deus valere jubemur.* Peccata quippe sunt opera diaboli, juxta illud 1. Joan. 3. vers. *qui facit peccatum, ex diabolo est . . . in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Initiandus itaque bellum indicit quibuscunque peccatis, nec distinguit inter gravia & levia, omnibus in Baptismo renuntiat, quia cit. cap. v. 9. *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, saltem ex proposito, & deliberata voluntate, *quoniam semen ipsius in eo manet*, id est, generatio divina, quam in Baptismo consecutus est. Quòd si ex infirmitate aliquando in pugna levem plagam accipiat (quis enim miles omnem ictum

adversarii continuò illum lacessentis declinet?) hinc veluti stimulo incitatus acrius in hostem insurgit, & ferventior ejus charitas operit multitudinem peccatorum. Ita ferè Sanctus Augustinus in hunc Sancti Joannis locum.

Q. 10. *Quid tertia abrenuntiatione profitetur initiandus*, abrenuntio omnibus pompis ejus?

R. Profitetur se abdicare mundanas superfluitates, seu rerum terrenarum immoderatos usus, juxta illud Apostoli, 1. Tim. 6. vers. 8. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Ita communiter SS. Patres, Cyprianus, Cyrillus Jerosolymitanus, Chrysostomus, Augustinus, Concilia, & ex iis Theologi: *Pompa diaboli*, inquit Concilium Parisiense VI. *sunt spectacula, venationes, vestimentorum cultus, jactantia, fastus, ambitio, & superfluitas cujuslibet rei in humanis usibus, unde crescit elatio, quæ multoties honestati adscribitur.* Ideo autem superfluitas illa & mundana honestas, pompæ Satanæ nuncupantur; quia exteriori illo apparatu & splendore dæmon (qui ex se nihil habet nisi vile & execrandum) tanquam Princeps & Rector mundi pellicit animas, & sibi devincit. Unde Tertullian. supra dicebat sæculum, seu res ipsas esse quidem Dei; sæcularia verò, hoc est, mundanum usum diaboli.

Satis ergo non est Christianum renuntiare omnibus operibus evidenter malis; sed insuper ab eo exigitur, ut abstineat ab iis quæ malo sunt connexa, & fomenta existunt superbiæ; voluptatis, & avaritiæ; alioquin quomodo innoxius ante Tribunal Christi, qui fidem in Baptismo datam irritam facit? *Non pertimescis*, inquit S. Augustinus, *non exhorrescis? in die Judicii referent Angeli chirographum & ver-*

& verba oris tui coram formidabili tribunali, tuncque lugubrem illam vocem auditurus es, de ore tuo te judico, ſerve nequam, Luc. cap. 19.

Ergo, inquies, vota monaſtica ſunt ſuperflua & ſuperſtitioſa, quemadmodum garriunt Pſeudo-Reformati. Cum enim fideles in Baptiſmo profiteantur ſe adhærere Chriſto, & ejus Evangelio, renuntiare mundo, & omnibus ſæcularibus deſideriis, nihil ultra vovere poſſunt Monachi & Regulares.

Nego ſequel. Cujus Confirmationem diſtinguo: nihil ultra vovere poſſunt, quod ſpectet ſubſtantiam votorum Baptiſmi, Conc. Quod ſpectet modum ea implendi, Nego. Enimverò omnibus initiatis dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Matth. 12. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Eccl. 18. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* 1. Joan. 2. & ſpeciatim iis, qui in ſæculo agunt: *qui habent uxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*, 1. Corinth. 7. Sed quia terrena ſunt gravia onera & impedimenta peregrinantibus ad patriam cœleſtem, dicente Domino, Matth. 19. *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*; adepta quippe, inquit S. Auguſtinus, arctius diliguntur, quàm concupita, aut abſentia, & concupiſcentia iis commota mentem quam ſæpiſſimè decipit obtentu neceſſitatis, & urbanæ honeſtatis, impeditque quominus innoteſcat, quis modus in iis ſit tenendus. Quapropter nonnulli ultra mandatum progreſſi, è ſæculo nudi avolant in ſolitudinem, & uſum rerum, ſine quibus vita mortalis conſervari nequit,

ex judicio & voluntate Præpoſiti expectant, ut ab omnibus curis ſoluti, ea duntaxat cogitent quæ Domini ſunt. Porrò ad ſpecialem & perfectiorem illum modum implendi mandata non ſe extendunt vota Baptiſmi.

Q. II. *Baptizatus magisne peccat eodem genere peccati, quam non baptizatus?*

R. Affirmat ſanctus Thomas in 4. diſt. 38. quæſt. I. art. II.

Probatur I. ex Scriptura, Hebr. 10. verſ. 28. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Apoſtolus in hoc textu plures congerit circumſtantias, quæ peccata Chriſtianorum ſupra modum aggravant.

Primò, Baptizatus, ſi peccaverit, Filium Dei ſumma afficit injuria, & quod horribile dictu & auditu, illum conculcat, eoque dejicit, ut æmulum ejus, nempe diabolum præponendum judicet, *in Dominum peccat,* inquit Tertullian. libro de Pœnitentia cap 5. *qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eumdem regreſſu ſuo erigit . . . . Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit . . . . . tantò magis prorsùs Deo quantò ejus æmulo acceptus.*

Secundò, Sanguinem Chriſti pollutum dicit: illum, inquam, ſanguinem, noſtræ redemptionis pre-

pretium, quo ablutus, ſanctificatus, & omnium virtutum donis ornatus, abjicit veluti rem viliſſimam & ſordidam præ vana mundi gloria, & terrenis obligationibus, quas ambit: *Ita in Dominum non modò contumax, ſed etiam ingratus apparet*, ait Tertullianus loco citato. Ingratum vulgò dicimus, qui par beneficium non rependit, cùm poſſit; ſed qui donum licèt eximium ſpernit, ac rejicit, ipſumque beneficium injuria afficit, non ingratus tantùm, ſed & ferinus cenſeri debet.

Tertiò, violat pactum cum Deo initum & ſancitum proprio Filii ejus ſanguine, quem idcircò Apoſtolus vocat ſanguinem Teſtamenti, ſcilicet novi, cùm vetus firmatum fuerit ſolo hircorum, aut vitulorum ſanguine, juxta Antiquorum morem, qui pacta ſua animalis cæde conſignabant, ſimile exitium imprecantes capiti illius, qui prior fœdus violaſſet. Quæ cùm ita ſint, *maximo in metu omnes eſſe*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. *atque omni cuſtodia noſtras animas ſervare debemus, ne hoc pactum violaſſe comperiamur. Nam cùm ad mutua pacta firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quantum, quæſo, periculum eſt, ne fœdera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur*? præſertim conteſtante Apoſtolo Hebr. 10. *Jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio;* hoc eſt, ægrè ac difficilè relinquitur hoſtia, qua illud perfidiæ peccatum expietur; ſed manet terribile judicium & zelus vindicis ignis adverſus ejuſmodi fœdifragos.

Quartò, contumeliam facit Spiritui gratiæ, id eſt, Spiritui Sancto, qui in eo, veluti in proprio templo pretioſis donis ornato habitabat, nihilominus horrendo ſacrilegio illum expellit, & ejus

loco idolum zeli, scilicet spiritum superbiæ, luxuriæ, & avaritiæ erigit; & ita baptizatus consecratus in templum Dei, evadit templum idolorum. Hi sunt colores, quibus Apostolus, quin Deus ipse per Apostolum pingit peccata Christianorum.

Probatur 2. ex Patribus. Origenes hom 5. in Ezech. *Neque hi*, inquit, *qui crucifixerunt Salvatorem meum, rei sunt ingentis pœnæ, sicut hi, quibus Apostolus ait, quod Filium Dei conculcant.* Sanctus Chrysostomus homil. 1. in Acta Apostol. ubi probavit omnia crimina etiam gravissima per Baptismum facilè deleri, sic pergit: *Cæterum pro his, quæ post Baptismum commissa sunt, tantam damus pœnam, quasi illa revocata sint, ac multo etiam graviorem, jam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex .... audi quid dicat Apostolus:* Quantò putatis graviori vindicta dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit?

Confirmatur ex praxi universalis Ecclesiæ, quæ lapsos post Baptismum non reconciliabat, nisi post multos pœnitentiæ labores. Sanctus Pacianus epist. 3. ad Sempronian. scribit: *Illud* (Baptisma) *omnes adipisci possunt; quia gratiæ Dei donum est, id est, gratuita donatio: labor verò iste*, (pœnitentiæ) *paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.* Hugo à sancto Victore, lib. de potestate ligandi: *Facilius*, inquit, *reconciliatur Paganus post crimina centum, quàm Christianus post unum solum.* Et Patres Tridentini sess. 14. cap. 2. *Per Baptismum ... Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ,*

tentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia; pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.

Ex his colliges, quàm continua esse debeat memoria votorum, quæ in Baptismo emisimus, quamque frequenter Pastores & Patres-familias eam refricare teneantur in animis subditorum: tum, ut vota sua Domino fideliter reddant: tum, ut si quis eorum forté à gratia baptismali exciderit, pro gravitate culpæ conjiciat quæ debeat esse ejus pœnitentia & satisfactio; scriptum est enim Deuter. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Mensuram autem illam Christianus lapsus aliunde repetere nequit, quàm ex sanctitate Baptismi, & ex votis in eo nuncupatis. Hinc est quòd olim Ecclesia priusquam lapsos resipiscentes duris pœnitentiæ laboribus subjiceret, eos ad gradum audientium amandabat, in quo omnis eorum actio & exercitatio erat crebrius audire nonnunquam per annum integrum catecheses, seu sacras Religionis Christianæ institutiones, ut agnita tandem peccati sui malitia, & ejus horrore perculsi, pœnas in gradu substratorum subeundas eò alacriùs amplecterentur, quò se longè acerbiores mereri judicarent.





Tractatus
DE
SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, & definitione Sacramenti Confirmationis.

Q. 1. *Quomodo vocatur Sacramentum Confirmationis?*

R. Vocatur 1. manus impoſitio: *Per manus impoſitionem*, inquit Sanctus Auguſtinus .... *datur Spiritus Sanctus*, libro de Baptiſmo cap. 16.

2. Sacramentum chriſmatis. Ita Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *Sacramentum chriſmatis*, inquit, ... *ſacroſanctum eſt ſicut ipſe Baptiſmus.*

Sacrum Unguentum: ita Theodoretus in c. 1. Cantici Canticorum, & Græci communiter.

4. Si-

4. Signaculum Dominicum. Sic Sanctus Cyprianus epist. 71 ad Jubajanum.

5. Signaculum ſpirituale; apud Sanctum Ambroſium lib. de initiandis cap. 7.

6. Signaculum vitæ æternæ, apud Sanctum Leonem citato ſerm. 4. de Nativitate.

7. Chriſma ſuperçœleſte, Can. 48. Concilii Laodiceni.

8. Chriſma ſalutis, apud *S.* Leonem citato ſerm. 4. de Nativitate.

9. Perfectio apud S. Ambroſium, ſeu auctorem lib. 3. de Sacramentis cap. 11. *Poſt fontem*, inquit, *ſupereſt*, *ut perfectio fiat*, & Concilium Eliberitanum can. 47. de Baptizatis à Diacono, ſtatuit his verbis, *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debet.* Unde Guillelmus Antiſſiodorenſis lib. 4. Summæ tractat. 4. cap. 1. de Sacramento Confirmationis ſcribit, *per illud Sacramentum perfectè efficiuntur Chriſtiani.*

10. Apud Latinos Confirmatio ſimpliciter dicitur: *Qui enim per Baptiſmum Chriſtiani electi ſunt*, inquit Venerabilis Beda in Pſalm. 26. *molitiem quandam habent: à chriſmatis Sacramento adverſus omnis carnis*, *mundi*, *&* *diaboli impetus robuſtiores fiunt*, *&* *eorum animus in fide confirmatur.* Atque vel ex his nominibus conjicere licet quanti Veteres fecerint Sacramentum Confirmationis.

Q. 2. *Quomodo definitur Confirmatio?*

R. Definitur, Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis Spiritus Sancti robur confertur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipſam intrepide confitendam.

Dicitur 1. *Sacramentum novæ legis*, ut denotetur genus, in quo Confirmatio convenit cum aliis Sacramentis à Christo Domino institutis.

Dicitur 2. *quo baptizatis*, &c. quibus vocibus Confirmatio differt à Baptismo, qui nullum in suscipiente præsupponit Sacramentum; Confirmatio verò necessariò Baptismum præsupponit.

Dicitur 3. *Spiritus Sancti robur*, per quod designatur abundantior gratiæ copia, quæ per Confirmationem confertur; cùm enim commune sit omnibus Sacramentis novæ legis conferre gratiam sanctificantem & Spiritum Sanctum, proprium est Confirmationis illam gratiam dare ad robur, hoc est, cum ea plenitudine, quæ suscipientem adhuc parvulum in Christo perficiat, & coroboret.

Dicitur 4. *Ad fortiter credendum, & ad fidem ipsam intrepidè conferendam*, ut distinguatur Confirmatio à Sacramento Ordinis, in quo enim datur Spiritus Sanctus ad robur, sed ut functiones Ecclesiasticæ ritè exerceantur: hic verò ut baptizati tentationibus contra fidem irruentibus viriliter resistant, eandemque fidem spretis minis & blanditiis sæculi, data occasione, liberè profiteantur.

CAPUT II.

Utrùm confirmatio sit novæ Legis Sacramentum propriè dictum?

Negavit Lutherus libro de captivit. Babyl. *Satis est*, inquit, *pro ritu Ecclesiastico Confirmationem habere.* Similia docet Calvinus libro 4. Institutionum, ubi vocat Confirmationem, *abortivam Sacramenti larvam.*

Luthe-

Lutherani & Calviniſtæ in patrocinium ſuum conantur adducere. 1. Novatianos, qui tertio ſæculo Confirmationem è numero Sacramentorum expunxerunt, teſte Theodoreto lib. 3. hæreticarum fabularum. 2. Valdenſes circa medium duodecimi ſæculi. 3. Wiclefum, 14. ſæculo, & Joannem Hus ejus Sectatorem.

Sed erraverint circa Confirmationem illi Hæretici; quid Novatores juvat habere ſui criminis ſocios, quorum præcipui (Novatianos dico) ante mille annos extincti ſunt? Imò iiſdem ipſis, quos patronos habere gloriantur, ſchiſmatis reos ſeſe demonſtrant. Cùm enim impia dogmata illi docuerint, etiam Lutheranorum & Calviniſtarum judicio; Novatiani ſcilic. nullum in Eccleſia ſupereſſe remedium lapſis poſt Baptiſmum; Valdenſes & alii quemlibet Præpoſitum peccato mortali infectum, nullam habere juriſdictionem: Nonne in hoſtium caſtris militare deprehenduntur, qui talium ſocietati ſe adjungunt? Verùm multa ſuadent priſcos illos Hæreticos de Sacramento Confirmationis malè non ſenſiſſe, Novatianos quidem: tum quia SS. Epiphanius, Auguſtinus, Philaſtrius Brixienſis, & Joannes Damaſcenus talem ipſis errorem non tribuunt, quamvis accuratè de hæreſibus ſcripſerint; tum quia S. Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum, ſupponit Novatianos, qui tunc temporis ab Eccleſia defecerunt, confirmaſſe pariter & baptizaſſe; probat enim eo loci utrumque Sacramentum apud eos non valere. Valdenſes verò in Fidei Confeſſione oblata Uladislao Regi Hungariæ, ſic habent: *Sacramenta ſeptennario incluſa numero Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus.* Quòd igitur nunc conſentiant Calvi-

niſtis aſſerentibus duo tantùm eſſe Eccleſiæ Sacramenta, in cauſa eſt Bucerus Argentinenſis Pſeudo-Miniſter, qui eos anno 1522. in ſuum traxit errorem; nec ullam merentur fidem Libri recens editi à quodam Calviniſta tanquam genuini antiquorum Valdenſium fœtus: ex ſtylo enim & aliis momentis arguitur confictitium eſſe opus. Denique inter Wiclefi articulos in Conc. Conſtantinenſi recenſitos, & damnatos, nullus directè attingit Sacramentum Confirmationis. Itaque Lutherus, & Calvinus primi bellum Confirmationi indixerunt, contra quos ad propoſitam quæſtionem

R. De fide eſt Confirmationem eſſe Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Ita definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmatione: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit.* Præiverat Eugenius Quartus in ſuo Decreto pro Armenis, ubi recenſet ſeptem novæ Legis Sacramenta, aitque, *ſecundum Sacramentum eſt Confirmatio.*

Probatur 1. ex Scriptura ſacra Actuum 8. ubi ſic legitur; *Cùm autem audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Ex his

Ex his verbis ſic argumentari licet. Tria requiruntur, & ſufficiunt etiam ſecundùm Novatores ad veritatem Sacramenti. Primum, ritus exterior. Secundum, promiſſio gratiæ ſanctificantis. Tertium, mandatum Chriſti Domini: atqui hæc tria citato loco deſignantur. 1. Ritus exterior, qui conſiſtit in rebus & verbis, ſeu materia & forma. Orabant, en verba; imponebant manus, en res, ſeu materia, qua ſignificatur divina protectio, juxta illud Iſaiæ 49. *In umbra manus ſuæ protexit me*, ſub qua confirmatus quaſi clypeo munitus contra tela ignea nequiſſimi, ut loquitur Apoſtolus, dicere poſſit, *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? . . . . . Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum*, Pſal. 26. Eſto apud Judæos cæremonia illa eſſet uſitata dum alicui bene precabantur; quidni Chriſtus Dominus eam ad Sacramenti dignitatem extulerit quemadmodum & ablutionem, quæ etiam apud Judæos maximè erat in uſu? 2. Eo loci etiam habetur gratiæ non ſolùm promiſſio, ſed & collatio, *accipiebant Spiritum Sanctum.* 3. Mandatum Chriſti colligitur neceſſariò fatentibus Novatoribus, ex poteſtate Apoſtolis collata gratiæ tribuendæ, neque enim in mentem cujuſquam venire poteſt, Chriſtum Dominum tantam eis poteſtatem conceſſiſſe, ut illa nunquam uterentur, maximè cùm unicè data ſit in commodum & perfectionem Fidelium, & ut exhiberet ipſi ſibi glorioſam Eccleſiam, Epheſ. 5.

Quòd autem otioſa non fuerit in Apoſtolis illa poteſtas, patet non ſolùm ex laudato textu Act. 8. ſed & ex cap. 19. ejuſdem libri, ubi Apoſtolus Epheſum ingreſſus, inquiſitione facta, an bapti-

baptizati accepissent Spiritum Sanctum, imposuit manus his qui non acceperant: & ex cap. 6. epist. ad Hæbræos, ubi innuit idem Apostolus morem tunc fuisse & baptizandi & confirmandi Neophytos, *non rursum jacientes*, inquit, *fundamentum pœnitentiæ* . . . . . . *Baptismatum doctrinæ*, *impositionis quoque manuum*; quibus postremis verbis intelligit Sanctus Chrysostomus Sacramentum Confirmationis.

Respondent Adversarii allatum textum ex capite 8. Actuum, intelligendum esse de gratia miraculorum, quam prædixit Joel Propheta, interprete S. Petro, Actuum 2. quæque 10. collata est Apostolis die Pentecostes, deinde aliis credentibus per eorum ministerium, ut patet ex capite 1. Actuum, ubi legitur quod, loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super eos, qui erant congregati in domo Cornelii Centurionis, quo miraculo permotus Apostolus, dixit, *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos?* Ergo accipere Spiritum Sanctum, nihil est aliud, quàm accipere gratiam miraculorum.

Contra; hæc explicatio nova est, & prorsus aliena à mente omnium sanctorum Patrum, qui laudatum locum cap. 8. intellexerunt de Sacramento Confirmationis, ut constabit ex argumento sequenti.

Probatur itaque 2. Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum auctoritate omnium SS. Patrum, & constanti universalis Ecclesiæ traditione.

S. Irenæus, qui floruit secundo sæculo, habuitque Præceptorem Sanctum Polycarpum, auditorem

torem S. Joannis Evangeliſtæ, libro 4. cap. 75. ſcribit eos, quibus Apoſtoli manus imponebant, ut refertur Actuum 8. per hujuſmodi manuum impoſitionem accepiſſe Spiritum Sanctum, qui eſt eſca vitæ. Ex quo teſtimonio tria colligere licet. Primum, quod Actuum 8. agatur de Sacramento Confirmationis, non de ſola gratia miraculorum, quæ ætate S. Martyris ferè deſierat, ſtabilita jam Eccleſia. Secundum, quòd illa impoſitio eſſet ſignum in Eccleſia permanens ad ſanctificationem Fidelium. Tertium, quòd Confirmatio non ſit abortiva Sacramenti larva, ut ſuprà garriebat Calvinus, quaſi fuerit primo ſæculo ignota: teſtimonium enim illud evincit illam fuiſſe in uſu primo ſæculo.

Tertull. ferè coævus S. Irenæi, cùm vixerit ſecundo & tertio ſæculo, ſic docet lib. de Baptiſmo cap. 7. *egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Et cap. 8. libro de Reſurrect. carnis, ſic habet: *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur; caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Quibus verbis Tertullianus tria deſignat Sacramenta, quæ ſolebant continuò dari Neophytis, nempe Baptiſmum, *caro abluitur;* Confirmationem, *ungitur, ſignatur, manus impoſitione adumbratur;* & Euchariſtiam, *Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur.*

Sanctus Cyprianus ſcripſit Epiſt. 73. tertio mediante ſæculo, *quod nunc quoque apud nos geritur*, (nempe quod obſervarunt Apoſtoli Act. 3.) *ut qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ offeran-*

offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur.

S. Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus & Martyr, in Epist. ad S. Cyprianum, quæ est 75. inter Epist. ejusdem S. Cypr. meminit etiam impositionis manuum observandæ ab Episcopis super baptizatos, exemplo Apost. Act. 19.

Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus quarto sæculo catechesim tertiam instituit de Sacramento Confirmationis, ubi inter cætera hæc leguntur: *Sanctum illud unguentum non ampliùs est unguentum nudum, postquam jam consecratum est; sed est chrisma, quod Christi & Spiritus Sancti divinitatis præsentiam efficit, quo frons, & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur . . . . ut enim Salvator post Baptismum, & illum Spiritus Sancti adventum, egressus in prælium vicit adversarium, sic & vos post sacrum Baptisma, & chrisma mysticum induti armis Spiritus Sancti adversùs vobis oppositam potestatem consistatis, & præliemini, dicentes:* Omnia possum in eo, qui me confortat, *hujus chrismatis dono accepto meritò appellamini Christiani.*

Nec est quod opponat Dallæus Sanctum Augustinum libro 26. de peccator. meritis, cap. 2. cineribus, & aliis Sacramentalibus tribuere virtutem sanctificandi; satis enim sanctus Doctor distinguit illam virtutem Sacramentalium à virtute, quæ competit Sacramentis. Illa sanctificant *secundùm quendam modum suum*, inquit, At ista simpliciter dicuntur sanctificare, dare Spiritum Sanctum, & præsentiam ejus divinitatis efficere.

Sanctus Chrysostomus hom. 18. in Acta Apostolorum etiam quarto sæculo, sic scribit: *Philippus baptizans Spiritum Sanctum non dabat, neque facultatem*

tatem habebat . . . . . hoc erat in Apostolis singulare; unde præcipuos & non alios videmus hoc facere.

S. Hieronymus eodem sæculo. Dialogo contra Luciferianos: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

S. Augustinus tract. 6. in Epist. S. Joannis: *Primis temporibus*, inquit, *cadebat super credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant . . . . Signa erant tempori opportuna . . . . . . Nunquid modò quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? . . . . . . Si ergo per hæc miracula non fiat modò testimonium præsentiæ Spiritus Sancti . . . . unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum, si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.* Similia habet tract. 3. in eadem epist. & libro 2. contra Literas Petiliani cap. 104. *in hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut . . . . Baptismus.*

Innocentius I. S. Augustino coævus, ita scribit epist. 1. *De consignandis verò infantibus manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere; nam Presbyteri licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent; hæc autem solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Act. Apost. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris, (seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent) chrismate baptizatos ungere licet;*

licèt; ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum ſanctum.

S. Gregorius, qui regebat Eccleſiam ſexto & ſeptimo ſæculo, meminit Sacramenti Confirmationis lib. 12. epiſt. 31. Venerabilis Beda octavo ſæculo in cap. 8. Actuum Apoſtolorum: S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 26. Theodulphus Aurelianenſis lib. de ordine Baptiſmi cap. 17. Amalarius Trevirenſis libro 1. de Officiis cap. 27. Denique Eccleſia Orientalis retinuit Confirmationem, tamquam verum novæ Legis Sacramentum.

Dices 1. Nemo dat quod non habet: atqui Apoſtoli confirmati non erant; à quo enim, & quando fuiſſent confirmati? non à Chriſto Domino ante Paſſionem, cùm hujuſce Confirmationis nullum extet veſtigium; ſive in Scripturis, ſive in Traditione: neque etiam poſt paſſionem; quia Confirmatio præſupponitur ordinationi; cùm autem Apoſtoli fuerint ordinati Sacerdotes in ultima cœna, ſequitur eos præpoſterè non fuiſſe à Chriſto Domino confirmatos poſt Paſſionem; neque etiam à Spiritu Sancto; linguæ enim igneæ; quæ die Pentecoſtes apparuerunt ſupra capita ſingulorum, non fuerunt Sacramenta, utpote ſigna tranſitoria præſentiæ Spiritus Sancti, non ad eorum ſanctificationem; ad illum enim effectum jam acceperant Spiritum ſanctum, ſed ad gratiam miraculorum, juxta Joelis prophetiam, ut interpretatur S. Petrus Act. 2. Ergo Apoſtoli per manus impoſitionem non conferebant Sacramentum, & hoc expreſsè docent S. Thomas 3. p. qu. 72. art. 1. Sanctus Bonaventura in 4. diſt. 7.

& ejus

& ejus Magiſter Alexander de Ales 3. p. q. 4. Scotus in 24. diſt. 7.

Reſpondeo 1. Negando abſolutè majorem, aliàs nec infidelis baptizare poſſet, cùm ipſe baptizatus non ſit.

Reſpondeo 2. Diſtinguendo eandem majorem, nemo dat quod non habet, nec formaliter, nec virtualiter, Concedo: Quod non habet formaliter, Nego major. Sufficit enim quòd acceperit virtutem conferendi Sacramentum, v. gr. ethnicus baptizandi, Sacerdos ungendi, etiamſi ille Baptiſmum, iſte Extremam Unctionem non acceperit.

Equidem Apoſtoli ſine Sacramento conſecuti ſunt die Pentecoſtes effectum Confirmationis, nempe gratiam uberiorem, cum dono miraculorum, *foris apparentibus linguis igneis*, inquit S. Gregorius, hom. habita die Pentecoſtes, *intùs facta ſunt corda flammantia*, nempe igne charitatis. Quamvis autem prophetia Joelis, quæ myſterium prænuntiat, ad ſolum donum linguarum arctaretur, argumentum erat S. Petro efficax ad retundendam eorum calumniam, qui dicebant Diſcipulos eſſe ebrios.

Adumbratum quidem fuit Sacramentum Confirmationis, & quodammodo indigitatum, cùm Chriſtus Dominus parvulis manum imponebat, ut tradit Concilium Senonenſe; ſed communiter creditur, nonniſi poſt Reſurrectionem ſicut pleraque alia Sacramenta fuiſſe inſtitutum. Attamen ſanctus Thomas art. cit. opinatur Chriſtum Dominum ante Paſſionem promittendo inſtituiſſe illud Sacramentum, ſed nonniſi poſt Aſcenſionem exhibuiſſe, quia in eo datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ danda non erat ante Aſcenſionem;

nem; juxta illud Joan. 7. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Docent quidem S. Bonaventura & Halensis ejus Magister, Apostolos sine Sacramento dedisse Spiritum sanctum ad robur (ergo non ad solam gratiam miraculorum, ut falsò contendunt Novatores) ac post eorum mortem hoc Sacramentum fuisse institutum, quantùm ad formam verborum & materiam elementarem, hoc est, chrismationem, in quibus verbis nonnulli Theologi errorem agnoscunt, sed venia dignum; cùm eorum tempore Ecclesia non definiisset omnia novæ legis Sacramenta à Christo fuisse instituta; sed explicari possunt juxta sensum eorum Theologorum, qui etiam hodie docent Christum Dominum non determinasse materiam & formam cujuslibet Sacramenti, sed dedisse Ecclesiæ potestatem illas determinandi, adeòut veteres illi Theologi voluerint duntaxat Ecclesiam post obitum Apostolorum designasse, quæ esset materia, quæve forma hujusce Sacramenti à Christo tamen instituti. Quod verò addit Alensis, chrismationem institutam fuisse in Conc. Meldensi, quod est particulare sæculo octavo celebratum, si intelligatur de prima institutione chrismationis, non verò de aliqua Ecclesiæ ordinatione circa chrismationem, manifestus est error; nam ex testibus allatis constat, jam à secundo sæculo chrismationem per universam Ecclesiam fuisse observatam.

Quod Scotum spectat, clarè docet Confirmationis Sacramentum à Christo Domino fuisse institutum, *supponitur*, inquit loco citato, *institutum fuisse à Deo* (hoc Sacramentum) *licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur.* Ita autem

autem ſcribit, quia ſententia ejus eſt, Apoſtolos ſine Sacramento Spiritum ſanctum contuliſſe per impoſitionem manuum; ad quam ſequebatur gratia miraculorum, quæ erat ſignum ſenſibile præſentiæ Spiritus Sancti, & gratiæ ſanctificantis, ita, ut tunc temporis inutiles eſſent præſcripta verborum forma & chriſmatio, quæ cœperunt uſurpari ceſſantibus illis miraculis.

Dices 2. Confirmatio nihil eſt aliud, quàm cæremonia Eccleſiaſtica pertinens ad ſolemnitatem Baptiſmi; nam, ex dictis hactenus de Baptiſmo; Catechumeni per Epiſcopum præparabantur ad Baptiſmum manuum impoſitione, & ſacris unctionibus. Creſcente autem numero fidelium, cùm Epiſcopus ſolus iis tingendis non ſufficeret, miniſterium illud Presbyteris, & iis deficientibus, Diaconis demandatum eſt, hac tamen conditione, quod in fronte Neophytos non ungerent, ut patet ex teſtimonio Innocentii primi mox relato, ſicque natum eſt Sacramentum Confirmationis, quod perficitur unctione incognita Apoſtolis & toto primo ſæculo, ſed excogitata ab iis qui formæ baptizandi à Chriſto Domino præſcriptæ, plures cæremonias addiderunt. Confirmatio itaque prout nunc in Eccleſia celebratur non eſt repetenda ab impoſitione manuum, per quam Apoſtoli Spiritum ſanctum advocabant, quæque ceſſantibus in Eccleſia miraculis omninò deſiit, ſed eſt alia prorſùs cæremonia ab Eccleſia inſtituta: Ergo.

Confirmatur. Vera Sacramenta ubique in Eccleſia conſervantur, cæremoniæ verò non ita, ſed variant ſecundùm diverſas regiones. Unde aliæ ſunt apud Latinos, aliæ apud Græcos;

Porrò plures Ecclesiæ, ut Æthiopum, Armenorum, non confirmant.

Nego anteced. Constat enim ex testimoniis adductis; 1. Ritum confirmandi descendere ex traditione Apostolica, & deduci ex capite 8. Actuum. 2. Patres distinxisse inter Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, licèt hæc tria Sacramenta simul conferentur, *Sacramentum chrismatis*, inquit S. Augustinus cit. libro contra Petilianum . . . *sacrosanctum est*, *sicut* . . . *Baptismus*, 3. Per Confirmationem Spiritum Sanctum tribui, sicut per Baptismum: quod de pura cæremonia non assererent.

Ad Confirmationem respondeo, falsum esse Græcos non retinere Sacramentum Confirmationis; contrarium enim testantur Morinus & Goardus, qui apprimè noverunt illius Ecclesiæ ritus. Idem constat de Æthiopibus seu Abyssinis ex Illorum Euchologio edito tom. 6. Bibliothecæ Patrum, ubi legitur, *Orationes quas dicit Sacerdos cùm imponit manus super eos qui confirmandi sunt* . . . . *accipit balsamum*, *&* *orat super ipsum* . . . . *postea ungit*. Habentur testimonia authentica in opere de perpetuitate fidei circa Eucharistiam subsignata ab Ægyptiis seu Cophtis, Syris, qui Damascum habitant, Armenis Palæstinæ & Persidis, Confirmationem apud illos esse Sacramentum. Negandum tamen non est, quin particulares Ecclesiæ schismate & ignorantia laborantes in illis regionibus, illud Sacramentum amiserint, in quas fortè incurrerunt Guido Carmelita & Alvarez, ut scriberent illas gentes ignorare Sacramentum Confirmationis.

Instabis: atqui non colligitur Confirmationem

nem esse Sacramentum à Christo Domino institutum, ex eo quòd per illam cæremoniam dicatur dari Spiritus sanctus. Nam in scriptis Veterum communiter legimus, quòd revertentes ab hæresi debeant recipi cum manuum impositione, & sacra unctione ad accipiendum Spiritum sanctum, & ut in fide confirmentur, seu roborentur. Imò apud Methodium auctorem noni sæculi, & in Euchologiis recentioribus Græcorum, legitur ejusmodi recipi unctione & ablutione: atqui illæ cæremoniæ non erant Sacramentum, ut dictum est c. 14. de Sacramentis in genere; aliàs cogeremur admittere Sacramenta Baptismi & Confirmationis in Ecclesia Catholica iterari. Ergo.

Nego subsumptum & confirmationis minorem. Illa enim manus impositio erat reconciliatoria, designabatque Sacramentum Pœnitentiæ, ut cit. cap. 14. de Sacramentis in genere probavimus. Verum quidem est, quòd post tempora Syricii Papæ, qui meminit solius manus impositionis, qua per totum orbem recipiebantur revertentes ab hæresi, additæ sunt quædam cæremoniæ, ut chrismatio, præsertim in Oriente, ex can. 7. Concilii Constantinopolitani, qui vel ad Syricii notitiam nondum pervenerat, vel ut spurius ab eo rejiciebatur, cùm Ecclesia Romana primis temporibus, nonnisi tres hujus Concilii canones agnosceret: quòd autem successu temporis hujusmodi pœnitentes etiam abluerentur, servarenturque circa eos cæremoniæ, tum Baptismi, tum Confirmationis, efficax est argumentum Confirmationis Sacramentum non fuisse iteratum, sed cæremoniam planè similem, qua significaretur effectus hujus Sacramenti reviviscere

 per

per pœnitentiam, alioquin dicere cogeremur etiam apud Græcos Baptiſmum à nono ſæculo ſolere repeti Itaque ſicut ablutio illa apud eos eſt cæremonia repræſentans Baptiſmum, ſic & chriſmatio figurat Confirmationem, ſuntque duo ſigna ſenſibilia, quòd per Sacramentum pœnitentiæ reviviſcant effectus utriuſque Sacramenti, Spiritum ſanctum recipiant pœnitentes, & in fide confirmentur.

Dices 3. Cùm Sacramenta ſint quid præcipuum in Religione, & veluti quædam Eccleſiæ fundamenta, nihil notius & certius eſſe debet, quàm ritus, quo perfici debent: atqui omninò incertum eſt etiam in Eccleſia Romana, quæ ſit materia, quæve forma Confirmationis; alii enim contendunt ſola manuum impoſitione perfici illud Sacramentum, alii manus impoſitione & chriſmatione ſimul, alii ſola chriſmatione, & hi rurſus inter ſe diſſentiunt; alii enim docent chriſmationem nullam fore niſi fiat ex oleo & balſamo permixtis; alii ſimplex oleum ſufficere contendunt: alii ſtatuunt oleum ad veritatem Sacramenti eſſe ab Epiſcopo conſecrandum: alii negant, voluntque illam conſecrationem eſſe cæremoniam merè Eccleſiaſticam, adeo ut jam non ſit reperire Confirmationem à Chriſto Domino inſtitutam, ergo fatendum eſt illam non eſſe Sacramentum; Eccleſia enim cautè & fideliter ſervat depoſitum ſibi creditum, nec ſinit quidquam circa illud immutari, ſive detrahendo; ſive ſuperaddendo.

R. Hoc argumento expungenda eſſent Euchariſtia & Baptiſmus è numero Sacramentorum. Nonne plures hæretici, ut Colliridiani, Aquarii, &c. diver-

diverſas materias obtrudebant ad conficiendam Euchariſtiam? Nonne etiam Novatores noſtri docuerant Baptiſmum poſſe celebrari in vino, lacte, & in qualibet alia materia apta ad abluendum? An non etiam Catholici diu pugnarunt inter ſe circa materiam proximam Baptiſmi, aliis contendentibus immerſionem eſſe neceſſariam, aliis triplicem requirentibus, aliis unicam, aliis infuſionem, vel aſperſionem ſufficere? Eccleſia hunc opinandi pruritum tum reprimit, cùm periculum eſt ne error contra veritatem prævaleat: ſic in Concilio Tridentino aquam naturalem pro materia neceſſaria Baptiſmi aſſeruit contra Novatores, qui novitate ſua Sacramentum Baptiſmi è medio tollebant. Quoad verò controverſias, quæ ſalva pace in Scholis agitantur circa Sacramentorum materias & formas, ſedulò cavet ne veritati eorundem Sacramentorum & ſaluti fidelium noceant, prohibetque ne quis Miniſter in praxi ſequatur opinionem probabilem, tutiore omiſſa, neve immutet præſcriptum ritum, in quo nihil deſideratur eorum, quæ neceſſaria ſunt ad Sacramentorum veritatem. Sic in ritu Confirmationis habes manus impoſitionem & quidem duplicem, chriſmationem ex oleo & balſamo ab Epiſcopo benedictis: ubi autem urgebit neceſſitas explicandi fidelibus quid ex his præciſè ſit à Chriſto Domino inſtitutum, Eccleſia non deerit ſuo officio.

Interim quoties nobis certamen eſt cum hæreticis, ſedulò declinandæ ſunt Scholæ controverſiæ, in quas illi calidè incautos dejiciunt, ut Sacramentum Confirmationis difficultatum caligine obvolutum faciliùs de medio tollant; hærendumque

dumque Scripturæ & Traditioni, quæ tam clarè demonſtrant Spiritum Sanctum per manus impoſitionem conferri, ut adverſarii nonniſi telas aranearum contra opponant. Hoc conſilium ſecutus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in expoſitione fidei à ſummo Pontifice & ab aliis Epiſcopis communiter approbata, ſic ſcribit: *Cùm impoſitio manuum à Sanctis Apoſtolis adhibita ad confirmandos fideles ...... pro principali effectu habeat deſcenſum interiorem Spiritus Sancti, non debuit rejici ab adverſariis ... Idcircò eam omnes Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus religiosè conſervarunt. Chriſmate autem utentes ad demonſtrandam hujus Sacramenti efficaciam, expreſſiori ſignificatione unctionis interioris Spiritus Sancti.*

CAPUT III.

De materia & forma Sacramenti Confirmationis.

Certum eſt formam Confirmationis eſſe verba, quæ profert Epiſcopus dum applicat materiam, quæcunque tandem illa ſit; nam ex dictis de Sacramentis in genere, forma cujusque Sacramenti, ſunt verba, quæ expreſſiùs ſignificant determinantque materiam ad deſignandum effectum Sacramenti, v. g. in Baptiſmo, cùm aqua poſſit aſſumi vel ad refrigerandum, vel ad abluendum, determinatur ejus uſus per hæc verba, *Ego te baptizo:* ergo verba quæ profert Epiſcopus applicando Confirmationis materiam habenda ſunt pro hujus Sacramenti forma: hæc in confeſſo ſunt apud omnes. Sed gravis difficultas eſt, & variæ ſententiæ circa Confirmationis materiam.

Prima Sententia ſolam manuum impoſitionem aſſignat; quia ea eſt materia Confirmationis, quam Apoſtoli adhibuerunt: atqui Apoſtoli ſolam adhibuerunt manuum impoſitionem, Act. 8. v. 17. Ergo. Ita Sirmondus è Societate Jeſu, Sanbovius olim in Academia Pariſienſi Profeſſor Regius, & alii.

Secunda Sententia è diametro oppoſita negat impoſitionem manuum pertinere ad eſſentiam Sacramenti, contenditque Eccleſiam pro poteſtate à Chriſto ſibi conceſſa determinandi materias Sacramentorum loco impoſitionis manuum chriſmationem ſtatuiſſe, ut docet Eugenius Papa in decreto pro Armenis.

Tertia Sententia media inter utramque poſita definit impoſitionem manuum ſimul & chriſmationem eſſe integram, & adæquatam Sacramenti materiam, & utramque adhibitam fuiſſe ab Apoſtolis, ac deinceps retentam in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali; ſed non conſentiunt inter ſe hujusce ſententiæ patroni, alii quippe volunt chriſmationem eſſe partem eſſentialem; alii affirmant eſſe duntaxat integrantem, quemadmodum alteram ſpeciem in Euchariſtia, & ſatisfactionem in Pœnitentia.

Ex ſecunda & tertia ſententia duplex oritur difficultas. Prima, utrùm mixtio balſami & olei ſit inſtitutionis divinæ, adeoque de ſubſtantia Sacramenti; an verò Eccleſiaſticæ duntaxat. Secunda, an benedictio Epiſcopalis, quæ in Eccleſia fit cum magno apparatu & ſolemnitate, ſit de neceſſitate Sacramenti. Quæ omnia ſequentibus Paragraphis diſcutienda ſunt.

§. I.

§. I.

Utrùm manuum impositio sit essentialis materia Confirmationis?

R. Est materia essentialis.

Probatur 1. ex Scripturis, Act. 8. v. 17. *tunc imponebant* (Apostoli) *manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, Act. 19. v. 6. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

Probatur 2. ex constanti Traditione Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ, ac 1. quidem Latinæ.

Tertullianus lib. de resurrectione carnis c. 8. *caro*, inquit, *signatur, ut & anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.*

Sanctus Cyprianus Epist. 73. *Nunc*, inquit, ... *apud nos geritur*, (quod observaverunt Apostoli) *ut qui in Ecclesia baptizantur, per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.*

S. Hieronymus dialogo contra Luciferianos cap. præcedenti laudato, scribit, quòd *Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

S. Aug. cit. tract. 6. in primam S. Joannis Epist. ait num 10. *nunquid modò quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur?*

S. Gregorius hom. 10. in Evang. *per manuum nostrarum impositionem*, inquit, *Spiritum Sanctum percipiunt.* Similia habet ejus coætaneus S. Isid. Hispalensis lib. 2. de officiis cap. 26. Beda in cap. primum Cant. Canticorum, Theodulphus Aurelia-

lianensis lib. de ordine Baptismi cap. 16. Amalarius lib. de officiis c. 27. Rabanus Maurus lib. 1. Instit. Cleric. cap. 3. Denique Concilia Senonense, anno 1525. Moguntinum, 1569. Remense, 1593. Narbonense, 1589. manuum impositionem pro materia Confirmationis assignant.

Nec minùs constans est Traditio in Ecclesia Græca.

S. Irenæus olim S. Policarpi auditor, & præcedenti capite laudatus, asserit idem nunc observari in Ecclesia quod Apostoli factitarunt Act. 8.

Sanctus Firmilianus Epistola 75. inter Epistolas Sancti Cypriani, sic scribit ad eundem Sanctum Martyrem, *Si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit manus impositio* (Confirmatio) *ad accipiendum Spiritum Sanctum.*

Theodoretus in cap. 6. ad Heb. *per manuum impositionem Sacerdotalem*, inquis, *Spiritus Sancti gratiam accipiunt.*

Simeon Thessalonicensis lib. de templo sic habet, *per manuum impositionem, & inspirationem unguenti gratiam inserit.* Scripsit autem ille auctor post ortum Græcorum schisma.

Dices 1. Eugenius IV. in Decreto pro Armenis docet *loco* manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum Sanctum, in Ecclesia dari Confirmationem. Ergo manuum impositio non est de essentia hujus Sacramenti.

Nego conseq. Sensus enim illorum verborum est, idem Sacramentum, quod in Scriptura vocatur manus impositio, nunc vocari Confirmationem. Hunc sensum indicat Innocentius III. cap.

cum

cùm veniſſet, de ſacra unctione, ubi reſpondet per frontis chriſmationem deſignari manus impoſitionem Apoſtolorum.

Dices 2. Eccleſia Orientalis à pluribus ſæculis Sacramentum Confirmationis adminiſtrat ſine ulla manus impoſitione, quod Eccleſia Latina nunquam Græcis objecit, quoties eos redeuntes in ſuam communionem recepit, ut in Concilio Lugdunenſi ſecundo, & Florentino : Ergo.

Nego ant. tum quia Græci præmittunt orationem manibus extenſis ad confirmandos, per quam invocant Spiritum Sanctum : tum quia, ſi in illa oratione nulla fit manuum extenſio, ſicut nullam præſcribunt recentiora eorum Euchologia, chriſmatio non fit ſine manus impoſitione. Unde frequenter apud Veteres ungere & manus imponere idem ſunt. *Illa unctio*, inquit Beda in Pſalm. 26. *quæ per manus impoſitionem fit*, *vulgo Confirmatio dicitur.* Amalarius lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 21. ſic habet, *ut ab Epiſcopis ſolis inungantur per manus impoſitionem ab Apoſtolis aſſumptum eſt.* Ivo Carnotenſis ſerm. de veteri & novo Teſtamento ait *per manus impoſitionem ſacro chriſmate confirmantur.* Hugo à Sancto Victore l. 1. de Sacram. p. 7. cap. 21. *Chriſtianus*, inquit, *unctione chriſmatis per impoſitionem manus in fronte ſignatur.* Innocentius III. cap. *quantò*, de conſuetudine, eadem mente ſcribit, *Sacramentum Confirmationis ...... chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre.* Ubi chriſmare, & manum imponere ſunt unum & idem. Quare meritò Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus in Expoſitione fidei à Summo Pontifice approbata, aſſerit impoſitio-

ſitionem manuum omnes Eccleſias religioſè retinuiſſe ab Apoſtolorum ævo.

Inſtabis in chriſmatione una manus imponitur, cùm tamen laudati Patres utriusque manus impoſitionem requirant. Ergo.

Nego conſ. hactenus enim ex Traditione ſatis eſſe ſi una imponatur manus, *id à Petro & Joanne factum eſt*, inquit S. Cyprianus citat. Epiſt. 73. *ut oratione pro eis habita, & manu impoſita*, &c. Sanctus Hieronymus dialogo contra Lucifer. ait, *Epiſcopus, ſi imponat manum, iis imponit, qui in recta fide baptizati ſunt.* In Sacramento quoque Sancti Gregorii legitur, *levata manu.*

Q. 2. *Impoſitio, ſeu extenſio manuum, quæ in Eccleſia Latina ab unctione diſtinguitur, eſtne eſſentialis Sacramento?*

R. Non idem ſentiunt Theologi. Negant, qui ſtant pro ſecunda ſententia definiente chriſma eſſe adæquatam Sacramenti materiam. Affirmant verò non ſolùm, qui agnoſcunt impoſitionem manuum pro unica Confirmationis materia; ſed ex his plures, qui ei adjungunt chriſmationem, tum quia chriſmatio nonniſi impropriè dicitur manuum impoſitio: tum quia Tertullianus, S. Cyprianus, & Ordo Romanus manus impoſitionem, per quam datur Spiritus Sanctus, diſtinguunt à chriſmatione.

Objiciunt 1. prioris ſententiæ patroni. Eccleſia ritum cujusque Sacramenti ita ordinavit, ut ſemper præmittat preces, & accidentales cæremonias, quibus præparentur initiandi: atqui in ritu Confirmationis nihil præcedit illam manuum extenſionem: ergo extenſio illa non eſt pars eſſentialis Sacramenti.

Reſp.

Resp. maj. non esse universaliter veram; namque ritus Sacramenti Matrimonii inchoatur à consensu contrahentium, qui est essentialis Sacramento.

Nonnulli addunt ideo in ritu Confirmationis nullas cæremonias præparatorias præmitti, quia Sacramentum illud antiquitus simul cum Baptismo conferebatur, sicque Neophyti ad utrumque Sacramentum disponebantur per easdem cæremonias. Sed responsio illa non plenè satisfacit; namque Eucharistia etiam cum Baptismo administrabatur, & nihilominus accedentes ad eam præviis precibus & cæremoniis præparantur.

Objiciunt 2. Non raro accidit, quòd Neophyti chrismentur, etiamsi priùs non fuerint subjecti præviæ illi manuum impositioni, quod præsertim cernere est in magno populorum concursu, ubi Episcopus chrismat à manè ad meridiem; nam fideles ex diversis locis successivè ad Ecclesiam confluunt, & cum aliis sacra unctione liniuntur, licèt tum absentes fuerint, cùm Pontifex manibus extensis Spiritum Sanctum invocaret. Ministri quidem Episcopo assistentes sollicitè monent ne quis egrediatur ante acceptam benedictionem Episcopalem, quæ solet impertiri expleta cæremonia; sed nulla attentio, nullave cura, ne quis numero chrismandorum se adjungat, nisi manus Episcopalis priùs fuerit ei imposita, quod signum est illam non pertinere ad integritatem Sacramenti.

Resp. illum morem esse abusum corrigendum etiam in eorum sententia, qui docent cæremoniam illam esse accidentalem; namque ex usu & præcepto Ecclesiæ, si quid omissum est in ritu Sacramentorum, debet postea suppleri, ut exorcismi,

cismi, & aliæ cæremoniæ Baptismi, quæ in casu necessitatis prætermissæ sunt.

Porrò si tam accurate servari debent ritus, quos constat non pertinere ad Substantiam Sacramenti, quantò magis, quem graves Theologi & quidem magno numero docent esse essentialem? Quapropter Pastores diligenter moneant, quos ad Confirmationem disponunt, ne quis ungendus accedat, nisi præsens adfuerit, cùm Episcopus super confirmandos Spiritum Sanctum invocaret: in id etiam invigilent Ministri Episcopum circumstantes. Et quia difficile cavetur, ne in magno concursu ejusmodi abusus subrepat, plerique Episcopi hac utuntur cautela, nimirum eorum jussu confirmandi in distinctos ordines distribuuntur, ita ut integer Confirmationis ritus circa eos, qui sunt primi ordinis, expleatur: tum iis recedentibus, repetatur oratio cum manuum extensione, & reliquo ritu super eos, qui sunt secundi ordinis, & sic deinceps.

§. II.

Utrùm unctio sit partialis materia Confirmationis?

R. 1. Nihil Ecclesia circa hanc quæstionem hactenus definiit. Est communis Theologorum sententia contra Suarez, qui disp. 33. sect. 1. existimat esse de fide chrismationem pertinere ad essentiam Confirmationis.

Probatur, quia nullibi extat ejusmodi Ecclesiæ definitio.

Dices 1. pro Suarez, Concilium Florentinum decrevit materiam Confirmationis esse chrisma ex oleo & balsamo confectum: Ergo.

Nego antec. 1. quia illud decretum non eſt Concilii Florentini, ſed Eugenii quarti in inſtructione Armenis data poſt ſolutum Concilium. 2. quia quæcunque in hac inſtructione continentur; v. g. quòd in Calice Euchariſtico miſcenda ſit pauciſſima aqua; non ſunt de fide. 3. quia ejuſmodi inſtructio non proponitur univerſali Eccleſiæ, ſed ſpectat ſolum Armenos. 4. quia Summus Pontifex ibi duntaxat tradit diſciplinam Romanæ Eccleſiæ, cui Armenos conformari exoptabat, quamvis Concilium Florentinum paulò ante decreviſſet Græcos, ſalva fide & pace, poſſe retinere ſuæ Eccleſiæ ritus & diſciplinam, quæ ſanè in multis diſcrepat ab iis, quæ habentur in inſtructione pro Armenis.

Dices 2. Concilium Trid. rem definiit ſeſſ. 7. can. 2. de Confirmatione, in quo ſic ſtatuit: *Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro Confirmationis chariſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.* Ergo.

Nego ant. Concilium enim in hoc can. præciſè definiit, poſſe dici absque injuria Spiritus Sancti, conſecratum chriſma habere aliquam virtutem. Sed unde habeat, an ex benedictione & ſuffragiis Eccleſiæ, quemadmodum alia Sacramentalia, v. g. exorciſmi, aqua benedicta, &c. an verò ex inſtitutione Chriſti, quaſi illud elegerit in materiam Sacramenti, Concilium quæſtionem hanc minimè attingit. Pueriliter ergo ac prorsùs inepte Kemnitius ex Lutheranorum ſecta tripudiat, cùm ſcribit in hunc canonem, *divinitus factum eſt, quòd non eſt retenta impoſitio manuum in Pontificia Confirmatione, ſed ſubſtituta eſt chriſmatio, ut Eccleſia, animadverſa palpabili differentia inter*

manu-

manuum impositionem, & Confirmationem in fronte, non tam facilè seduci possit allegatione historiarum Act. 8. & 19.

R. 2. Unctio, quæcunque illa sit, sive ex oleo simplici, sive ex oleo & balsamo mixtis, est ex institutione Christi, & partialis materia Confirmationis. Ita S. Thomas hic q. 72. art. 2. & alii communiter Theologi contra Sirmondum, Sanbovium, & alios.

Probatur ex constanti Traditione universalis Ecclesiæ tum Occidentalis, tum Orientalis; ac primò quidem Occidentalis.

Tertull. lib. de Bapt. cap. 7. *exinde*, inquit, *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur; spiritalis effectus, quòd delictis liberamur.* Et cap. 8. *deinde manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.* Et lib. de resurrectione carnis cit. cap. 8. *caro ungitur, ut anima consecretur.*

S. Cyprianus Epist. 70. *ungui . . . . necesse est*, inquit, *eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate*, *id est*, *unctione*, *esse unctus Dei*, *& habere in se . . . . gratiam possit.*

Sanctus Pacianus Episcopus Barcinonensis & Martyr, Epistola 1. sic scribit. *Hoc ergo superædificavimus, quod Apostolorum doctrina fundavit . . . . si ergo & lavacri & chrismatis potestas . . . . ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque adfuit, atque solvendi.*

Sanctus Ambrosius lib. de initiandis cap. 6. *Omnes*, inquit, *in regnum Dei, & in sacerdotium ungimur gratia spirituali.* Et lib. 2. de Sacr. cap. 7.

 Venisti

Venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, concessitque peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.

S. Augustinus Serm. 227. aliàs 83. de diversis, ubi loquens de Baptismo & Confirmatione, quæ simul Neophitis conferebantur, sic habet: *Accessit Baptismus & aqua, quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? hoc est chrisma. Oleum etenim ignis nostri Spiritus Sancti est Sacramentum.*

Innocentius I. Epist. prima, scribit baptizatorum frontem oleo consignare, solis deberi Episcopis, cùm tradunt Spiritum Sanctum.

Theodulphus Aurelianensis libro de ordine Baptismi cap. 16. *quibus etiam*, inquit, *septiformis gratia Spiritus per chrismatis unctionem conceditur.*

Ejusdem Traditionis in Ecclesia Orientali testes adduci possunt, Concilium Laodicenum quarto sæculo celebratum, quod sic habet canone 48. *oportet eos, qui illuminantur post Baptismum inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes.*

Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus catech. 3. de chrismate ait: *Christi & Spiritus Sancti divinitatis ejus præsentiam efficit . . . . . corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur.*

Theodoretus lib. 4. in Cant. Canticorum, *velut sigillum quoddam regium suscipiunt, spiritalis unguenti chrisma recipientes gratiam invisibilem sanctissimi Spiritus unguento tanquam in typo.*

S. Cyrillus Alexandrinus in illud Joelis, *redundabunt torcularia vino & oleo*, ait, *accessit item usus olei,*

olei, qui per ſacrum Baptiſma in Chriſto juſtificatis ad conſummationem confert.

Mitto Sacramentarium S. Gregorii, Ordinem Romanum, Euchologia Græcorum, in quibus chriſmatio deſignatur tanquam ſignum, quo Spiritus Sanctus datur.

Ex his teſtimoniis ſic ratiocinari licet cum Sancto Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur:* atqui ex teſtimoniis laudatis, Eccleſia ſemper & ubique adhibuit chriſmationem tanquam ſignum, quo datur Spiritus Sanctus, baptizatus perficitur, & particeps regni cœleſtis efficitur, conſtatque eam in nullo Concilio fuiſſe inſtitutam, cùm eſſet in uſu antequam ullum Concilium legatur in Eccleſia celebratum, ut colligitur ex Tertulliano ſupra laudato: ergo reverà chriſmatio eſt ab Apoſtolis tradita, tanquam à Chriſto inſtituta.

Ergo chriſmatio eſt pars Confirmationis, non ſolùm integrans, ſed etiam eſſentialis, cùm in allatis textibus tribuatur illi primarius effectus Sacramenti.

Ergo ſine chriſmatione non valet Sacramentum, nec unquam ſine ea collatum eſt, niſi fortè in aliqua Schiſmaticorum Orientalium ſecta, ut evincit Petrus Aurelius contra Sirmondum.

Dices 1. Apoſtoli per ſolam manuum impoſitionem confirmaſſe referuntur, Act. 8. & 19. & ita Concilium Moguntinum anno 1569. intellexit illa Scripturæ loca; ſic enim habet cap. 17. *Hoc Sacramentum ab initio ſola manus impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum, & ex eorum-*

eorundem Traditione, adhibita chrismatis unctione, cœpit conferri.

Præiverant Concilio Moguntino Oecumenius auctor vel octavi sæculi, ut volunt nonnulli, vel undecimi secundùm alios; sic enim scribit in capite 8. Actuum Apostolorum: *mox in locum signi visibilis unctio adhiberi cœpit.* Walfridus Strabo nono sæculo, juxta eandem sententiam, ait capite 26. lib. de Rebus Ecclesiasticis, primis temporibus manuum impositione Confirmationem fuisse peractam: *sed crescente*, inquit, *successu temporum Religionis honore .... addidere alii chrismatis unctionem.* Petrus Cantor in summa docet Confirmationem esse partim ab Apostolis, quantum ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantùm ad alia.

Alexander de Hales, & ejus Discipulus Sanctus Bonaventura scribunt Sacramentum Confirmationis post obitum Apostolorum fuisse institutum, quantùm ad materiam elementarem, hoc est chrismationem, quam Halensis vult definitam in Concilio Meldensi octavo sæculo. Ergo chrismatio est Institutionis Ecclesiasticæ, ac proinde Sacramento merè accidentalis.

Nego conseq. Ad antecedens verò non una est Theologorum responsio.

Qui contendunt Christum materias & formas quorundam Sacramentorum non determinasse nisi in genere, illasque reliquisse Ecclesiæ determinandas quoad speciem, respondent Apostolos re vera sola manuum impositione dedisse sanctum Spiritum, sed Ecclesiam postmodùm vel loco impositionis manuum instituisse unctionem, in hypothesi quòd illa sit hodie adæquata Sacra-

Sacramenti materia, vel addidiſſe manuum impoſitioni, ſi utraque etiam nunc ſit de eſſentia Sacramenti. Quòd autem illa mutatio vel additio facta ſit in Concilio Meldenſi, manifeſtus eſt error, cùm conſtet ex laudatis Patribus unctionem ſecundo, tertio, & quarto ſæculo fuiſſe ubique adhibitam. Fortè intelligendus eſt Halenſis de mixtione quadam olei & alterius liquoris, putà balſami, in Concilio Meldenſi præcepta; nam ex dicendis §. ſequenti, nonnulli Theologi contendunt, prioribus ſæculis ſimplex oleum fuiſſe adhibitum. Sed cùm noſtra fuerit ſententia Tractatu de Sacramentis in genere, Chriſtum determinaſſe in ſpecie materiam cujuslibet Sacramenti,

Reſpondeo ad anteced. cum S. Thoma q. 72. art. 2. ad primum, Apoſtolos, hoc Sacramentum non contuliſſe ſine unctione. Ibi enim S. Doctor duo docet: primum, Apoſtolos aliquando absque uſu Sacramenti dediſſe plenitudinem Spiritus Sancti: *Ad impoſitionem manus Apoſtolorum*, inquit, *& etiam ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spiritus Sancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis . . . & ideo non erat neceſſaria ſenſibilis materia Sacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculosè exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apoſtoli communiter chriſmate in exhibitione Sacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur.* Nec obſtat quòd Scriptura nuſquam meminerit unctionis, ſed ſolius manuum impoſitionis; nam ex S. Auguſtino lib. de fide & operibus cap. 19. Scriptura multa tacet brevitatis gratia, quæ ſerie Traditionis conſtat ab Apoſtolis fuiſſe uſurpata; atque in hujuſce veritatis exemplum pro-

fert Eunuchum, quem S. Lucas narrat Act. 8. baptizatum fuisse à Philippo, cùm respondisset, *Credo filium Dei esse Jesum*, cæteris prætermissis, quæ ab initiando explicitè credenda sunt, *intelligi voluit*, inquit Sanctus Doctor, *impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis brevitatis gratia, tamen serie Traditionis scimus implenda.*

Confirmatur ex laudatis §. primo textibus, in quibus Sancti Patres Sacramentum Confirmationis sæpe indigitant per manuum impositionem nulla facta mentione unctionis, quam tamen alibi agnoscunt fuisse in usu, dum scriberent.

Instabis; certò colligimus Apostolos in sacra Ministrorum ordinatione unctionem non adhibuisse, ex eo quod Scriptura non meminerit nisi manuum impositionis; ergo à pari idem colligere licet de Confirmatione, cùm Scriptura non minùs constanter ritum illius reponat in manuum impositione.

Nego conseq. & paritatem; quia ut verbis Sancti Augustini loquar, serie Traditionis scimus implendam unctionem in Confirmatione, non verò in Ordinatione.

Dices 2. Canone primo Concilii Arausicani primi, habetur peragendam Confirmationem sola manuum impositione, quando baptizatus in vertice fuit chrismate inunctus, *qui in baptismate*, inquiunt Patres, *quacunque necessitate, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos* (id est Episcopus) *monebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est. Non ut præjudicans quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Ergo chrismatio non est essentialis Confirmationi.

Nego

Nego anteced. ſenſus enim in objectione prolatus non eſt genuinus canonis ſane obſcuriſſimi, quem tamen controverſia Petri Aurelii cum Sirmondo celebrem efficit. Sirmondus canonem exponebat eo ſenſu, quo nobis hic objicitur: Petrus verò Aurelius contendebat ex nonnullis codicibus manuſcriptis, vitiatam eſſe lectionem Sirmondi, legendaque poſtrema canonis verba absque particula negativa hoc modo, *ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*, ita ut ſenſus ſit, quando in Baptiſmate omiſſa eſt propter aliquam neceſſitatem chriſmatio verticalis, monendus eſt Epiſcopus confirmaturus, ut priuſquam ad ritum Confirmationis pergat, ſuppleat quod in Baptiſmate omiſſum eſt, nempe verticem baptizati chriſmate inungat, non præjudicans chriſmationi confirmatoriæ, quæ ſit in fronte neceſſaria, quippe eſt utraque chriſmatio.

Sanbovius, qui cum Sirmondo opinatur, unctionem eſſe accidentalem Confirmationis cæremoniam, non exiſtimat ſuam opinionem poſſe fulciri hoc can. probatque Aurelii lectionem; quia *ea ſemper fuit Eccleſiæ mens, ut ſupplerentur cæremoniæ in Baptiſmo omiſſæ*. Quòd ſi particula negativa retineatur, is erit ſenſus canonis, non ita dicimus chriſmationem, in Baptiſmo omiſſam ab Epiſcopo ſupplendam, ut neceſſaria habeatur ad veritatem Confirmationis ſecuturæ, ſine ea quippe valeret Sacramentum.

Ex dictis circa materiam Confirmationis ſatis intelligitur, quæ ſit ejus forma, cùm forma cujuslibet Sacrament ſint verba, quæ in uſu materiæ proferuntur, v. g. *Ego te baptizo*, &c. dum infunditur aqua. Ergo ſi chriſmatio ſit acciden-

talis, ſola verò manuum extenſio eſſentialis, forma eſſentialis erit oratio, quam Epiſcopus manibus extenſis fundit ſuper Neophytos: contra verò quibus ſola chriſmatio eſt eſſentialis, iiſdem verba, quæ tunc proferuntur, ſunt unica forma Sacramenti.

Diſſentiunt tamen inter ſe, qui nobiſcum agnoſcunt manuum impoſitionem & chriſmationem ſimul eſſe adæquatam Confirmationis materiam. Namque S. Thomas q. 72. art. 4. Catechiſmus Romanus, & alii benemulti pro unica forma ſtatuunt verba, quæ Epiſcopus ſtatim nulla interpoſita mora, poſt extenſionem manuum profert, dum frontem inungit, *ſigno te ſigno Crucis*, &c. Alii verò, & quidem non pauci, contendunt orationem, quæ unctionem præcedit, eſſe formam eſſentialem, tum apud Latinos, tum apud Græcos: verba autem, quæ comitantur unctionem, habenda ut cæremoniam merè accidentalem; probantque, quia ea forma eſt eſſentialis in Confirmatione, quam adhibuerunt Apoſtoli, quamque Eccleſia ab eorum temporibus ſemper & ubique retinuit; accidentalis verò cenſenda eſt, quæ nonniſi poſterioribus ſæculis eſt uſurpata: atqui illam orationem adhibuerunt Apoſtoli, Act. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum . . . . Tunc imponebant manus ſuper illos*, &c. Ad quem locum reſpiciens S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 26. ait: *Orabant, ut venirent ad eos, quibus manus imponebant . . . Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.*

S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos ſupra laudato, *ut Epiſcopus*, inquit, *ad invocationem Spiritus Sancti manum impoſiturus excurrat.* Ama-

Amalarius Archiepiſcopus Trevirenſis lib. 1. de Officiis cap. 27. *ut per manuum impoſitionem, & orationem detur Spiritus Sanctus, ſimiliter ab Apoſtolica Auctoritate ſumptum eſt.* Orationem inunctioni præmittendam præſcribunt Euchologia Græcorum, S. Gregorii Sacramentarium, Ordo Romanus, & Occidentalis Eccleſiæ Pontificalia. Verba autem illa, *ſigno te*, &c. nuſquam reperiuntur in Ritualibus Latinis ante octavum ſæculum, nec ubique obtinuerunt ante duodecimum. Alcuinus, qui ſcripſit de divinis Officiis octavo, refert Pontificem, finita oratione, frontes ſingulorum chariſmate ſignare, dicendo, *In nomine Patris, & Filii*, &c. Amalarius cit. c. 27. ſic ſcribit nono ſæculo: *oratione expleta facit crucem cum pollice ex chrismate in ſingulorum frontibus, ita dicendo*: In nomine Patris, &c.

§. III.

Utrùm mixtio olei & balſami, ac utriuſque Epiſcopalis benedictio ſint de neceſſitate Sacramenti?

R. Communis eſt Theologorum ſententia, Eccleſiam nihil determinaſſe circa propoſitam quæſtionem; nam quod affert Suarez citata diſput. 33. ſect. 1. ex Decreto Eugenii, & ex can. 2. Concilii Trid. de Confirmatione, ſolvimus §. præcedenti pag. 287. & 288. Hinc variæ Scholarum opiniones.

Qui aſſerunt unctionem eſſe Inſtitutionis Eccleſiaſticæ, nec pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti, una voce concludunt nec mixtionem olei cum balſamo, nec benedictionem Epiſopalem eſſe de neceſſitate Sacramenti.

Ex his

Ex his verò, qui nobiſcum docent unctionem eſſe inſtitutionis divinæ, & eſſentialem Confirmationis partem;

Alii, ut S. Thomas q. 72. art. 2. & 3. contendunt mixtionem & benedictionem pertinere ad eſſentiam Sacramenti, probantque 1. de mixtione, quia obſervatur in univerſali Eccleſia, Græca & Latina, ut conſtat ex antiquis Græcorum Euchologiis, ex Sacramentario S. Gregorii, ex Ordine Romano, ex S. Gregorio, qui in illa verba Cantici Canticorum cap. 1. *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi*, ſic ſcribit: *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona Spiritus Sancti exprimuntur.*

Pro benedictione verò, præter laudatum S. Gregorii teſtimonium, & librum Ordinis Romani, proferuntur S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 3. in qua ſic habet: *Sanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum. . . . poſtquam conſecratum eſt.* S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. *Benedicimus baptiſmatis aquam, & unctionis oleum. Quibus verò Scripturis edocti? nonne à ſecreta & ſilente Traditione?* Concilium II. Carthaginenſe cap. 2. *chriſmatis confectio*, inquit, *& puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant.* Et Concilium III. Carthaginenſe can. 36. *Presbyter chriſma nunquam conficiat.* Similia habet Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium.

Alii verò benemulti negant mixtionem & benedictionem eſſe de neceſſitate Sacramenti.

Contra mixtionis neceſſitatem hæc momenta proferunt. 1. Eccleſiæ in hac mixtione variant; nam Latina miſcet balſamum, Græca vero triginta quinque Aromatum ſpecies. Præterea hujuſce mixtionis nullum veſtigium apud antiquiores Pa-

tres,

tres, Tertullianum, Cyprianum, Cyrillum Jerosolymitanum, Basilium, Augustinum, &c. nec dicas eos meminisse chrismatis, & sacri unguenti; nam chrisma apud Græcos latinè dicitur unctio, quæ peragitur quolibet pingui liquore, sive ille sit simplex oleum, sive aliud quidpiam. Unde S. Augustinus tract. 33. in Joan. vocat oleum olivarum, unguentum ac chrisma: & Innocentius I. citata epist. ad Decentium, oleum infirmorum indigitat nomine chrismatis. Laudatur quidem epist. Sancti Fabiani ad Orientales, in qua eorum excusationem confutat, quòd balsamum difficilè inveniret ad conficiendum quotannis sacrum chrisma. Sed constat apud omnes supposititiam esse ejusmodi epistolam. Denique etiamsi mixtio balsami, aut alterius liquoris semper fuisset in usu, quemadmodum mixtio aquæ in calice Eucharistico, cujus meminere Patres antiquissimi, ut Sanctus Justinus apol. 2. & Sanctus Cyprianus epist. 63. non posset inde certò colligi priorem magis pertinere ad substantiam Sacramenti, quàm posteriorem.

Contra necessitatem benedictionis episcopalis, quæ quidem est perantiqua, ut constat ex textibus pro opposita sententia laudatis, affertur S. Basilius cit. lib. de Spiritu sancto c. 27. ubi confert benedictionem chrismatis cum benedictione fontis baptismalis, *Benedicimus*, inquit, *baptismatis aquam, & unctionis oleum:* atqui benedictio aquæ baptismalis, licèt videatur Traditionis Apostolicæ, non pertinet tamen ad substantiam Baptismi, sed est duntaxat præcepti Ecclesiastici: ergo nec benedictio chrismatis: nec disparitas ex Scriptura aut traditione proferri potest.

Quid

Quid verò, ſtante ejuſmodi gravium Theologorum diſcordia, ſentiendum ſit, definiendum relinquimus Epiſcopis, qui hocce noſtro opere uti voluerint, ſatiſque nobis eſt ſimpliciter expoſuiſſe eorum Clericis utriuſque partis momenta, quibus paratiores reddantur ad amplectendum, quam eorum Prælati determinaverint, ſententiam.

Et certè quamlibet amplexi fuerint, non poteſt eſſe indubitata. Unde in praxi præſcriptum Sacramenti ritum integrè obſervare oportet; adeo ſi quid ex inadvertentia fuerit prætermiſſum, cautè ſuppleatur, quamvis ſecundùm opinionem probabilem minùs neceſſarium judicetur, v. g. ſi quis chriſmatus non fuerit Epiſcopi manibus ſubſtratus, ſubſternatur invocato ſuper eum Spiritu ſancto: ſi incautè oleum non benedictum, vel oleum Catechumenorum, aut infirmorum pro chriſmate adhibitum fuerit, applicetur chriſma juxta Decretum Innocenti III. c. *Paſtoralis*, tit. de non iterandis Sacramentis, ubi rogatus de eo, qui per errorem oleo ſimplici in fronte fuerat conſignatus reſpondit, *In talibus nihil eſt iterandum: ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.*

CAPUT IV.

De Miniſtro Sacramenti Confirmationis.

Duplex hic occurrit controverſia. Altera, quæ pertinet ad fidem, & cum Hæreticis eſt habenda; utrùm ſcilicet ſolus Epiſcopus ſit Confirmationis Miniſter ordinarius? Altera, quæ eſt Scholæ, & inter Catholicos duntaxat agitatur,

tur, utrùm Presbyter hujusce Sacramenti ſit Miniſter extraordinarius?

§. I.

Utrùm ſolus Epiſcopus ſit ordinarius Confirmationis Miniſter?

Photius Sedis Conſtantinopolitanæ invaſor, & primus Schiſmatis Græcorum auctor, voluit Epiſcopos & Presbyteros indiſcriminatim eſſe Miniſtros Sacramenti Confirmationis. Waldenſes, teſte Reynero, mirabantur, cur ſolis Epiſcopis confirmare liceret.

Wiclefius, & Joannes Hus cenſuerunt Confirmationem juvenum, & Ordinationem Clericorum reſervari Papæ, & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri, & honoris, ut habetur in Concilio Conſtantinenſi ſeſſ. 8. & 15. ubi errores eorum proſcripti ſunt.

Wiclefio adhæſerunt Lutherus lib. de captivitate Babylonica, & Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini, ubi in Epiſcopos contumelioſè ſiç ſcribit: *Digni ſunt cornuti & infulati aſini tali prærogativa . . . . Unde, quæſo, probabunt Epiſcopis magis, quàm reliquis Sacerdotibus convenire has partes, niſi quia incertis Auctoribus ita placuit?* Contra ejuſmodi errores ad propoſitam quæſtionem

R. De fide eſt, ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Sacramenti Confirmationis. Ita enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione, in quo ſic habet: *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; anathe-*

anathema ſit. Idem repetit ſeſſ. 23. can. 7. Præiverat Eugenius IV. in Decreto pro Armenis.

Probatur 1. ex Scriptura, Act 8. ſoli Apoſtoli, quibus ſuccedunt Epiſcopi, Neophytis manus imponebant ad accipiendum Spiritum ſanctum, in quem locum S. Chryſoſt. hom. 18. in Act. ſic ſcribit; *Ideo baptizans* (Philippus) *Spiritum ſanctum non dabat; hoc enim ſolorum Apoſtolorum erat: virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi ſigna, non etiam dandi aliis Spiritum ſanctum: igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Et Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 450. *Baptizabat duntaxat* (Philippus) *ut Diſcipulus; Apoſtoli etiam gratiam explebant & perficiebant.*

Ex Latinis verò Innoc. I. epiſt. ad Decentium: *Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannnem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum.*

Probatur 2. ex Traditione.

S. Cypr. ep. 73. *qui in Eccleſia baptizantur*, inquit, *per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur.*

Concilium Eliberitanum ineunte quarto ſæculo, ſic de baptizato decernit can. 38. *ad Epiſcopum eum perducant, ut manus impoſitione perfici poſſit.*

S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos: *Non abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti manus impoſiturus excurrat . . . quòd ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatur,*

niſi

nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc observationem ex auctoritate descendere, quòd post Ascensionem Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Addit quidem ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem Episcopis tribui ejusmodi potestatem; sed qua mente id dicat, in sequentibus aperit; nimirum quia sine Sacramento Confirmationis confertur Spiritus Sanctus in Baptismo, quamvis non in tanta plenitudine; unde concludit Confirmationem non esse absolutè necessariam; *alioquin*, inquit, *si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis visitarentur.* Quòd autem non omnino excludat divinam legem, ex qua manus impositio Episcopis sit reservata, patet ex seq. verbis: *Si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Cur verò tali prærogativa Christus Episcopatum decoraverit, hanc affert rationem: *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors, & ab hominibus eminens quædam detur potestas, tot futura sunt schismata, quot Sacerdotes.*

Jam protulimus testimonia Sanctorum Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ & Innocentii I.

Dices 1. cùm Photio: Qui potest majus, potest minus; atqui Presbyteri possunt Eucharistiam conficere, quod est quid majus; ergo & confirmare.

R. 1. Photius hoc argumento æquè concluderet Presbyterum consecrare Sacerdotes & Episcopos; quia potest quid majus, nempe Eucharistiam conficere.

R. 2. Diſtinguendo majorem; Poteſt minus in eadem ſpecie, v. gr. qui poteſt ordinare Presbyterum, poteſt etiam ordinare Diaconum, Concedo: poteſt minus in diverſa ſpecie, nego majorem.

Dices 2. Ananias non erat Epiſcopus, nihilominus ingreſſus ad Saulum, impoſuit ei manus, ut videret, & impleretur Spiritu ſancto, Act. 9. verſ. 17.

R. 1. Quis dixit Calvino Ananiam Diſcipulum Domini non fuiſſe Epiſcopum? 2. Saulus nondum erat baptizatus; ergo Ananias non impoſuit ei manus, ut eum confirmaret ſed ut videret, præpararetque ad Baptiſmum, quo diluuntur peccata per Spiritum Sanctum.

Dices 3. Si Chriſtus ſolum Epiſcopum Confirmationis Miniſtrum inſtituiſſet, Sacramentum illud non ſufficienter præparaſſet omnibus; cùm omnibus ad Epiſcopum accedendi facultas non ſit.

R. Si invigilent, ut debent, Epiſcopi, faciliùs quemque ſemel confirmare poſſunt, quàm Presbyteri toties peccatores reconciliare, quoties pœnitentiæ Sacramento indigent. Adde, quòd Sacramentum Confirmationis non ſit abſolutè neceſſarium ad ſalutem.

Dices 4. In Hiſpania Concilium I. Toletanum, cap. 2. permittit Presbyteris chriſmare, abſente Epiſcopo; & Braccarenſe II. ſtatuit, ut chriſma Presbyteris detur pro confirmandis Neophytis.

Addit Hiſpalenſe II. can. 7. novellis duntaxat regulis prohibitum fuiſſe, ne Presbyter confirmaret. Novellæ autem illæ regulæ colligi poſſunt ex Pontificali Damaſi, ubi dicitur Sylveſter

ſter Papa Epiſcopis hoc conceſſiſſe privilegium, ut baptizatos conſignarent. Idipſum in Gallia Presbyteris conceſſit Arauſicanum I. can. 4. *Si deſit Epiſcopus*, inquit, *à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit:* Ergo

Nego conſeq. Perſpicuè enim Toletanum loquitur de chriſmatione in vertice baptizati, quæ abſente Epiſcopo, conceſſa erat Presbyteris, ex Innocentio I. cit. epiſt. ad Decentium.

Braccarenſe verò ſtatuit duntaxat, ut chriſma ab Epiſcopo benedictum Presbyteris diſtribuatur, non ut ipſi, ſed Epiſcopi Parochias viſitaturi plebem confirment.

Hiſpalenſe expreſſè doctrinam Eccleſiæ confirmat; probat enim tum ex veteri lege, tum ex nova, quam novellam regulam vocat, Altarium, ac Virginum conſecrationem, & Neophytorum conſignationem ad ſolos Epiſcopos pertinere, quemadmodum in veteri Teſtamento non quilibet Sacerdos, ſed Moyſes duntaxat, vel Aaron Summus Sacerdos Altaria erigebat, & conſecrabat.

At, inquies, conſecratio Altarium & Virginum propria eſt Epiſcopi ſolo Jure Eccleſiaſtico: Ergo & conſignatio Neophytorum, & quidem in mente Concilii.

Nego conſequ. Cùm enim conſecratio Altarium, & Virginum ſit inſtitutionis humanæ, manifeſtè ſequitur ſolo Jure Eccleſiaſtico Epiſcopis reſervari: contra verò cùm conſignatio Neophytorum à Chriſto ſit inſtituta, quæri meritò poteſt quis ſit à Deo inſtitutus ejus Miniſter, quod Patres Hiſpalenſes non attingunt. Conſtat autem ex dictis, ſolum Epiſcopum hujus Sacramenti Miniſtrum ordinarium fuiſſe à Chriſto inſtitutum.

Quod verò spectat Pontificale Damasi. 1. Certum non est librum illum esse opus hujus Pontificis, ut omnes periti agnoscunt, ac proinde nihil ex illo concludi potest. 2. Sensus loci nobis oppositi est, quòd Sylvester privilegium Episcopis à Christo concessum vindicaverit, prohibueritque, ne Presbyteri frontes Neophytorum consignarent, quemadmodum nonnullos illud munus temere sibi arrogasse patebit ex dicendis.

Arausicanum Concilium perperam nobis objicitur; non enim de Confirmatione loquitur, sed de reconciliatione Hæreticorum ægrotantium, quæ alicubi unctione peragebatur ab Episcopo, annuitque Concilium, ut Presbyteri in periculo mortis idipsum præstent.

Dices 5. S. Hieronymus epistol. 84. ad Evagrium, supponit solam ordinationem Episcopis esse reservatam: *Quid facit*, inquit, *extra Ordinationem Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Similia docent S. Chrysostomus hom. 11. in 1. ad Timoth. & Venerabilis Beda in Psal. 26. ubi sic habet. *Illa unctio, quæ datur per manuum impositionem ab Episcopis, eadem est cum secunda cæremoniali* (scilicet unctione verticali, quæ adhibetur in Baptismo) *propter arrogantiam tamen non est concessa singulis Sacerdotibus, sicut multa alia;* Ergo.

Nego consequ. Namque 1. quòd S. Hieronymus in laudata epistola omiserit speciale confirmandi privilegium à Christo Episcopis concessum, nocere non potest iis, quæ ex eodem S. Doctore in Dialogo contra Luciferianos protulimus, ubi ex professo recenset Episcoporum privilegia, luculenterque probat juxta omnium Ecclesiarum morem, solum Episcopum consigare ex Tradi-

tione Apoſtolica. Ideo autem S. Hieronymus citata Epiſtola breviter perſtringit, quæ pertinent ad Epiſcopum; quia ſcopus ejus eſt comprimere Diaconorum ſuperbiam, qui ſe Presbyteris exæquabant, & ut propoſitum conſequatur, Presbyteros erigit, quantum poteſt, parum ſolicitus ea numerare, in quibus ſunt Epiſcopis inferiores. 2. Certum eſt S. Chryſoſtomum & Venerabilem Bedam in cap. 8. Actuum Apoſtolorum, agnoſcere ſolum Epiſcopum à Deo inſtitutum fuiſſe Miniſtrum ſaltem Ordinarium Confirmationis. Verba ſancti Chryſoſtomi ſupra protulimus; Beda verò ſic loquitur: *Si Apoſtolus eſſet,* (Philippus) *ipſe utique manum imponere potuiſſet, ut acciperent Spiritum Sanctum: hoc enim ſolis Pontificibus debetur, non autem Presbyteris: ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod fuerit ab Epiſcopo conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo conſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradant Spiritum Sanctum.* Quid clarius?

In mente igitur Bedæ idem chriſma adhibetur à Presbyteris, dum baptizant, & ab Epiſcopis dum confirmant; ſed hæc poſterior unctio à Chriſto non eſt conceſſa ſingulis Sacerdotibus propter vitandam ſuperbiam, niſi forte Bedæ ſententia fuerit unctionem fontis eſſe cæremoniam Confirmationi accidentalem, in qua hypotheſi per legem Eccleſiæ eſſet Epiſcopis reſervata, ſicut multa alia, quamvis ſoli jure divino per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dare poſſint.

Inſtabis; Presbyteri in Eccleſia Orientali baptizatos conſignare conſueverunt, & quidem à pluribus ſæculis. Namque Photius nono ſæculo

in epist. encyclica ad omnes Patriarchas Orientales, conqueritur quòd Legati Nicolai I. in Bulgaria contra antiquum & receptum morem improbaverint Confirmationem à Presbyteris collatam, eamque iterarent; morem autem illum obtinuisse apud Ægyptios quinto sæculo testatur Ambrosiaster, seu Auctor Commentariorum in Epistolas sancti Pauli inter Opera Sancti Ambrosii, ad c. 4. epist. ad Ephesios: *Apud Ægyptum*, inquit, *Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Idem legitur in libro quæstionum ex utroque Testamento, apud S. Augustinum quæst. 101.

Neque verò desunt monumenta hujusce consuetudinis in Ecclesia Latina; namque sanctus Gregorius sexto exeunte sæculo monitus Presbyteros Calaritanos in Sardinia consignare Neophytos, primò improbavit prohibuitque illum usum epist. 9. lib. 3. ad Januarium Episcopum Calaritanum. Sed ubi didicit nonnullos inde commotos, epistol. 26. ejusdem libri concessit quod prius negaverat: *Nos quidem*, inquit, *secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.*

Exemplum sancti Gregorii secuti sunt Patres Concilii Lugdunensis secundi, & Florentini; cum Græcis quippe pacem & unionem sanxerunt, nulla lite mota circa disciplinam, quæ apud eos vigebat, & etiam nunc viget, consignandi per Presbyteros. Eugenius quidem quartus, soluta Synodo Florentina à Græcis inter alia sciscitatus est: *Quare Pontifices non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes? cum hoc Pontificibus sit datum? Quæ à La-*

à Latinis objecta (pergunt acta Concili) *Mitylenensis Præsul legitimè, ac secundum canones omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet, separationem matrimonii quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.* Quibus auditis, dixit Summus Pontifex, *nos, fratres, Dei beneficio sumus fide conjuncti.*

Ergo Presbyteri, æquè ac Episcopi, sunt Confirmationis Ministri.

Nego conseq. Ex ejusmodi enim momentis ad summum concludi potest, Presbyterum posse esse extraordinarium Confirmationis Ministrum, quod discutiendum superest sequ. §.

§. II.

Utrum Presbyter sit Confirmationis Minister extraordinarius?

Respondeo 1. Ecclesia hactenus nihil definiit circa propositam quæstionem.

Probatur. Ecclesia quæstionem definiisset vel in Conciliis Oecumenicis, ut in Lateranesi IV. sub Innocentio III. anno 1215. in quo tentata est unio cum Græcis; in Lugdunensi II. sub Gregorio X. anno 1274. & in Florentino sub Eugenio IV. anno 1438. in quibus pax conciliata est: vel Decretis Summorum Pontificum ab universa Ecclesia receptis; atqui neutrum dici potest: ergo.

Non primum; Si quidem in prædictis Conciliis nihil omnino actum est de Confirmatione, nec de ejus Ministro.

Non secundum; quæ enim circumferuntur Sedis Adostolicæ privilegia nonnullis Regularibus concessa Ecclesiæ non innotuerunt, non Bullario inserta sunt, nec publici juris facta.

Unde meritò, vel ſubreptitiè obtenta creduntur, vel ex opinione probabili indulta in gratiam eorum, qui ab Idolorum cultu ad Deum verum convertebantur in regionibus remotiſſimis, ad quas Epiſcopi non erant perventuri; in caſu enim neceſſitatis licitum eſt adhibere Sacramentum dubium.

Confirmatur, 1. ex Concilio Senonenſi anno 1628. quod corruptelam agnoſcit in Abbatibus, qui ex conſuetudine privilegiis roborata conſignabant. Ex Decretis Summorum Pontificum, qui caverunt, ne Sacerdotes ſub quocunque prætextu confirmarent, Innocentius III. prohibuit, ne Latini Parochi Conſtantinopoli, dum urbs eſſet in poteſtate Latinorum, ſecundùm morem Græcorum Confirmationem conferrent. Idem præſcripſit Gregorius IX. Epiſt. ad Barenſem Epiſcopum. Sed notatu dignum, quòd Clemens VII. qui obiit ann. 1604. idipſum prohibuit Presbyteris Græcis, præcepitque, ut ab ipſis conſignatos Epiſcopi iterum ſub conditione confirmarent. Nec ullius ponderis videtur reſponſio, Summum Pontificem ita præcepiſſe, quia Presbyteri illi in Eccleſia Latina degebant. Namque Summi Pontifices non ſemel conceſſere Græcis Romæ commorantibus, ut Eccleſiæ ſuæ probatum morem ſequerentur, v. gr. in fermento conſecrarent; ergo mos per Presbyteros confirmandi non eſt ab Eccleſia probatus.

Dices; vera Chriſti Eccleſia errorem verbo Dei contrarium non patitur, ſed è ſinu ſuo eos ſtatim ejicit, qui illum obſtinatè propugnaverint. Hinc eſt quòd tamdiu Eccleſia Latina ſe à Communione Græcorum ſeparaverit, quamdiu contra

mani-

manifeſtum Scripturæ ſenſum docuerunt Spiritum ſanctum à Filio non procedere: ergo cùm ſemel & iterùm eos in ſuam Communionem receperit, nulla lite mota ſuper Miniſtro Extraordinario Confirmationis, certò evincitur, etiam eſſe doctrinam univerſalis Eccleſiæ, Presbyterum poſſe hocce Sacramentum conferre tanquam Miniſtrum extraordinarium.

Confirmatur. Clemens VI. anno 1350. conſultationi Patriarchæ Armenorum, inter alia reſpondit his verbis: *Si credis quòd per ſolum Romanum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio Confirmationis Presbyteris, qui non ſunt Epiſcopi, commiti*, &c. Quæ ſanè indicant conſtantem fuiſſe doctrinam Eccleſiæ Latinæ ex ejuſmodi diſpenſatione Presbyteros poſſe confirmare.

Diſtinguo anteced. vera Chriſti Eccleſia errorem Verbo Dei contrarium non patitur, ſi ſit patens & manifeſtus, qualis eſt error aſſerentium Spiritum Sanctum à Filio non procedere, Concedo: Si non ſit manifeſtus, ſed probabiliter propugnari poſſit, Nego anteced. Quot enim oppoſitas Scholæ opiniones tolerat, v. g. circa prædeſtinationem, attritionem, Miniſtrum Sacramenti Matrimonii, utpote quæ apertè verbo Dei non repugnent? Quidni ſimiliter toleraret opinionem Græcorum circa Miniſtrum Confirmationis extraordinarium, maximè cùm plures è Theologis Latinis eam tueantur verbo Dei conformem, nec ſine ſchiſmatis periculo quæſtio illa in Conciliis Lugdunenſi & Florentino terminari potuiſſet? Quapropter Eccleſia memor præcepti Domini dicentis Matth.13. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum*

eis tricitum finite utraque crescere usque ad messem, Græcis prudenter indulsit antiquam consuetudinem; mutatio enim consuetudinis, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat, ex Sancto Augustino Epist. 54. aliàs 118.

Ex Clementis verò VI. responsione illud solùm colligitur, Summum Pontificem voluisse adducere Armenorum Patriarcham ad sententiam Ecclesiæ Catholicæ, nimirum Presbyteros non proprio jure confirmare, ut docuerat Photius, sed ex dispensatione, quæ juxta usum Romanæ Ecclesiæ obtineri debet, non à quocunque Episcopo, ut contendunt Græci, sed à Romano Pontifice.

Confirmatur 1. ex Patribus Tridentinis, quibus satis fuit definire quod est manifestè traditum, nempe solum Episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis, nec opportunum ipsis visum est ulteriùs progredi, ut refert Palavicinus in sua historia, an scilicet Presbyter possit esse hujus Sacramenti minister extraordinarius. 2. Ex gravibus Theologis, qui magno numero ante & post Concilia Florentinum, & Tridentinum, negarunt Presbyterum, ulla dispensatione Neophytos consignare posse, ut Ratramus Corbejensis, qui nono sæculo adversus Græcos insurrexit, Guillelmus Altissiodorensis; S. Bonaventura, qui sedit in Concilio Lugdunensi II. in quo pax cum Græcis sancita est, Durandus, Joannes Major, Adrianus VI. Estius, Petrus Aurelius & alii, qui etiam nunc idem negant.

Communior tamen videtur affirmans S. Thomæ sententia 3. p. q. 72. art. 11. ad 1. ubi docet summum Pontificem ex plenitudine potestatis indulgere

dulgere poſſe Presbyteris, ut in caſu neceſſitatis Neophytos confirment. Juxta quam ſententiam ad propoſitam quæſtionem

Reſp. 2. Probabile eſt, Presbyterum eſſe extraordinarium Confirmationis miniſtrum.

Probatur. Illa ſententia eſt probabilis, quæ à duodecim ſæculis in præcipuis Eccleſiis obtinuit, quamque Summi Pontifices, vel amplexi ſunt, vel permittendam cenſuerunt: atqui ejuſmodi eſt noſtra ſententia.

Major negari nequit, quia ex Theologiæ Prolegomenis, ubi de locis communibus, Theologus elicit concluſiones ſaltem probabiles ex uſu recepto in præcipuis Eccleſiis, univerſa Eccleſia conſentiente, nedum repunante.

Minor probatur ex teſtimoniis allatis ad calcem præcedentis §. 1. Sanctus Gregorius libro 3. Epiſt. 26. concedit miniſterium Confirmationis Presbyteris Calaritanis, juxta morem in illa Eccleſia receptum. 2. Eadem conſuetudo jam prævaluerat in Ægypto. 3. Ex citata Epiſtola encyclica Photii conſtat omnes Orientis Patriarchales Eccleſias, longè ante ſchiſma Confirmationem adminiſtraſſe per Presbyteros; cum enim Photius in illa Epiſt. Nicolaum I. inſimulet intolerandæ novitatis, quòd ejus Legati, in Bulgaria conſignatos, à Presbyteris Græcis iterum conſignaſſent, perſpicuum eſt conſuetudinem illam jamdudum in Oriente prævaluiſſe. 4. Adrianus II. Nicolai ſucceſſor excuſat legatos, quia Presbyteri illi delegati fuerant à Photio, qui, utpote intruſus, delegare non potuerat: *Quòd ſi dicas,* inquit, *priùs à nobis Presbyteros ab ea regione* (Bulgarorum) *expulſos, haud inficias imus, erant Photiani, illiusque ſymmy-*

ſymmiſtæ, quibus non ſolùm in Bulgarorum terris, ſed ubique gentium ſacris ordinibus interdiximus, interdicimusque. Ex quibus patet, Legatos chriſmationem non reprobaturos fuiſſe, ſi Presbyteri, qui illam adhibuerant, fuiſſent à legitima poteſtate delegati. Refertur autem Adriani Epiſtolæ fragmentum in octovo Concilio generali. 5. Plures Summi Pontifices confirmandi facultatem indulſerunt Fratribus Minoribus miſſis ad annuntiandam Fidem infidelibus, ut Joannes XXII. Nicolaus IV. Leo X. Nicolaus V. Urbanus V. Refert etiam Arcudius libro 2. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis, in Sacramentorum adminiſtratione, cap. 15. ſe audiviſſe à Fonſeca Presbytero Societatis Jeſu, quòd in Braſilicis Regionibus confirmaſſet vi ſimilis Indulti. 6. Niſi ſententia noſtra eſſet probabilis, Græcos illis impensè addictos Eccleſia in ſuam communionem non potuiſſet admittere.

Dices: Illa opinio eſt à Scholis ableganda, quæ repugnat tum Scripturæ ſacræ, tum Traditioni Apoſtolicæ: atqui ejusmodi eſt noſtra opinio: Ergo.

Minor probatur. 1. Soli Apoſtoli Actuum 8. manus imponebant, ut Neophyti acciperent Spiritum Sanctum. 2. Patres Græci & Latini, qui floruerunt quatuor primis ſæculis, conſtanter docent, ad ſolos Epiſcopos pertinere conſignationem Neophytorum: atqui mos, qui inolevit à quinto duntaxat ſæculo, non poteſt cenſeri Traditionis Apoſtolicæ: Ergo.

Nego minor. Namque 1. licet Scriptura referat ſolos Apoſtolos Neophytis manus impoſuiſſe, non negat eos potuiſſe Presbyteris ejusmodi facul-

facultatem demandare. Adde quòd per paucos Sacerdotes ordinaverint Apoſtoli, quos ſimul non conſecraverint in Epiſcopos. 2. Ex antiquioribus patribus illud tantum colligi poteſt, ſolos Epiſcopos eſſe Confirmationis miniſtros ordinarios; nullus enim ex antiquioribus Patribus proferri poteſt, qui negaverit in caſu neceſſitatis chriſmationem Presbyteris delegari poſſe. Imò id fieri poſſe videtur inſinuare Sanctus Hieronymus cùm laudata Epiſtola ad Evagrium, ſcribit Presbyterum poſſe, præter ordinationem, quidquid facit Epiſcopus. Itaque poteſtas delegandi Presbyteros eſt Traditionis Apoſtolicæ, quamvis uſus hujusce poteſtatis à primis ſæculis non obtinuerit.

Inſtabis: Presbyteri vel ex ſua ordinatione, vel ex jurisdictione ab Epiſcopis, aut ſaltem à Summo Pontifice accepta, vel ab utraque ſimul ſunt extraordinarii miniſtri Confirmationis; atqui nihil horum dici poteſt: Ergo.

Non ex ordinatione; quia ſi ratione ordinis confirmare poſſunt, verum erit Sacramentum ab ipſis collatum absque jurisdictione, quemadmodum rata eſt Confirmatio, & Ordinatio, quam Epiſcopus contulit ſibi non ſubditis, in quos nullam habet Jurisdictionem.

Non ex jurisdictione; alioquin Epiſcopus nondum conſecratus verè confirmaret, cùm ea, quæ ſunt jurisdictionis Epiſcopalis exercere valeat.

Non ex utraque ſimul; namque jurisdictio accedens poteſtati ordinis, non efficit, ut vel Presbyter Presbyteros ordinare poſſit, vel Diaconus Euchariſtiam conficere, & infirmos ſacramentaliter inungere.

Confirmatur: Miniſter extraordinarius ſine depu-

deputatione Superioris validè quamvis illicite, Sacramentum celebrat, Diaconus, v. grat. ſine deputatione Superioris validè baptizat etiam ſolemniter: ergo.

R. 1. Fateor me propter hujusmodi inſtantiam in oppoſitam ſententiam iturum, niſi praxis Eccleſiarum tam antiqua, tamque univerſalis retineret; non enim poſſum adduci Concilia Oecumenica faviſſe errori manifeſto, totque Summos Pontifices non minùs ſcientia, quàm pietate conſpicuos in praxim inſtitutioni divinæ contrariam conſenſiſſe. Quare

R. 2. Confirmandi poteſtas extraordinaria competit Presbyteris ex ordinatione ſimul & ex jurisdictione; ex ordinatione quidem; quia non poteſt delegari Diacono, aut inferiori Clerico. Unde Epiſcopus nondum conſecratus confirmare non poſſet. Ex jurisdictione etiam à ſolo Romano Pontifice concedenda, juxta uſum Eccleſiæ Latinæ, vel ab Epiſcopo, ut contendunt Græci; quia ſine hujusmodi delegatione irritum eſſet Sacramentum, ut conſtat ex omnium Catholicorum, ſententia. Cur autem eſſet irritum, auctoritas occurrit, non ratio; nec in iis, quæ à libera Dei voluntate pendent, argumentari licet à pari v. g. valet ordinatio ſine jurisdictione collata: ergo & Confirmatio à Presbytero. Quamvis non deſint aliqua exempla, in quibus alia Sacramenta ſine jurisdictione collata, eſſent irrita; nam Sacramentum Pœnitentiæ nullum eſt ſine jurisdictione Miniſtri. Porro ex antiquo Eccleſiarum uſu conſtat, Sacramentum Confirmationis ita à Chriſto fuiſſe inſtitutum, ut Presbyter illud conferre non poſſit absque delegatione.

CA-

CAPUT V.

De Subjecto Sacramenti Confirmationis.

Q. I. *Quodnam est Confirmationis Subjectum?*
R. Omnes & soli baptizati.

Q. 2. *Quare soli baptizati?*

R. Quia Baptismatis character est moralis quædam potentia recipiendi alia Sacramenta. Unde cap. *Si quis*, de Presbytero non baptizato, præcipitur, ut accepto Baptismo iterum ordinetur. Deinde Confirmatio instituta est ad perficiendum & roborandum Neophytum in gratia per Baptismum accepta: ergo Confirmatio necessariò Baptismum supponit. Vide, quæ fusiùs in hanc rem dicta sunt Tract. de Baptismo cap. 11.

Q. 3. *Quomodo probatur, infantes Baptizatos capaces esse hujus Sacramenti?*

R. Ex usu universalis Ecclesiæ, quæ antiquitus una cum Baptismò Confirmationem & Eucharistiam ministrabat. Hic usus per plura sæcula permansit in Ecclesia Latina, ut colligitur ex antiquis Ritualibus, ac etiam nunc viget in Ecclesia Græca, comprobante Latina.

Dices: Parvuli non sunt capaces aliorum Sacramentorum, puta Ordinis, Matrimonii, Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis: ergo neque Confirmationis.

Nego conseq. Disparitas est 1. Pœnitentia & extrema Unctio, quæ est Sacramenti Pœnitentiæ complementum, supponit peccata propria voluntate commissa, ac proinde usum rationis, quo carent parvuli. 2. Ordo & Matrimonium non spectant omnes baptizatos, sed eos solum, quos

De'''

Deus vocat ad certum vitæ genus: vocat autem inclinando voluntatem ad eligendum alterutrum ſtatum. At Sacramenta Confirmationis & Euchariſtiæ, cùm perficiant vitam ſpiritalem, quæ in Baptiſmo incipit, pro omnibus ſunt inſtituta: & ſicut aliena voluntate, nempe primi parentis, gratiam amiſimus, ſic aliena fide, ſcilicet, matris Eccleſiæ, reparari poteſt.

Q. 4. *Quare Eccleſia Latina nunc contra antiquum morem, non niſi adultis Confirmationem & Euchariſtiam adminiſtrat?*

R. Ut accedentes prius diſcant, quid fides, & Religio ab ipſis requirant: quæ ſit donorum propoſitorum magnitudo & virtus, quidve pro iis collatis rependere debeant: denique, ut Baptiſmalium Abrenuntiationum refricetur memoria, ſicque majori reverentia & devotione, atque ideo uberiori fructu illa percipiant Sacramenta, quæ alioqui non ſunt tantæ neceſſitatis, quantæ Baptiſmus, ut illi cedere debeat reverentia divinis myſteriis debita. Nec propterea priſcum morem reprehendimus: *In his enim rebus*, ait ſanctus Auguſtinus Epiſt. 36. aliàs 86. cap. 2. *in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum, pro lege tenenda ſunt.*

Q. 5. *An propter modernum Eccleſiæ Latinæ uſum, denegenda eſt Confirmatio parvulis in extremo vitæ periculo conſtitutis?*

R. Minimè: *Morituris*, inquit S. Thomas, 3. p. qu. 72. art. 8. ad quartum, *hoc Sacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti appareant . . . . unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur; ſicut & hic majorem obtinent gratiam.* Concilium etiam Mediolanenſe V. ſub ſancto Carolo,

rolo, ſic ſtatuit: *Si Epiſcopus aliquam juſtam cauſam, atque adeò neceſſariam parvulo ac infanti, qui non modò eam ætatem* (ſeptennii) *expleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandi aliquando cenſuerit, ne ſit vetitum.*

CAPUT VI.

De effectibus Sacramenti Confirmationis.

Q. 1. *Quinam ſunt Confirmationis effectus?*

R. Duplicis generis eſt Confirmationis effectus: alius ipſi & cæteris Sacramentis communis; alius proprius.

Q. 2. *Quis eſt effectus communis?*

R. Gratia ſanctificans. Probatur 1. ex Scriptura, Actuum 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum:* Miſſio autem, ſeu communicatio Spiritus ſancti, non eſt ſine gratia ſanctificante, ut docent Theologi tract. de Trinitate. 2. Ex Patribus, quorum teſtimonia retulimus cap. 1. 3. Ratione Theologica; quia omnia novæ legis Sacramenta producunt gratiam ſanctificantem: atqui Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis: Ergo. Quàm autem pretioſum donum ſit gratia ſanctificans, conſule quæ dicta ſunt cap. 11. tract. de Baptiſmo.

Q. 3. *Quam ſanctificantem gratiam producit Confirmatio? an primam, per quam remittuntur peccata mortalia: an ſecundam, quæ primam auget & perficit?*

R. Per ſe non confert primam gratiam; colligiturque tum ex nominibus hujus Sacramenti c. 1. expoſitis; ideò enim dicitur Confirmatio & Perfectio, quia baptizatum confirmat & perficit in

gratia per Baptiſmum accepta, ac proinde primam gratiam ſupponit: tum ex his verbis Concilii Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de Pœnit. *Eſt autem*, inquit, *hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium ut nondum regeneratis . . . . Baptiſmus*: atqui Pœnitentia non eſſet neceſſaria poſt Baptiſmum lapſo nondum confirmato, ſi confirmatio per ſe conferret primam gratiam, qua deletur peccatum: Ergo.

Dixi *per ſe;* Nam *ſi aliquis adultus in peccato exiſtens*, inquit S. Thomas 3. p. qu. 72. art. 7. ad 2. *cujus conſcientiam non habet*, *vel ſi etiam non perfecte contritus accedat . . . . per gratiam collatam in hoc Sacramento*, *conſequetur remiſſionem peccatorum.*

Q. 4. *Qui ſunt proprii effectus Confirmationis?*

R. 1. Confert plenitudinem Spiritus Sancti ad robur ſpiritale.

Probatur 1. ex Scriptura. Actuum octavo capite ſæpiùs laudato, de Samaritanis dicitur, verſ. 16. *nondum enim in quemquam illorum* (Spiritus Sanctus) *venerat*, *ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu:* Et v. 17. ſubditur de Confirmatione, *tunc imponebant manus ſuper illos*, *&* *accipiebant Spiritum Sanctum.* Unde ſic argumentari licet: Samaritani jam baptizati dicuntur nondum accepiſſe Spiritum Sanctum, cùm fide divina certum ſit per Baptiſmum tribui gratiam ſanctificantem, per quam Spiritus Sanctus mittitur ſeu datur, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quomodo ergo jam baptizati dicuntur non accepiſſe Spiritum ſanctum? Non acceperunt ea plenitudine, qua datur in Confirmatione, quo ſenſu etiam legitur, Joan. 7. *non enim erat Spiritus datus;*

quia

quia Jesus nondum erat glorificatus. An non Apostoli ante glorificationem seu Ascensionem Christi Domini fuerant baptizati, ordinati, & Eucharistia refecti? An non Christus Dominus statim post resurrectionem, Joan. 20. insufflavit in Apostolos, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum?* Quomodo igitur nondum erat Spiritus datus? nimirum ea plenitudine, quam Christus promiserat, Joan. 16. & Act. 1. & quam glorificatus exhibuit 1. per se & sine Sacramento die Pentecostes, deinde per ministerium Apostolorum; *Christus,* inquit S. Thomas, qu. 72. art. 2. ad 1. *ex potestate excellentiæ, quam habet in Sacramentis, contulit Apostolis rem* (seu effectum) *hujus Sacramenti, idest, plenitudinem Spiritus sancti sine Sacramento . . . similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & à principio descenderat super Apostolos; unde Petrus . . . Act.* 11. cùm cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

Probatur 2. ex Traditione. Sanctus Cyprianus Epist. 75. de baptizatis sic scribit: *Per Præpositos Ecclesiæ offerantur, & per orationem ad manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Domini confirmentur.* Concilium Eliberitanum can. 38. *baptizatus ad Episcopum perducatur, ut per manuum impositionem perfici possit.* Rabanus libro de institut. Clericorum cap. 31. *signatur baptizatus in fronte per Pontificem, ut Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur.* Unde ex S. Thoma 3. p. qu. 72. art. 11. ad 2. *Sacramentum Baptismi est efficacius . . . . . quantùm ad*

remotionem mali . . . . . hoc autem Sacramentum eſt efficacius ad proficiendum in bono; quia eſt quoddam ſpirituale augmentum de eſſe imperfecto ad eſſe perfectum.

Dices; chriſmatione verticali, quæ fit in Baptiſmo, ſecundum quosdam, v. gr. Hugonem à S. Victore lib. 2. de Sacramentis, ſupplentur vices Confirmationis, ſecundum alios perficiuntur Chriſtiani, & ſecundùm S. Thomam 3. p. qu. 71. de Baptiſmo art. 3. ad 4. conſervatur gratia ad robur, quo reſiſtamus peccato, & profiteamur in perſecutionibus fidem. Ergo plenitudo Spiritus ſancti ad robur, non eſt effectus proprius Confirmationis.

Diſtinguo anteced Supplentur vices Confirmationis, perficiuntur Chriſtiani exteriùs, vel ex opere operantis, & quatenus eſt quoddam votum Confirmationis, Conc. Interiùs, vel ex opere operato, Nego anteced. Nam Hugo à S. Victore, & S. Thomas expreſsè docent Confirmationem eſſe Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum. Sciendum itaque eſt chriſmationem verticalem eſſe cæremoniam Baptiſmi ab Eccleſia eo fine inſtitutam, ut fideles, qui ab Epiſcopo non conſignari poſſunt, exteriùs uncti appareant, hoc eſt, Chriſtiani; Chriſtus enim ab unctione dicitur, ſicque chriſmatio verticalis quodam modo ſupplet vices Confirmationis, quatenus defectus illius obſervatur. Roborat etiam propter Eccleſiæ præces & ſuffragia, perficit quoque infantes exteriùs, adultos interiùs ex opere operantis, & ut votum quoddam Confirmationis. Addo chriſmationem illam dare Spiritum Sanctum ratione Batiſmi, cujus eſt appendix, & ad ritum illius

illius pertinens, ſed per ſe & in ratione ſigni efficax non eſt, cùm non ſit Sacramentum, ſed ſacramentale quid.

Q. 5. *Quomodo explicatur illa plenitudo Spiritus ſancti per hoc Sacramentum conceſſa ad robur ſpiritale?*

R. S. Thomas cit. quæſt. 72. paſſim, & præſertim articulo 2. & 5. eam explicat exemplo hominis, qui infantiæ metas exceſſit: *homo autem*, inquit, articulo 2. *cùm ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones ſuas ad alios: antea verò quaſi ſingulariter ſibi ipſi vivit.* Sic in Baptiſmo accipit poteſtatem agendi ea, quæ pertinent ad propriam ſalutem: in Confirmatione verò roboratur ad pugnam ſpiritalem contra hoſtes Chriſtiani nominis, non ſolùm inviſibiles, quibus etiam baptizatus reſiſtit, ſed & viſibiles, ut contemptis mundi terroribus, illecebris, & deriſionibus, publicè fidem verbis & operibus profiteatur, hoc patet, inquit ſanctus Doctor, art. 6. exemplo Apoſtolorum, qui nondum hanc plenitudinem conſecuti, in cœnaculo incluſi orationi vacabant; poſtmodùm verò egreſſi, Chriſtum confiteri non verentur, etiam coram inimicis fidei.

Q. 6. *Roboratne Confirmatio ad ſolam ſidei pugnam contra perſecutores Eccleſiæ?*

R. Minimè. Eſt quidem difficilior illa pugna, & prioribus Eccleſiæ ſæculis multùm frequens, atqui ideò Veteres illius præſertim meminerunt; ſed non una Confirmatis proponitur. Nam ex S. Thoma in præcedenti reſponſione laudato, ſicut per Baptiſmum munimur contra hoſtes inviſibiles & internos, dæmones ſcilicet, & carnis concupiſcentiam, quæ ad agonem re-

licta est in baptizatis; ita per Confirmationem armamur contra hostes visibiles, puta mundum & sæculi amatores, qui variis modis persequntur omnes qui volunt in Christo piè vivere. Terrent potentes, quia eorum iras contra se provocat, quisquis illicitis eorum desideriis non acquiescit: terrent etiam amici simul & propinqui, quorum odia justus incurrit, si juxta Evangelii præceptum eorum dicta, vel facta minùs recta charitatis officio reprehendit. Denique in mundo deridetur justi simplicitas, stultitia videtur paupertam sectari, ignavia irrogatas injurias non ulcisci. Dura sanè sunt hæc quotidiana certamina, sed nemo ex confirmatis dicat; quia infirmus sum; donum enim quod in hoc Sacramento accepit, majus omnibus est: *Cruce signatur in fronte*, inquit S. Augustinus, *quia est sedes pudoris, ut compressa viriliter omni erubescentia, glorietur pro Christo contumeliam pati.* Apostoli in figura linguæ repleti sunt Spiritu sancto, ut fidei doctores: alii verò fideles in olei symbolo, quod fortitudinem designat, tanquam operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Ita S. Thomas 3. part. qu. 72. art. 2. ad 1.

Q. 7. *In quo consistit illa plenitudo, quæ per Confirmationem confertur ad robur spiritale?*

R. In uberiori gratia sanctificante, non quidem præcisè sumpta, cùm gratia sanctificans sit effectus communis omnibus Sacramentis, plenitudo verò illa sit effectus Confirmationis proprius; sed in gratia sanctificante ordinata ad illas actiones difficiliores, seu ad spiritalem pugnam contra mundanum timorem. Duo itaque includit illa plenitudo; primum, gratiam sanctificantem & qui-

& quidem uberiorem; ſecundum, auxilia ſupernaturalia merito hujus Sacramenti concedenda tempore opportuno, nempe cùm inſtat tentatio. Sunt autem illa auxilia ſanctæ cogitationes, & piæ affectiones, quibus accenditur animus ad contemnenda erronea hominum judicia, & impotentes iras.

Dices; mera infirmitas in confirmatis deprehenditur, ubi contra mundanum timorem pugnandi occaſio occurrit: ergo robur ſpiritale non eſt certus Confirmationis effectus.

Diſtinguo anteced. In confirmatis, qui, vel ſine debitis diſpoſitionibus ad Sacramentum acceſſerunt, vel eo dignè ſuſcepto, indignos ſe præbuerunt ſupradictis auxiliis, (ut ſæpiùs contingit,) Conc. In confirmatis, qui nullum obicem oponunt, Nego antec. & conſequentiam. Enimverò nec qui fictè accedit, recipit gratiam ſanctificantem, nec qui poſt ſuſceptam negligenter agit, dignus eſt auxiliis ad pugnandum neceſſariis, ut dicetur ubi de diſpoſitionibus ad hoc Sacramentum requiſitis.

Sequitur 1. ex dictis robur ſpiritale diſcedere à confirmato, qui in peccatum mortale labitur, ac ſimile quid ei contingere, quod Samſoni Judic. 16. qui, abraſis capillis, in quibus erat ejus fortitudo, infirmus factus eſt ſicut cæteri homines; nam ſpiritale illud robur fundatur in gratia ſanctificante, quam peccatum mortale expellit.

Sequitur 2. Robur ſpirituale adæquatè non conferri in ipſa ſuſceptione Sacramenti; exurgit enim partim ex auxiliis actualibus, quæ Deus ſuppeditat confirmato, ubi pugnandi ſe offert occaſio. Quare vigilantia opus eſt, ut præſtò adſint

illa auxilia; nam gratia, ex S. Chrysostomo, non obvenit socordibus & somnolentis.

Q. 8. *Quis est alter effectus Confirmationis proprius?*

R. Character, de cujus existentia satis dictum est cap. 19. de Sacramentis in genere, quod consulere necesse est ad perfectam hujus quæstionis elucidationem.

Q. 9. *Quid præstat ille character?*

R. 1. Distinguit ab aliis fidelibus: *Est signum distinctivum*, inquit S. Thomas 3. p. quæst. 72. art. 5. ad 1. *non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur, sicut modò geniti infantes.*

R. 2. Consecrat fidelem tanquam militem Christi: *Insignitur signo Crucis, sicut miles signo ducis . . . . . & ideò in fronte . . . . . ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.* Ita sanctus Thomas cit. quæst. art. 9.

CAPUT VII.

Utrùm conveniens sit ritus Confirmationis?

R. Est convenientissimus. Prob. Quia ille ritus convenit, in quo omnes cæremoniæ virtutem & proprietates Sacramenti sensibiliter exprimunt, venerationemque suscipientium provocant: atqui talis est Confirmationis ritus: Ergo.

1. Manus impositio significat protectionem Dei, à quo omnis nostra virtus & fortitudo juxta illud Psal. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

2. Oleum

2. Oleum confortat, quare antiquitus Athletæ ungebantur; eſt etiam ſymbolum manſuetudinis, qua confirmatus delinire debet ſuos adverſarios: *Charitas*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 13. *patiens eſt, benigna eſt ..... non irritatur.* Denique eſt ſignum interioris unctionis Spiritus Sancti, de qua Pſalm. 44. *unxit te Deus .... oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

3. Cùm in aliis Sacramentis materia ſimplex adhibeatur, in iſto oleum miſcetur alio liquore, nempe balſamo; quia ex S. Thoma 3. part. q. 7. art. 2. ad. 2. *hoc Sacramentum datur ad plenitudinem conſequendam Spiritus Sancti, cujus eſt multiformis operatio, ſecundùm illud*, Sap. 7. eſt ... in illa Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, &c.

4. Balſamum adhibetur, inquit S. Thomas cit. art. *Propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios:* unde Apoſtolus dicit, 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, &c.

5. Chriſma ab Epiſcopo benedicitur, ut hac benedictione præparetur & conſecretur ad uſum ſpiritualem.

Objiciunt hæretici contra ritum hujus benedictionis; 1. Quòd chriſma fœtidis halitibus inquinetur. 2. Quod adoretur. 3. Quod quaſi eſſet vivens, his compellatur vocibus: *Ave ſanctum Chriſma.* Sed immeritò iſta derident. 1. Namque Chriſtus Dominus inſufflavit ſuper Apoſtolos, cùm dedit eis Spiritum Sanctum Joan. 20. 2. Genuflexio non eſt ſignum ſupremæ adorationis, quæ latria dicitur, cùm etiam procumbamus coram hominibus honoris gratia. Deinde honos, qui Chriſmati defertur, non eſt abſolutus, ſed relativus ad Deum. Denique in Scripturis ſacris ſer-

mo non rarò ad res inanimatas dirigitur, ut Dan. 3. *benedicite omnia opera Domini Domino*, Pſalm. 148. *laudate eum ſol & Luna.* Ave autem, non ſolùm ſignificat, Deus te conſervet, ſed ſæpius eſt ſalutationis & honoris teſtificatio, ut, *ave ſalus mundi: ſalve feſta dies.* Ex Fortunato in hymno Reſurrectionis Chriſti, *ò Crux*, *ave ſpes unica.*

6. Frons cruce ſignatur: *Ut*, inquit S. Thomas cit. q. art. 9. *in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum, ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſe manifeſtaverunt, qui priùs in cœnaculo latebant.* Crux autem chriſmate producitur, quia ex S. Bernardo Serm. 1. de Dedicatione, *nec eſt ſine Cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione crucis aſperitatem ferre quis poſſet? .... verè crux noſtra inuncta eſt, & ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.*

7. Alapa confirmatus leviter percutitur, ut ſecundum quoſdam facilius recordetur ſe hoc Sacramentum recepiſſe, ſecundùm vero Catechiſmum Romanum, & alios communiter, ut admoneatur, quòd paratus eſſe debeat ad injurias & contumelias pro Chriſti nomine & ejus Evangelio deinceps tolerandas. Suſpicantur nonnulli per hanc cæremoniam deſignari oſculum, quo Chriſtiani in Synaxibus mutuam charitatem demonſtrare ſolebant; Superiores ſiquidem ſuam erga inferiores benevolentiam amica manus attrectatione, ut plurimum teſtantur. Unde & Epiſcopus ſubdit, *pax tibi.*

8. Patrini baptizatum jam membrum Eccleſiæ effectum, nondum tamen militiæ Chriſtianæ aſcriptum Epiſcopo tanquam Duci exercitùs offerunt aſcribendum, ſpondentes ſtrenuè militaturum, ex ſancto Thoma art. 10. conſuetudinem adhibendi

bendi patrinos, nonnulli Episcopi hodie negligunt, est tamen perantiqua & satis constans in Ecclesia; de his enim mentionem faciunt Sacramentarium S. Gregorii Magni, Nicolaus I. in Epist. ad Rodulphum Bituricensem, Concilia Cabillonense sub Carolo Magno, Parisiense VI. Tridentinum sess. 24. cap. 2. de reform. Mediolanense V. sub. S. Carolo. Patrinorum necessitatem & Officium S. Thomas cit. art. 10. exprimit his verbis: *Sicut . . . aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ . . . ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis . . . Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus.* Ab hoc munere repellendi sunt ii omnes, qui in Baptismo susceptores esse non possunt; item ex c. *in Baptismate* 3. p. de consecr. dist. 4. c. 102. & ex S. Thoma cit. art. 10. qui nondum sunt confirmati. Concilium etiam Mediolanense V. prohibet ne mares fœminas, & vicissim ne fœminæ mares in hoc Sacramento suscipiant. Porrò quia Patrini in hoc Sacramento contrahunt cognationem spiritalem ex cit. cap. Conc. Trid. caveant parentes suscipere proprios filios.

9. Ut à jejunis Confirmatio detur, & accipiatur, præscribunt canones relati à Gratiano de consecr. dist. 5. cap. 6. & 7. idque ob reverentiam tanti Sacramenti. Unde Magister Sententiarum sic scribit cap. 4. *hoc Sacramentum à jejunis accipi, & jejunis tradi debet*; & hæc disciplina fuit universalis in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali, in qua Confirmatio ante Eucharistiam administraba-

ſtrabatur. Verum in diſſuetudinem apud Latinos jam abiiſſe decimo tertio ſæculo conſtat ex S. Thoma, qui art. 12. ad ſecundum monet ſuſtineri, ut hoc Sacramentum à non jejunis detur, etiam non jejunis, propter multitudinem fidelium confirmandorum; addit tamen convenientius eſſe, ut à jejunis detur, & accipiatur, cùm manè adminiſtratur, & ita ſtatuerunt Concilia Aquenſe anno 1585. Senonenſe, 1526. Rothomagenſe, 1581. Remenſe, 1583.

10. In Confirmatione nomen mutandum, ſi homini Chriſtiano conveniens non ſit, *ut novo ac ſancto ſuſcepto nomine, virilem in ſanctè agendo conſtantiam perpetuò deinceps præſtet*, ait Concilium Mediolanenſe V.

CAPUT VIII.

Quæ diſpoſitiones requiruntur ad Sacramentum Confirmationis?

R. 1. Quæ de diſpoſitionibus ad Baptiſmum antiquitus requiſitis retulimus tract. de Bapt. ea ad Confirmationem extendenda ſunt, utrumque enim Sacramentum ſpectabant. Unde Albaſpineus lib. 1. cap. 13. obſervat omnibus, qui in infirmitate baptizabantur, denegatam fuiſſe Confirmationem, niſi prius in ſtationibus Catechumenorum deſudaſſent, aut ſaltem inſignia Chriſtianæ pietatis indicia præmiſiſſent, ut colligitur tum ex Epiſt. S. Cornelii, in qua Novatiano in lectulo decumbenti baptizato exprobrat, quòd conſignatus non fuerit: tum ex Concilio Eliberitano, quòd, cùm Baptiſmum concedat

cap.

cap. 45. omnibus moribundis ſtatuit can. 39. manum iis non eſſe imponendam, niſi *fuerit eorum in aliqua parte honeſta vita.*

R 2. Requiritur gratiæ ſanctificantis ſtatus, qui ex S. Thoma art. 7. ſicut hoc Sacramentum præſupponit Baptiſmum, ita & ejus effectum, ut vel ex ejus nomine apparet; Confirmatio enim dicitur, quia eſt ad confirmandum perficiendumque, quod prius invenerit. Non eſt ergo danda iis qui per peccatum gratiam Baptiſmi amiſere, niſi pœnitentes eam reparaverint, *& tunc per hoc Sacramentum perficitur Pœnitentiæ effectus; ſicut & Baptiſmi*, inquit S. Doctor. Non reparatur autem Baptiſmi gratia, niſi per pænitentiæ Sacramentum ſaltem in voto, quod ſincerum non videtur in eo, qui cùm habeat Confeſſarii copiam, eam negligit. Adde neminem certum eſſe contritionem, qua movetur, ita charitate eſſe perfectam, ut nihil ei deſit, quod per Sacramentum Pœnitentiæ ſuppleri debeat. Quare ex Concilio Aurelianenſi relato c. *Ut jejuni*, diſt. 5. de conſecrat. monentur fideles priùs peccata confiteri, *ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.* Idipſum repetunt Concilia Senonenſe, Mediolanenſe IV. Remenſe, & alia.

R. 3. Cùm ex Eccleſiæ uſu Confirmatio ad ætatem adultam differatur, ſequitur manifeſtè, quòd in ejus mente ſtatus gratiæ ſanctificantis non ſufficiat ad dignam hujus Sacramenti perceptionem; ſed requiratur inſuper in confirmando prompta & devota animi affectio erga ſingulare illud donum. Ut autem debita illa reverentia & devotio poſſint concipi, hæc omninò neceſſaria videntur.

Pri-

Primum, eſt ſatis explicita cognitio tum myſteriorum fidei, tum Evangelicæ regulæ, ſecundùm quam mores Chriſtiani efformandi ſunt, ac præſertim eorum omnium quæ pertinent ad Baptiſmum & Confirmationem. Cùm enim fidelis per hoc Sacramentum perficiatur, ut implere poſſit, quæ in Baptiſmo profeſſus eſt, efficiaturque organum Spiritus Sancti, cujus plenitudinem accipit ad multiplices ejus operationes, quis cenſebitur paratus ad illa præſtanda, ſi ea ignoraverit? Cur expectatur ejus adulta ætas, niſi ut, quæ alii pro ſeipſo infante ſpoponderunt, dum ad lavacrum regenerationis ſiſteretur, jam eruditus & ſuæ libertatis compos amplectatur, profiteaturque? Non ergo leviter, ut moris eſt, ſed plenè imbuatur iis omnibus, in quibus vita Chriſtiana conſiſtit, ut expendere valeat quanta Deus confirmatis largiatur, & quanta ab ipſis repoſcat.

Secundum, eſt accurata vitæ poſt Baptiſmum exactæ diſcuſſio, ut, ſi ad ea, quibus in Baptiſmo abrenuntiaverat, rediiſſe deprehenderit, eluat lacrymis & Pœnitentiæ exercitationibus, aliàs non ſeriò, ſed fictè hic teſtatur ſe confirmare fœdus in Baptiſmo initum, quod tamen nec ſervare nec renovare intendit. Quid enim eſt Confirmatio niſi ſolemnis profeſſio eorum, quæ in Baptiſmo peracta ſunt? Debet ergo confirmandus interiùs gerere, quod exteriùs profitetur.

Tertium, eſt perſeverantia per aliquot dies in oratione & meditatione præſertim hujus myſterii; hoc diligentiæ & pietatis exercitium ipſemet Dominus præſcripſit Apoſtolis donum Spiritus Sancti recepturis, Luc. 24. *Vos autem ſedete in civitate quoaduſque induamini virtute ex alto.* Et Actuum 1.

bi

hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu. Ubi operæ pretium est advertere Christum nusquam ab Apostolis tanta exegisse, quanta ad effectum Confirmationis consequendum. Satis ei non fuit quòd justi essent, sicut testimonium eis perhibuit Joan. 13. *vos mundi estis*, quòd per quadraginta dies à resurrectione eos docuerit de regno Dei, & maximè de futuro illapsu Spiritus Sancti Act. 1. sed ab Ascensione usque ad Pentecostem in cœnaculo inclusos detinuit orationi vacantes. Hæc est forma, secundùm duam fideles ad Sacramentum Confirmationis disponi oportet. Absit ergo ab Ecclesiæ Pastoribus falsa illa quorundam persuasio, subditos ad hoc Sacramentum tum esse dispositos, cùm peccata confessi sunt, aridamque memoriter tenent unam aut alteram definitionem, cujus vim cùm non percipiant, mens eorum sine fructu est. Unde contingit fideles ad hoc Sacramentum præ cæteris temerè & irreverenter accedere, (quod sæpiùs cum dolore advertimus) vacuosque nonnunquam recedere: Deus enim thesauro suo invigilat, nec sinit obrepere indignos, ait Tertullianus.

Ex his liquet catecheses de Confirmatione non esse differendas ad tempus, quo Episcopus Parochias lustraturus est: tum quia multis ob urgentia tunc temporis negotia interesse non licet; tum quia rudiores mentes multitudine eorum, quæ angusto temporis intervallo discenda sunt, obruuntur. Quod autem objiciunt nonnulli, Parochianos oblivisci, quæ diu ante Episcopi adventum didicere, contra eos retorqueri debet, nempe post Episcopi discessum eadem facilitate obli-

oblituros, ſicque futurum iri, ut nullam tanti Sacramenti notitiam conſervent, magnuſque ſit obex eorum ignorantia gratiis actualibus ſeu auxiliis, quibus Sacramenta ſuſcepta ſolent operari; porro his malis non occurreret Paſtor, niſi per frequentes de Confirmatione catecheſes & conciones.

Hæc Paſtoralis ſollicitudo non ſolùm utilis eſt, ſed prorſus neceſſaria; 1. his, qui nondum ſunt conſignati, tum ut plenè diſcant, quæ ad illud Sacramentum pertinent, tum ut ad aliud dignè recipiendum diſponantur, tum denique, ut cognitis pluribus ejus effectibus, illius recipiendi deſiderio flagrent, & per votum illud, aliquatenùs tanti doni participes efficiantur; conſtans enim eſt Theologorum ſententia votum Sacramenti ſuo modo operari. 2. non minus neceſſaria eſt confirmatis illa paſtoralis ſollicitudo 1. ne obliviſcantur, quæ ſemel didicerunt. 2. ut ad vocem Paſtoris recolentes, quanta Deus beneficia ipſis per Sacramentum contulerit, in gratiarum actione permaneant, *cultus enim Dei in hoc maximè conſtitutus eſt*, ait S. Aug. cap. 11. de ſpiritu & littera, *ut anima ei non ſit ingrata.* Et ſerm. 21. de diverſis cap 2. *hoc eſt glorificare Deum, gratias agere Deo.* 3. Ne gratiæ Sacramentali ponatur obex, qui cum initiatis frequens ſit, raro Sacramenta etiam rectè ſuſcepta finem ſuum conſequuntur. Enimverò Sacramenta non ſuſcipiuntur ad quieſcendum, ſed ad laborandum magis; auxilia ſupernaturalia, in quibus gratiam ſacramentalem repoſuimus, denotant hominem conantem ad finem ad quem ordinatur Sacramentum; nec enim auxiliari dicimur, homini otioſo, nihilque ex ſua parte

parte conferenti. Quis credet ducem ex pacto, quod iniit cum conducto milite, debere ſtipendium & annonam, ita deſerente pugnam, ut nequidem meminerit ſe militiæ nomen dediſſe? Præterea auxilia, quæ reſpondent Sacramentis, alia ſunt aliis magis vel minùs efficacia, remotiora, vel propinquiora: Deus nonnunquam propter Sacramentum ritè ſuſceptum immittit piam cogitationem, quam ſi mens vanis rebus intenta non advertit, cætera quæ conſecutura erant, perdit: movet virtus Sacramenti ut oremus, in minimis fideles ſimus, quibus neglectis, in difficilioribus deficimus; ſicque contingit, ut ex frequenti Sacramentorum uſu mores non formentur in melius. Vigilandum itaque poſt Sacramenta ſuſcepta, orandum, ſatagendum, ne quis obex gratiis ſacramentalibus viam occludat; denique tendendum continuò ad finem, ad quem Sacramentum inſtitutum eſt, quod ut præſtent fideles, luce clarius eſt neceſſarias eſſe frequentes Paſtoris admonitiones, cohortationesque.

4. In Sacramenti collatione intercedit pactum inter Deum & ſuſcipientem: Deus offert gratias, pollicetur auxilia; confirmatus verò promittit ſe ſtrenuè pugnaturum, nec jam deinceps uti imbellem infantem, ſed tamquam virum fortem, Chriſtianumque perfectum ſeſe exhibiturum. Ad quid enim gratia ſanctificans ipſi confertur uberior, niſi ut abundet magis in operibus bonis? Quare inſignibus militis Chriſti decoratur, niſi ut pro gloria ejus decertet? omnis quidem homo miles eſt, ubi propulſanda eſt Creatoris injuria, ait Tertullianus; ſed confirmatus id tanquam ex officio præſtare tenetur, ut advertit S. Thomas. *Idcircò accepimus Spiritum, non ut pavidi ſimus aut metu contra-*

bamur, sed ut celsiores evadamus, inquit S. Chrysostomus ad illud 1. ad Tim. 1. *non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis.* At milites isti nisi crebris ducum, hoc est, Pastorum cohortationibus excitentur, languent animo, officio desunt, quin & pacti cum Deo per Sacramentum initi sæpissimè non recordantur.

CAPUT IX.

An & quæ sit necessitas Confirmationis ?

R. 1. Certum est præcepto divino teneri Pastores ministrare hoc Sacramentum, etiamsi supponatur nulla necessitas illius suscipiendi: tum quia dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, infidelis est nisi singulis distribuat, quæ à Domino accepit in eorum utilitatem: tum quia Confirmatio est perfectio Baptismi, sicut Extrema unctio Sacramenti Pœnitentiæ. Non minùs itaque tenentur Pastores prius administrare, quam posterius.

R. 2. Certum est non esse necessarium necessitate medii, ut quis confirmetur. Illud enim necessarium non est necessitate medii, sine quo salus obtineri potest; cùm sine Confirmatione homo per Baptismum vel per Pœnitentiam peccatorum veniam consequatur, fiat justus & Deo gratus, *alioquin*, inquit S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos, *si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in longè minoribus urbibus ante dormierunt, quàm ab Episcopo visitarentur.* Difficultas ergo solum est de necessitate præcepti divini, sive Ecclesiastici.

R. 3.

R. 3. Sacramentum Confirmationis necessarium est saltem jure Ecclesiastico iis omnibus, qui in Clerum assumuntur; & ratio est, quia cùm ordo Clericalis status sit perfectionis, nonnisi perfectos admittit. Hinc Christus Dominus ad Apostolos, in quibus omnes saltem Clerici intelliguntur; *sedete in civitate*, inquit Luc. 24. *quoadusque induamini virtute ex alto.* Sanctus Cornelius epist. sæpiùs laudata ad Fabium Antiochenum, exprobrat Novatiano, quod signaculo chrismatis minimè percepto, sacrum ordinem suscepisset. Et Concilium Nicænum primum can. 8. statuit Novatianos ab hæresi conversos in Ordinibus admittendos cum manuum impositione, confirmatoria, ut creditur.

R. 4. Omnibus adultis confirmatio præcipitur jure tum divino, tum Ecclesiastico.

Prima pars, quæ est de jure divino, non habetur quidem expressè in Scripturis, sed ex iis facilè deducitur. Etenim verba Christi Domini Luc. 24. mox relata, & Act. 1. *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*: non soli Apostoli, sed & cæteri Fideles, etiam mulieres, quasi sibi dicta intellexerunt, eisque paruerunt omnes, Act. 1. v. 14. Deinde vigilantia & sollicitudo Apostolorum Act. 8. & 10. ne cuiquam ex baptizatis hoc spiritale subsidium deesset, denotat præceptum divinum illud conferendi & suscipiendi; hæc enim duo correlata sunt.

Probatur 2. ex regula S. Augustini, quod ab omnibus fuit semper observatum, nec invenitur in aliquo Concilio institutum, illud ab Apostolis traditum censeri debet: atqui semper in Ecclesia fuit observatum, ut Fideles post Baptismum per Sacramentum Confirmationis perficerentur: *ungi*

quoque necesse est eum, qui baptizatus est, inquit Sanctus Cyprianus epist. 70. *ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Sanctus Cornelius exprobrat Novatiano, quòd post Baptismum non fuerit consignatus. *Si supervixerit* (inquiunt Patres Eliberitani can. 38. de Neophyto baptizato) *ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Et Concilium Laodicenum canone 48. *oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes.* Sanctus Gregorius libro 12. epist. 6. vult Sacramentum Confirmationis ministrari his, quos accepisse non constiterit, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat. Canones pœnitentiales ad quintum Decalogi præceptum subjiciunt pœnitentiæ trium annorum parentes, quorum negligentia filius sine Sacramento Confirmationis decesserit. Et Concilium quartum Mediolanense, à sede Apostolica approbatum, sic statuit: *Si quis neglexerit* (Confirmationem) *canonicis subjaceat disciplinis.* Denique extra casum necessitatis fideles antiquitus ad Eucharistiam non admittebantur, nisi priùs confirmati. Hoc etiam nunc observant Græci; & præscripsit Rituale Eboracense anno 1409. *non admittatur ad Communionem non confirmatus, nisi rationabiliter fuerit impeditus.*

Probatur 3. rationibus Theologicis. Prima est S. Thomæ art. 8. *Per hoc Sacramentum*, inquit, *promovetur homo spiritualiter ad ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat. Multò autem magis de intentione Dei esse, omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat.* Secunda, illud Sacramentum ex præcepto divino est suscipi-

cipiendum, quod Christus Dominus instituit tanquam medium, sine quo vix staret infirmitas humana inter mundi pericula & tentationes. Atqui talis est confirmatio, ut habetur can. *Spiritus sanctus*, de consecr. dist. 5. his verbis, quæ falsò tribuuntur Melchiadi: *Quamvis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen Confirmationis auxilia necessaria sunt: quia Confirmatio armat & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos.* Unde Hugo Victorinus l. 2. de Sacram. p. 3. c. 7. sic scribit: *Quid prodest si à lapsu erigeris* (per Baptismum) *nisi ad standum confirmeris? & timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt cùm poterant.* In eadem sententia sunt Theologi celeberrimi, ut Gerson in Compendio de Sacramentis, *ut si homo non debeat debilitari*, inquit, *comedat necesse est, & isto modo potest dici quòd Confirmatio est necessaria; nam ad hoc, quòd vita spiritualis debeat contra hostes custodiri, necesse habet hoc Sacramento confortari.*

Sed præ cæteris audiendus est Angelus à Clavasio; quia ejus auctoritate abuti conati sunt nonnulli Presbyteri in Angliam missi. Sic autem scribit auctor ille in sua Summa, quæ dicitur Angelica, verbo *Confirmatio*: *Respondeo quòd non absolutè* (est necessarium illud Sacramentum) *quia baptizatus, si statim decedit, salvatur; tamen necessarium est. Itaque contemnens ipsum suscipere, peccat mortaliter; propterea credo, quod notabilis negligentia Episcoporum in non conferendo illud, sit eis peccatum mortale.*

Dices 1. Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum cap. 28. sic scribit de chrismatione verticali, quæ fit per Presbyterum, *necessarium est, ut*

ſtatim ſuccurratur baptizato cum chriſmatis unctione, ut Spiritus Sancti participationem accipiens alienus à Chriſto non exiſtat. Ergo revera unctio verticalis ſupplet Confirmationem.

Diſtinguo antecedens, ex opere operantis, ſive propter preces Eccleſiæ, quas Deus exaudit in hac unctione, ſive Neophyti devotionem, & votum ſuſcipiendæ Confirmationis : quo ſenſu exorciſmi fugant dæmonem, confeſſio in periculo mortis facta laico, abſente Sacerdote, juxta uſum decimi tertii ſæculi ſupplet confeſſionem ſacramentalem, propter humilitatem confitentis, & votum Sacramenti Pœnitentiæ, Concedo : ex opere operato, quaſi per unctionem illam infundatur gratia ſanctificans, Nego antecedens. Et quidem ad mentem Rabani, cujus hæc ſunt verba : *Signatur baptizatus per Sacerdotem chriſmate in capitis ſummitate : per Pontificem verò in fronte, ut priori unctione ſignificetur Spiritus Sancti deſcenſio ad habitationem Deo conſervandam ; in ſecunda verò ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia venire declaretur.* In unctione ergo verticali ſignificatur tantùm gratia Spiritus Sancti, in frontali verò confertur.

Dices 2. Ex S. Thoma art. 8. ad quartum ; *omnino periculoſum eſſe ſecundùm Hugonem Victorinum, ſi Neophytus ex hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret : non quia damnaretur, niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Ergo ubi nullus eſt contemptus, nullum eſt peccatum, ſaltem mortale ; ac proinde nullum præceptum ſuſcipiendæ Confirmationis.

Diſtinguo antecedens, propter contemptum, vel formalem, quo deſpicitur Confirmatio tanquam cæremonia mimica, vel interpretativum, quando

quando ſine cauſa negligitur; præſente & parato Epiſcopo ad confirmandum, quo ſenſu ſupra dicebat Angelus à Calvaſio, *contemnens ipſum ſuſcipere, peccat mortaliter*, Concedo: propter contemptum ſolum formalem, Nego anteced. nam S. Doctor in corpore ejusdem articuli, docet contra intentionem Dei eſſe, ſi negligatur illud Sacramentum.

Secunda pars reſponſionis noſtræ, nimirum Confirmationem eſſe ex præcepto Eccleſiaſtico neceſſariam, patet ex dictis in prima parte ejuſdem reſponſionis; in ea ſiquidem multas leges Eccleſiaſticas inſeruimus, quibus urgentur Fideles ad obſervandum præceptum divinum de ſuſcipienda Confirmatione.





Tractatus
DE
EUCHARISTIA.

Duas in partes Tractatus distribuetur. Prima erit de Eucharistia, ut Sacramentum est. Secunda, de eadem, ut est Sacrificium.

* *

PRIMA PARS.
De Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT PRIMUM.
Utrùm Eucharistia sit Sactamentum simul & Sacrificium ?

R. De fide est, Eucharistiam esse utrumque. Ita enim definiit Concilium Tridentinum. De Sacramento quidem sess. 7. can. 1. his verbis : *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis . . . esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam*, &c. *aut*

aut etiam aliquod horum septem non esse verè & proprie Sacramentum, anathema sit. De Sacrificio vero sess. 22. can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium . . . . anathema sit.*

Q. 2. *Unde probatur Eucharistiam esse Sacramentum proprie dictum?*

R. Ex Scriptura. Namque ad Sacramentum propriè dictum, tria ex dictis requiruntur. 1. ut sit signum sensibile divinitus institutum. 2. ut promissio gratiæ signo sit annexa. 3. ut existat mandatum divinum illius signi observandi: atqui ex Scriptura hæc tria conveniunt Eucharistiæ: 1. est signum sensibile divinitus institutum, nempe panis & vinum, Matth. 26. *accepit Jesus panem, &c.* 2. promittitur gratia observantibus hoc signum, Joan. 6. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* 3. extat mandatum divinum utendi hoc signo, Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Et Joan. 6. *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Probatur etiam ex universali Ecclesiæ Traditione, quæ semper Eucharistiam numeravit inter vera Sacramenta; in hac parte Novatores, paucis exceptis, nempe Socinianis, conveniunt cum Catholicis.

Q. 3. *Quomodo probatur, Eucharistiam esse sacrificium?*

R. Probatur; quia Sacrificium propriè dictum est oblatio rei sensibilis, cum aliqua ejus destructione, seu immutatione, facta à legitimo Ministro, ad recognoscendum supremum Dei dominium in omnes creaturas: atqui hæc definitio perfecte convenit Eucharistiæ. In ea siquidem Christus Dominus offertur, tanquam victima cum

myſtica ejus deſtructione per legitimum Miniſtrum, nempe Sacerdotem ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium: ergo eſt verum ſacrificium. Hic toto conatu inſurgunt Novatores; ſed gravis illa controverſia ſpectat poſteriorem hujusce Tractatus partem, quæ erit de Sacrificio.

Ergo Euchariſtia Sacramentum eſt, quatenus Chriſtus datur Fidelibus ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem eorum refectionem; ſub illo enim reſpectu eſt ſignum gratiæ ſanctificantis: Sacrificium vero eſt, quatenus ipſe Chriſtus Deo offertur ut victima.

Dices; repugnat unum & idem eſſeSacramentum & Sacrificium: ergo Euchariſtia non eſt utrumque.

Probatur antecedens, quæ ſunt diverſæ naturæ, non poſſunt eſſe unum & idem: atqui Sacramentum & Sacrificium: ſunt diverſæ naturæ: ergo.

Nego ant. nam ex dictis ubi de Sacramentis in genere, profeſſio fidei pro remiſſione peccati originalis, quæ erat Sacramentum in ſtatu Legis naturæ, plerumque fiebat oblatione ſacrificii: deinde in Lege ſcripta multa ſacrificia erant etiam Sacramenta, ut conſecrationes Sacerdotum.

Ad confirmationem, diſtinguo majorem, quæ ſunt diverſæ naturæ totalis, non poſſunt eſſe unum & idem, Concedo: quæ ſunt diverſæ naturæ partialis, Nego majorem. Sic homo & brutum non poſſunt eſſe unum & idem, quia ſunt diverſæ naturæ totales & completæ: ſed corpus & ſpiritus conſtituunt unum & eundem hominem, quia ſunt diverſæ naturæ partiales & incompletæ. Porro in Euchariſtia ſacrificium & ſacramentum ſunt duæ veluti partes methaphyſicæ, ex quibus exſurgit unum myſterium.

Inſta-

Instabis: quæ natura & definitione differunt minùs possunt esse unum & idem, quàm quæ solo numero distinguntur: atqui quæ solo numero distinguuntur, non possunt in unum coalescere, v. g. repugnat Petrum & Paulum esse unum & eundem hominem. Ergo.

Distinguo majorem ut supra: quæ natura & definitione totali differunt, minùs possunt esse unum & idem, Concedo: quæ natura & definitione partiali differunt, Nego majorem. Porro Petrus & Paulus, & cætera numero distincta naturas ultimò completas habent; unde repugnat eas unam tertiam constituere: sed sicut animalitas & rationalitas concurrunt ad unum constituendum hominem, quia sunt naturæ incompletæ; sic ex sacrificio & Sacramento tanquam ex naturis incompletis constituitur Eucharistia.

CAPUT II.

Quibus nominibus designatur Eucharistia.

R. Alia conveniunt Eucharistiæ universim sumptæ pro Sacramento simul & Sacrificio: alia speciatim sumptæ pro Sacrificio: alia sumptæ pro Sacramento.

Q. 2. *Quomodo vocatur Eucharistia sumpta pro Sacramento simul & Sacrificio?*

R. Dicitur 1. Eucharistia, à nomine Græco, quod Latine est bona gratia, & gratiarum actio, sive quia in ea Christus recipitur donorum maximum, & fons omnium gratiarum, sive quia in ea offertur Deo sacrificium gratiarum, actionis perfectissimæ; *propterea*, inquit S. Chrysostomus hom.

hom. 25. in Matth. *tremenda ac salutaria illa mysteria, quæ in Congregatione Ecclesiastica celebramus, Eucharistia vocantur, quia multorum beneficiorum sunt recordatio, ipsumque caput divinæ erga nos providentiæ ostendunt, nosque præparant, ut in omnibus grâtias agamus.*

Dicitur 2. Eulogia, id est benedictio; *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* ait Apostolus 1. Corinth. 10.

Eulogiarum nomen usurpant Scriptores Ecclesiastici, 1. ad significandas partes Eucharistiæ consecratæ, quæ in signum mutuæ communionis & charitatis ad absentes Presbyteros per Parochias mitti solebant, ut patet ex Epistola Innocentii I. ad Decentium. Hunc tamen usum prohibuit Concilium Laodicenum can. 14. 2. ad denotandas eas partes panis ex oblatione Fidelium superstites, quas Sacerdos precibus sanctificabat, & expletis mysteriis, iis distribuebat, qui ob aliquod impedimentum ad sacram mensam accedere non poterant, ut habetur in Concilio Laodiceno can. 49. & Nannetensi can. 9. 3. Ad designanda privatorum dona, quibus mutuam communionem & charitatem testabantur. De iis Sanctus Augustinus epist. 31. alias 33.

Dicitur 3. Pascha, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Eucharistia enim succedit Agno Paschali, qui ex S. Thoma qu. 73. art. 6. erat præcipua ejus figura, 1. quatenus immolabatur Agnus ab universa multitudine filiorum Israel, præfigurabatque Passionem Christi Agni immaculati in Cruce immolati; atque adeo sacrificium Missæ, quod celebratur in commemorationem sacrificii Crucis. 2. Quatenus comedebatur cum panibus azymis, adumbrabat

bat Euchariſtiam ut ſacramentum eſt. Paſcha autem ſeu phaſe ſignificat tranſitum, nempe Angeli, qui cùm media nocte percuteret primogenitos in cunctis Ægyptiorum familiis, pertranſiit Iſraelitarum domos, in quarum poſtibus aſperſus cernebatur, juxta præceptum Domini, ſanguis Agni tum primum immolati, ut habetur Exodi 12. in quo nemo eſt qui non videat effectum Sacramenti Euchariſtiæ luculenter expreſſum.

Dicitur 4. Synaxis, id eſt, collectio ſeu congregatio; quia multi Fideles convenire ſolent & in unum congregantur, ut interſint Sacrificio, participeſque fiant Corporis Chriſti. Ob eandem etiam rationem à Latinis dicitur collecta.

Q. 3. *Quæ nomina ſunt Euchariſtiæ propria, ut ſacrificium eſt?*

R. Dicitur 1. Liturgia, id eſt, ritus & ordo ſacrificii Euchariſtiæ peragendi.

Dicitur 2. Miſſa, quod eſt nomen Latinum à verbo, *mitto*, vel quia preces ad Deum mittuntur per Sacerdotem, aut per Angelum, ut habetur in canon. Miſſæ: vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa à Deo: unde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtivis diebus populum dimittit, dicens: *Ite*, *Miſſa eſt*, ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum. Ita S. Thomas q. 83. art. 4. ad 9. Hoc autem nomen apud Latinos eſt antiquiſſimum; habetur enim apud S. Ambroſium lib. 5. epiſt. 33. S. Auguſtinum ſer. 31. de tempore, S. Gregorium hom. 8. in Evangelia, & in Concilio Agathenſi ad annum 506.

Dicitur 3. Sacrificium panis & vini, quod in fide & charitate, ſancta Eccleſia Catholica per univer-

univerſum orbem terræ offerre non ceſſat, ex S. Fulgenio lib. de fide ad Petrum, cap. 19.

Dicitur 4. altaris oblatio, ita Sanctus Auguſtinus epiſt. 149. alias 59.

Q. 4. *Quæ nomina conveniunt Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt?*

R. Dicitur 1. Simpliciter S. Sacramentum propter ejus præ cæteris excellentiam.

Dicitur 2. Cœna Dominica, aut Cœna Domini, ut à Tertulliano lib. de ſpectaculis c. 13. S. Chryſoſtomo homil. 24. in 1. ad Cor. Novatores abutuntur hoc nomine, ut probent Euchariſtiam non poſſe celebrari, niſi in congregatione plurium, ac proinde non eſſe deferendam ad ægrotos. Unde quidam è noſtris monent nomen illud, quamvis uſitatiſſimum apud veteres, nunc debere eſſe minùs familiare.

Dicitur 3. Agapa, id eſt, dilectio, quia ſummæ eſt Dei erga nos dilectionis argumentum, & mutuæ inter Fideles charitatis ſymbolum & vinculum. Nomen tamen illud extendebatur etiam ad convivia, quæ primis ſæculis inſtruebant Chriſtiani in Eccleſia ad fovendam fraternam dilectionem; in iis quippe pauperes cum divitibus, uti fratres ſimul accumbebant, ut colligitur ex c. 11. 1. ad Cor.

Dicitur 4. Communio; quia ex S. Joannne Damaſceno lib. 4. de fide orthodoxa c. 14. per illam Chriſti concorporei ſumus, & de uno pane participantes fideles ſic inter ſe copulantur, ut unum corpus evadant. Hinc vocatur ab eodem Sancto Doctore loco citato metalepſis, quod eſt aſſumptio ſeu transmutatio, quia Fideles per Euchariſtiam aſſumuntur ad unionem cum Chriſto,

& in

& in ipſum ſpiritaliter transformantur. In eundem ſenſum veteres Euchariſtiam fermentum appellabant; quia ſicut fermentum totam maſſam, ſic Corpus Chriſti affectiones animi immutat.

Triplicis communionis meminerunt veteres, alia erat Clericorum propria, qui orariis induti intra cancellos communicabant: alia dicebatur laica, ad quam Clerici in pœnam gravioris alicujus delicti amandabantur, nimirum privati clericalis gradus honore extra cancellos, more laicorum, Euchariſtiam recipiebant: alia peregrina, quæ concedebatur Clericis viatoribus, cùm commendatitias Epiſcopi Literas non exhibebant.

Dicitur 5. Viaticum, ut à Concilio I. Nicæno, can. 13. & Carthaginenſi IV. can. 77. & 78. quia ex S. Thoma qu. 73. art. 4. *hoc Sacramentum præfigurativum eſt divinæ fruitionis, quæ erit in patria*; ad quam nobis feſtinantibus vires ſuppeditat. Cùm autem Baptiſmus & abſolutio ſacramentalis viam aperiant ad cœleſtem beatitudinem, dicuntur etiam viaticum, ut à Sanctis Baſilio & Gregorio Nazianzeno ſer. in Sanctum Baptiſma.

Dicitur 6. Corpus Chriſti, vel Corpus Domini, ut à Tertulliano lib. de oratione capite ultimo.

Dicitur 7. Panis ab Apoſtolo 1. Corinth. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* à Sancto Auguſtino, *Panis cœleſtis*, epiſt. 120. *Dominicus*, tractat. 39. in Joannem, *quotidianus*, epiſt. 121. *ſuperſubſtantialis*, ſerm. 145. de tempore: ab Eccleſia, *Panis Chriſti*, *Panis Angelorum*; vel quia ex pane conficitur, vel quia id intuentium oculis ſpeciem panis gerit, vel quia eſt ani-

eſt animis, quod panis corporibus. Ita Lanfrancus lib. de Sacramento Euchariſtiæ.

Dicitur 8. Sacramentum ſeu ſignum, aliquando etiam figura corporis & ſanguinis Chriſti, ſcilicet à ſpeciebus panis & vini, quæ Sacramentum vocantur; quia ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti. Quare perperàm Novatores ex hujuſmodi nominibus colligunt, antiquos Patres non credidiſſe, Chriſtum eſſe realiter præſentem in Euchariſtia; neque enim Sacramentum, ſeu ſignum excludit præſentiam rei ſignificatæ, ut conſtat ex omnibus Sacramentis novæ Legis, quæ ſunt ſigna gratiæ, quam continent. Hinc non ſolùm qui ſcripſerunt ante ortas hæreſes circa Euchariſtiam, ut Theodoretus Dialogo 3. ſed & hi, qui eas graſſantes ſuis ſcriptis compreſſerunt, ut Innoc. III. c. *Cum Martha*, de celebratione Miſſarum, & S. Thomas hic, vocant ſpecies panis & vini, Sacramentum ſeu ſignum Corporis Sanguinis Domini, quod imprimis notandum eſt & memoria retinendum.

Dicitur 9. Sacramentum novi Teſtamenti, juxta illud 1. Cor. 11. *hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*; quia Chriſtus Dominus morti proximus hoc amoris ſui pignus nobis legavit.

CAPUT III.

Quotuplici modo ſpectari poteſt Sacramentum Euchariſtiæ?

R. Duplici, nempe in fieri, & in facto eſſe.

Q. 2. *Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ in fieri?*

R. Eſt

R. Est consecratio seu conversio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi Domini, remanentibus speciebus, ad spiritualem Fidelium refectionem.

Q. 3. *Quid est Sacramentum Eucharistiæ in facto esse.*

R. Est Corpus & Sanguis Christi Domini sub speciebus panis & vini ad spiritualem Fidelium refectionem. Et hoc posteriori modo communiter accipitur Sacramentum Eucharistiæ. Quare,

Definitur, Sacramentum novæ Legis, continens realiter Corpus & Sanguinem Christi Domini sub speciebus panis & vini ad spiritualem Fidelium refectionem.

Q. 4. *Estne admittenda duplex illa acceptio Sacramenti Eucharistiæ?*

Novatores rejiciunt posteriorem acceptionem, contenduntque hoc Sacramentum, sicut cætera, non habere esse nisi in fieri, sive in usu, & in actuali manducatione, quemadmodum Baptismus non existit nisi in ablutione. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. §. 3. & Lutherus in articulis Concordiæ anno 1536. ex quo deducunt nullum cultum pani Eucharistico exhibendum, reliquiasque ex Cœna superstites in usus profanos consumi posse, cùm nullam habeant sanctitatem.

Lutherani tamen inter se dissentiunt; quidam enim, ut Kemnitius secunda parte examinis Concilii Tridentini cap. 3. docent Christum esse in Eucharistia, quamdiu durat actio seu ritus cœnæ: alii extendunt ejus præsentiam usque ad triduum, in gratiam ægrotantium; ad quos intra illud tempus Eucharistia deferri potest; ac

deinceps conſecrationem evaneſcere. Contra ejuſmodi errores

R. De fide eſt Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtere in uſu duntaxat, aut in actione tranſeunte, ſed in re permanenti; ita definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. canon. 4. his verbis: *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema ſit.*

Probatur 1. ex Scriptura, Matth. 26. & Luc. 22. Chriſtus Dominus dixit: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Calix novum Teſtamentum in ſanguine meo*, priuſquam Apoſtoli ſymbola ſumerent: Ergo corpus Chriſti extitit in manibus ejus, & ſanguis ejus in calice, acproinde Euchariſtia erat Sacramentum, priuſquam in os Apoſtolorum intraret.

Reſpondent, hæc Chriſti verba, vel eſſe promiſſoria rei paulò poſt futuræ, vel eſſe prolata in ipſo uſu ſymbolorum, quod colligi poteſt ex his S. Marci verbis, cap. 14. *biberunt . . . . . omnes*, tum ſubdit Evangeliſta, *& ait illis, hic eſt ſanguis meus*, &c.

Contra 1. pronomen, *hoc*, eſt demonſtrativum rei ſenſibiliter præſentis, ut infra dicitur. 2. niſi Chriſtus præmiſiſſet verba, & præmonuiſſet id eſſe corpus ſuum & ſanguiuem; quod porrigebat, Apoſtoli illud ſine fide, & tanquam cibum & potum communem ſumpſiſſent. Unde certum eſt Sanctum Marcum per anticipationem ſcripſiſſe, *biberunt omnes*, nec ſervaſſe ordinem rerum geſtarum, ſicut Sancti Matthæus, Lucas, & Pau-

& Paulus 1. Cor. 11. 3. Sic Sancti Patres verba Christi intellexerunt. S. Chrysostomus in cap. 10. 1. ad Corinth. sic loquitur: *Quid est in calice? quod ex latere Christi fluxit.* Et S. Augustinus prologo in Psalm. 33. scribit Christum in manibus suis corpus suum portasse. Ergo revera existebat Sacramentum in calice & in manibus Christi.

Probatur 2. ex constanti Traditione Ecclesiæ. S. Justinus Apostolorum discipulus coævus, in Apologia 2. refert Eucharistiam, peractis mysteriis ad absentes solere deferri. Idem testatur Sanctus Irenæus auditor Sancti Polycarpi, discipuli Sancti Joannis Evangelistæ; nam in Epistola ad Victorem Summum Pontificem, qui minabatur se recessurum à communione Episcoporum celebrantium Pascha more Judaico, hoc est 14. Luna, commonet prædecessores ejus misisse Eucharistiam ad illos Episcopos, qui idipsum observabant: Ergo Apostoli & eorum Discipuli crediderunt Eucharistiam habere esse permanens.

Deinde à primis sæculis Fideles Eucharistiam secum asportabant in spiritalem alimoniam. Id constat 1. ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi deterrens illam à matrimonio post sui obitum cum infideli contrahendo, sic scribit: *non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes?* 2. Sanctus Cyprianus, qui scripsit quadraginta circiter annis post Tertullianum, hoc est, tertio mediante sæculo, narrat tractatu de lapsis, de quadam muliere in persecutione lapsa, quòd *cum . . . . arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente, deterrita est.* 3. Ex Sancto Basilio epist. 289. ad Cæsaream Patriciam, ubi scribit Monachos desertum pe-

tentes, deferre ſecum Euchariſtiam, ibique eam propriis manibus ſumere. 4. Ex Sancto Gregorio Nazianzeno, qui in oratione 11. laudat ſororem ſuam Gorgoniam, quòd magna fide de nocte procumbens coram Euchariſtia, quam apud ſe recondiderat, ſtatim morbo ſe liberatam ſenſit. 5. Ex S. Ambroſio, qui in Oratione funebri fratris ſui Satyri habet, ipſum beneficio Euchariſtiæ, quam collo ſuo appenderat, naufragii periculum evaſiſſe,

Denique Euchariſtiam ſervatam pro infirmis, teſtis eſt Euſebius lib. 6. hiſt. c. 44. ubi referens Decretum S. Dionyſii Alexandrini (qui florebat tertio mediante ſæculo) de concedenda lapſis pœnitentibus communione, refert quemdam Serapionem in extremis poſitum, miſiſſe de nocte puerum ad Presbyterum, ut ab eo perciperet Euchariſtiam: Presbyterum verò fortè tunc ægrotantem, cùm venire non potuiſſet, miſiſſe ad Serapionem per eundem puerum exiguam Euchariſtiæ partem, ac juſſiſſe ut madefactam in os ſenis inſtillaret. Decretum Dionyſii confirmavit Concilium Nicænum 1. generale can. 13. anno 325. *omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communoinis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter* (id eſt probatis ejus diſpoſitionibus) *ex oblatione dare debebit.*

Quid ad hæc Calvinus? *habent fateor*, inquit l. 4. Inſtit. c. 17. §. 29. *veteris Eccleſiæ exemplum, verùm in re tanta, in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutiùs eſt, quàm veritatem ſequi.* Ergo Eccleſia viventibus adhuc Apoſtolis uſque ad beata Calvini tempora à veritate defecit. Cùm autem blaſphemiam tantam non ferant ejus diſcipuli, præſertim Dalæus, mitiora reſpondent, contendunt-

duntque ex illa conſuetudine non colligi Eccleſiam repoſuiſſe Euchariſtiam in re permanenti; tum quia Presbyteri ad infirmos vocati, poterant Euchariſtiam conficere in eorum domibus: tum quia etiamſi apud ſe ſervaſſent Euchariſtiam, deportandam, neceſſitate occurrente, ordinabatur ad manducationem, in qua ſola habet rationem Sacramenti. Verùm fruſtranei ſunt illi conatus; namque 1. nullus Sacerdos aderat, cùm Serapion Euchariſtiam percepit. Deinde Columba illa argentea in Templo ſuſpenſa, de qua fit mentio in vita S. Baſilii, in Teſtamento Perpetui Epiſcopi Turonenſis, qui obiit anno 477. ex lib. 5. Spicilegii, in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna anno 536. & Turonenſi II. an. 567. probant Euchariſtiam antiquitus fuiſſe aſſervatam, quemadmodum nunc in Eccleſia tum Latina, tum Græca, aſſervatur in Viaticum infirmorum. 3. Quis Catholicorum unquam negavit Euchariſtiam ad uſum ſeu manducationem ordinari? Detur etiam quòd in ſumptione ultimò perficiatur Sacramentum, ut docent nonnulli Theologi orthodoxi, an inde ſequitur quòd ante manducationem non habeat rationem Sacramenti, ſitque panis communis, ſicut aqua Baptiſmi ante infuſionem? Si non erat Sacramentum, antequam privati comederent panem, quem poſt celebrata Myſteria, deferebant in domos ſuas: ergo ipſi Euchariſtiam conficiebant, erantque Miniſtri tanti Sacramenti.

His abſurdis occurrunt laudati Patres; nam S. Cyprianus vocat Sanctum Domini, quod mulier in arca ſua repoſuerat; S. Ambroſius dixit Satyrum ab initiatis divinum illud Sacramentum

popoſciſſe. S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum, ſcribit S. Exuberium Epiſcopum Toloſanum, confractis vaſis pretioſis in pauperum ſublevamen ad eam inopiam fuiſſe redactum, ut Chriſti Corpus in caniſtro deportare cogeretur. Ergo Euchariſtia primis ſæculis extra uſum credebatur Corpus Chriſti, Sanctum Domini divinum Sacramentum.

Ex his neceſſariò ſequitur Euchariſtiam ſupremò cultu eſſe colendam. Chriſtus enim ubique eſt adorandus, ſed tum maximè cùm immenſa ſua charitate ad nos exaltandos ſeipſum demittit.

Nec dicas Regem, qui ſe in alieno habitu occultat, offendi, ſi quis illum latentem detegens publicis honoribus & acclamationibus proſequatur; unde Chriſtus non procumbentibus, ſed accumbentibus Apoſtolis Euchariſtiam diſtribuit. Id enim verum eſt quando Rex non vult agnoſci, ut Saul Pythoniſſam adiens, 1. Reg. cap. 28. non verò cùm ſeipſum in illa veſte peregrina manifeſtat. Hinc cæcus quem Chriſtus ſanaverat, adoravit illum, ubi agnovit eſſe Filium Dei in forma hominis, Joan. 9. verſ. 38. Adoraverunt eum, infantem pannis involutum, & Magi Matth. 2. & Paſtores, Angeli quoque, Luc. 2. juxta illud Hebr. 1. *Cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus.* Adorant etiam nunc ſymbolis panis & vini velatum ex ſanctis Chryſoſtomo homil. in cap. 6. Iſaiæ, & lib. 4. de Sacerdotio, ac Gregorio libro 4. Dial. c. 58. *Quis*, inquit, *dubium habere poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, Angelorum choros adeſſe?* Quod dictum ſit ad ignominiam Beguardorum & Beguinarum, qui in elevatio-

vatione Corporis Chriſti non aſſurgebant, nec adorabant, ne ab altitudine contemplationis deſcenderent ex Clementina *ad noſtrum*, in Conc. Viennenſi anno 1311. Adorarunt denique Chriſtiani à primis ſæculis, ut patet ex Origene homil. 13. in Exod. *Cùm ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat.* Ex S. Ambroſio libro. de Spiritu ſancto c. 11. *per terram etiam* (intelligitur) *caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus.* Ex S. Auguſtino Pſ. 98. *In ipſa carne hic ambulavit* (Chriſtus) *& ipſam carnem nobis manducandum ad ſalutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adoravit.* Addit eum peccare qui non adorat. Ex Theodoreto Dialog. 2. ſymbola poſt ſanctificationem adorantur.

Nullius verò momenti eſt, quod objiciunt ex accubitu Apoſtolorum in ultima cœna; nam inde liceret concludere Apoſtolos nequidem Chriſtum in ſpecie humana ſpectatum fuiſſe veneratos. Cùm ergo duplex ſit adoratio, interior una, exterior altera; prior eadem fuit ſemper in Apoſtolis, poſterior verò major, vel minor, ſecundùm circumſtantiam temporis & loci. Quis autem crederet Apoſtolos cum Chriſto viſibili recumbentes; debuiſſe aſſurgere ad præſentiam Euchariſtiæ, in qua idem ipſe Chriſtus inviſibilis exiſtebat?

Similiter in Eccleſia idem ſemper fuit cultus interior erga Euchariſtiam, crevit verò exterior, ubi floruit ſub Principibus Chriſtianis, tum verò maximè, cùm injuria tanto Sacramento ab Hæreticis illata reſarcienda fuit. Hinc poſt Berengarianam hæreſim, hoc eſt ab undecimo ſæculo, cœpit hoſtia, ſtatim poſt conſecrationem elevari ab

astantibus adoranda; & exponi in vase solo vitreo inclusa, quamvis illud posterius initio non fuerit ita frequens: instituta est quoque solemnitas in honorem tanti Sacramenti, nempe decimo tertio sæculo: & aliquantò post usus hostiam per vicos honorificè circumgestandi subsecutus est: *Ut . . . adversarii in conspectu tanti splendoris*, inquit Concilium Tridentinum, sess. 13. cap. 5. *& in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.*

Objiciunt 1. nonnulla veterum acta, quæ cultui Eucharistiæ repugnant. 1. S. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 5. monet, ut post communionem digito tangant labia sanguine Christi tincta; deinde eodem digito sanctificent oculos, frontem, &c. 2. S. Augustinus libro 3. operis imperfecti contra Julianum cap. 164. narrat mulierem filio suo cataplasma ex Eucharistia fecisse, quo imposito, sanatus est puer. 3. Fidelium cadavera cum Eucharistiá sepulturæ tradebantur, ut constat ex historia vitæ Sancti Basilii, ex lib. 2. Dialog. Sancti Gregorii cap. 24. & ex Amalario lib. 4. de Officiis cap. 9. 4. Ex Nicæta in vita sancti Ignatii Constantinopolitani Episcopi, calamo intincto in sanguine Christi Domini, subscripserunt damnationi Photii. 5. Reliquiæ Eucharistiæ post mysteriorum celebrationem superstites igni tradebantur, ex Esichio, libro 2. in Levitic. & ex Concilio Aurelianensi relato ab Ivone Carnotens. 2. parte Decreti cap. 22.

R. 1: Generatim cum Sancto Augustino lib. 2. de Civit. c. 23. *Non quærimus utrùm factum sit, sed utrùm faciendum; sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est.* Deinde si auctoritate agendum est,

est, certé cujusvis privati auctoritas cedere debet universalis Ecclesiæ judicio, quia talia non permittit.

R. 2. Ad singula.

Ad primum & secundum, quæ scribit Sanctus Cyrillus, singularem reverentiam & devotionem indicant; sicut & quæ egit mater pro salute filii, fiduciam divinitus inspiratam, ex eventu miraculoso licet conjicere.

Ad tertium, vera sit illa historia, quæ est incerti auctoris, probat Eucharistiæ cultum a Sancto Basilio fuisse exhibitum; sic enim habet: *Dividens panem consecratum in tres partes, unam communicavit cum timore multo; alteram autem reservavit consepeliri sibi; tertiam verò imponens Columbæ aureæ pependit super altare.* Citatur hæc historia ab Ænea Parisiensi contra Græcos anno 860. Factum autem Sancti Benedicti à Sancto Gregorio laudatum miraculum est, non exemplum. Denique licet illa praxis spem resurrectionis obsignaret, eam tamen prohibuit Ecclesia in Concilio Carthaginensi III. can. 6. anno 397. & Synodo Antissiodorensi can. 12. anno 579.

Ad quartum, incerta planè, quæ refert Nicætas in objectione citatus, sicut & quæ Baronius narrat de Theodoro Summo Pontifice ad annum 648. Ex Græcorum Annalibus: sed supponantur vera, cedunt in venerationem sacri Sanguinis, quo subscriptionis ostendebatur veritas.

Ad quintum hæc intelligenda sunt de speciebus corruptis, ex ipso Ivone, cujus hæc sunt verba: *Ut omne sacrificium sordida vetustate perditum igne comburatur, & cineres juxta altare sepeliantur;* quæ reverentiam indicant, ut observat Guitmondus,

dus, lib. 2. de Corpore Christi: *Misteria*, inquit, *non traduntur ignibus cremanda, sed mundissimo elemento fideliter committuntur nobis occultanda, & supernis sedibus illicò reponenda.*

Objiciunt 2. contra Eucharistiæ permanentiam. Non est attendendum quid in hac parte privati, sed quid celeberrimæ Ecclesiæ observarent: Atqui celeberrimæ Ecclesiæ prohibent ne quid ex Eucharistia in crastinum reservetur: Ergo.

Probant minorem.

1. In Ecclesia Romana, quæ residua erant post mysteriorum celebrationem, consumebant Clerici, ex epistola 2. sancti Clementis: in Ecclesia verò Constantinopolitana dabantur pueris scholaribus consumenda, ex Evagrio lib. 4. histor. c. 35. & Nicephor. lib. 17. cap. 25. quem morem amplexi sunt Patres Concilii Matisconensis II. anno 585.

2. Concilium Cæsaraugustanum anno 381. & Toletanum I. anno 400. vetant ne in privatorum manibus detur Eucharistia domum deferenda.

3. Cardinalis Humbertus undecimo sæculo agens contra Græcos, reprehendit eos; quòd Eucharistiam asservarent. Quin & Gabriel Biel insignis in Germania Theologus scribens XV. sæculo in Canonem Missæ, observat Christum Apostolis non dedisse Eucharistiam, ut honorificè eam conservarent, sed ut ederent, quo argumento usus est Origenes hom. 5. in cap. 5. Levit. ad probandum sacrificium laudis novum esse offerendum.

4. Ferunt etiamnunc apud Abyssinos, seu Æthiopes Eucharistiam non asservari.

Resp. concessa maj. Nego min. Textus enim allati, præsertim ex SS. Justino, Irenæo, Dionysio Alexandrino, & Concilio Nicæno, non priva-

privatorum quorundam, ſed univerſalis Eccleſiæ mores exponunt, nec contra pugnant, quæ objiciuntur.

Non primum; nam præterquam quod non deſint qui contendunt laudatam epiſtolam non eſſe ſancti Clementis, ex illa clarè colligitur conſumi tantum à Clericis, quod reſiduum erat ex iis, quæ vel ad abſentes mittebantur, vel quæ Fideles ſecum in domos ſuas aſportabant; vel quæ in ſacrario pro infirmis recondebantur; ſcribit enim auctor ille: *Cum timore & tremore reliquias fragmentorum Corporis Domini cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inveniatur*: Ergo ſupponit Euchariſtiam aſſervari, ſicut & Concilium Matiſconenſe; loquitur enim de hoſtiis unaquaque hebdomada renovandis: *Quarta*, inquit, *vel ſexta feria innocentes, indicto eis jejunio, eaſdem reliquias aſperſas vino percipiant.*

Non ſecundum; Ideò enim Concilium Cæſarauguſtanum & Toletanum ſanxerunt, ne Euchariſtia ſecundum priſtinum morem in manibus fidelium deponeretur; quia Priſcillianiſtæ Hæretici cum Catholicis ad ſacram menſam accedebant, ſimulantes ſe eſſe Catholicos, ſed acceptam Euchariſtiam horrenda impietate projiciebant, ut colligitur ex Concilio Toletano II. Porrò lex illa Concilii Cæſarauguſtani & Toletani I. non ubique obtinuit. Nam mos aſportandi Euchariſtiam vigebat tempore Sancti Gregorii, ut patet ex lib. 3. Dial. cap. 33. & Venerabilis Bedæ, lib. 4. hiſt. cap. 24.

Non tertium: nam Cardinalis Humbertus realis præſentiæ contra Berengarium defenſor acerrimus, ſolùm reprehendit Græcos, quòd per Quadrage-

dragesimam imperfectas, ut vocat, Missas celebrarent; hoc est, ex præsanctificatis, seu præconsecratis, die Dominica præcedente; Biel verò urget Fideles ad sacram communionem hoc argumento, nempe Christum non eo solo fine instituisse tantum mysterium, ut honorificè circumgestetur, sed ut eo spiritualiter nutriamur. Unde patet mala Novatorum fides in citandis auctoribus.

Quod autem affertur ex Origene, non est ad rem; loquitur enim de Sacrificio laudis, vultque ut renovemur spiritu mentis nostræ, ac novum semper canticum Domino canamus, quemadmodum Psalmista frequenter admonet.

At inquies, Christus præcepit Apostolis, ut impræsentiarum comederent. Quid inde, nisi quod tunc præceptum communionis urgeret? sic Sacerdotibus dum sacrificant, sic omnibus fidelibus tempore Paschatis & in mortis exitu inducitur communicandi necessitas, sed ex his non sequitur Eucharistiæ Sacramentum in solo usu consistere, nec posse asservari in gratiam eorum, qui Sacrificio non intersunt.

Non quartum; Schismatici enim, quales sunt Abyssini, in errores facilè impingunt: deinde forsitan non videtur ipsis necessarium asservare Eucharistiam, cùm apud eos non solùm Clerici, sed & Laici omnes bis in hebdomada Eucharistiam percipere dicantur.

Instabis 1. omne Sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis: atqui Eucharistia non est signum gratiæ, nisi in usu & actuali perceptione.

Nego minor. Nam corpus Christi sub speciebus panis existens, habet rationem cibi spiritalis: ergo

ergo ſignificat nutritionem ſpiritalem, ſeu gratiam ſanctificantem.

Urgebis: Licèt oleum ſignificet corroborationem, cùm naturaliter corroboret, tamen non habet rationem Sacramenti, niſi in ipſa applicatione, ſeu unctione actuali: ergo ſatis non eſt ad rationem Sacramenti, quòd ſit productivum gratiæ, ſed debet eſſe ſignum, quòd actu producatur gratia. Porrò corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, eſt quidem nutritivum: ſed actu non nutrit, niſi in ipſa manducatione: Ergo tunc ſolùm eſt Sacramentum.

Diſtinguo anteced. Oleum extra uſum, naturaliter corroborare poteſt membra corporis, Conc. Vires animæ, Nego anteced. Oleum enim naturaliter non ſignificat animæ corroborationem, ſed ex inſtitutione divina, determinaturque ad ſignificandum ſpiritalem illum effectum per verba quæ non proferuntur niſi in ipſa applicatione. At Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis exiſtens, etiam extra uſum ſignificat nutritionem ſpiritalem. Deinde falſum eſt Sacramentum debere ſignificare ſanctificationem actualem; nam de fide eſt Baptiſmum eſſe verum Sacramentum in Hæreticis, & in aliis peccatoribus, qui ejus effectui obicem ponunt.

Inſtabis 2. omne Sacramentum novæ Legis conſtat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma: atqui Euchariſtia in facto eſſe non conſtat verbis: ergo in facto eſſe non eſt Sacramentum.

Diſtinguo maj. Omne Sacramentum in fieri conſtat rebus & verbis, Conc. In facto eſſe, Nego maj. Sed de materia & forma Euchariſtiæ dicetur ſeqq. capitibus.

CA-

CAPUT IV.

Quænam est materia Sacramenti Eucharistiæ?

R. Duplex est, nempe remota & proxima.

2. *Quænam est materia remota?*

R. Panis & vinum, quemadmodum enim in Pœnitentiæ Sacramento peccata destruenda & necessariò præsupposita, dicuntur materia remota; sic in Eucharistia panis & vinum in corpus & sanguinem Christi Domini convertenda, & eo sensu destruenda necessariò præsupponuntur, tanquam Sacramenti materia remota. Est. 1. Contra Gnosticos, qui Eucharistiam suam conficiebant ex abortivo infante in mortario contuso, ex Epiphanio hæres. 26. 2. Contra Artotyritas qui panem caseo mixtum adhibebant, ex eodem Sancto Epiphanio hæresi 49. 3. Contra Aquarios, qui solam aquam offerebant, ex sancto Cypriano epist. 63. Aquariis annumerantur Encratitæ, Ebionitæ, & ipse Tatianus olim Sancti Justini discipulus, ex sancto Epiphanio hær. 30. 46. & 47. Item Manichæi ex S. Leone serm. 4. de Quadragesima.

Probatur autem responsio: tum ex scriptura, in qua legimus Christum Dominum Eucharistiam confecisse in pane & vino, & præcepisse Apostolis, ut idipsum facerent in ejus commemorationem, Matth. 26. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. tum ex constanti Ecclesiæ Traditione, quæ nonnisi panem & vinum pro materia Eucharistæ usurpavit, damnavitque aliud offerentes: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini*, inquit Concilium tertium Carthaginense anno 397. cap. 24. *nihil amplius*

amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum. Eadem tradunt Concilium Braccarenſe quartum anno 675. c. 2. & Concilium Trullanum, ſeu Quini-Sextum, ann. 692. can. 28.

Dices: Can. 4. Apoſtolorum permittitur, ut uvæ, oleum, & incenſum offerantur: Ergo.

R. 1. Hos Canones non fuiſſe ab Apoſtolis conditos, ſed ex variis Conciliis collectos.

R. 2. Diſtinguendo antecedens: Ut offerantur, vel ad alendos Clericos, vel ad altaris ornatum, Conc. Ad Sacrificii materiam, Nego anteced. Nam. can. 3. decernitur depoſitionis pœna Epiſcopo, vel Presbytero, qui aliud quam panem & vinum obtulerit.

Q. 3. *Quænam eſt Euchariſtiæ materia proxima?*

R. Aliis eſt Converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Domini; quia, inquiunt, actio Miniſtri in aliis Sacramentis eſt materia proxima, v. gr. ablutio in Baptiſmate, manus impoſitio in Confirmatione & Ordinatione, unctio in Extrema Unctione.

Sed contra. Converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, nec per ſe, nec per aliud eſt ſenſibilis, ſicut aliæ recenſitæ actiones, ſed ſola fide percipitur: Ergo.

Aliis corpus & ſanguis Chriſti Domini ſunt materia Euchariſtiæ proxima & adæquata: tum quia ſuccedunt pani & vino, quæ diximus materiam remotam & totalem, ſuntque ſenſibilia per ſpecies panis & vini, quemadmodum in Sacramento pœnitentiæ dolor fit ſenſibilis per Confeſſionem, & alios nutus pœnitentis: tum quia ſi quid aliud poſſet aſſignari pro materia proxima Euchariſtiæ, maximè ſpecies panis & vini: atqui ſpecies

cies aſſignari non poſſunt, cùm non ſint ſigna gratiæ productiva.

Communior, & (ut nobis videtur) verior eſt illorum ſententia, qui affirmant corpus & ſanguinem Chriſti eſſe quidem materiam proximam propter argumenta ſecundæ ſententiæ, ſed partialem tantum; ſpecies verò panis & vini alteram, & ex illis duabus partibus exurgere materiam totalem & adæquatam.

Probatur 1. ex his Concilii Tridentini verbis ſeſſ. 13. can. 1. *Si quis negaverit in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem*, &c. Unde ſic argumentari licet: corpus & ſanguis Chriſti non ſunt Sacramentum, ſed dicuntur contineri in Sacramento, ſicut anima in homine: ergo ad Sacramentum Euchariſtiæ, præter corpus & ſanguinem, aliud requiritur: aliud autem aſſignari nequit, præter ſpecies. Ergo reverà ſpecies ſunt materia partialis Sacramenti. 2. Species panis & vini non ſolùm demonſtrant ſenſibiliter corpus & ſanguinem, quemadmodum nutus pœnitentis, aut ſponſorum ſignificant duntaxat dolorem, aut conſenſum interiorem; ſed inſuper ſigna ſunt nutritionis ſpiritualis, ſeu gratiæ nutritivæ, quatenus ſcilic. conjunctæ cum corpore & ſanguine Chriſti Domini evadunt ſpiritalis cibus & potus animæ; quamvis enim corpus & ſanguis Domini ſancta ſint independenter à ſpeciebus, hauriantque virtutem ſanctificandi à Verbo, in quo ſubſiſtunt, non habent tamen eſſe Sacramentale, niſi per ſpecies, hoc eſt, non conſtituuntur ut animæ cibus & potus, niſi ratione ſpecierum, ſub quibus exiſtunt, tanquam contentum ſubſtantiale ad animæ nutritio-

nem

nem ordinatum. Ergo ſpecies proximè ſignificant corpus & ſanguinem, ſimul & gratiam nutritivam, ac proinde illam re vera efficiunt, Sacramenta enim novæ legis efficiunt quod ſignificant; & ſic patet ſolutio ad alterum argumentum ſecundæ ſententiæ.

Dices 1. Illud non poteſt cenſeri materia Sacramenti, quod eſt totum Sacramentum: atqui corpus & ſanguis Chriſti, ſimul & ſpecies panis & vini ſunt totum Euchariſtiæ Sacramentum: ergo non ſunt ejus materia.

Negat Scotiſtarum Schola abſolutè minorem, namque, ajunt illi, verba conſecratoria ſunt forma Euchariſtiæ, etiam in facto eſſe, quia licet phyſicè tranſierit, moraliter tamen perſeverant, & veluti informant ſpecies panis, quemadmodum forma abſolutionis informat Confeſſionem, & Contritionem, quæ pluribus diebus fortè præceſſerunt.

Non ſatisfacit hæc reſponſio; namque verba conſecrationis non ſunt forma informans, nec pars Sacramenti, cùm immediatè non ſignificent gratiam nutritivam, ſed converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, quam re vera efficiunt; manet itaque in Sacramento jam perfecto, ſicut cauſa efficiens in effectu. Unde

R. Diſtinguendo min. Sunt totum Sacramentum in facto eſſe, Conc. In fieri, Nego min. Diſtinguo ſimiliter conſequens. Non ſunt materia Euchariſtiæ in facto eſſe, Conc. In fieri, Nego conſeq. Etenim ex dictis ad Sacramentum in fieri hæc tria concurrunt. Primum, materia remota; ſcilicet, panis & vinum: ſecundum, materia proxima, nempe corpus & ſanguis Chriſti Domini,

quæ pani & vino ſuccedunt: tertium, verba conſecrationis tanquam forma, non quidem informans, ſed efficiens converſionem.

Dices 2. Innocentius III. Cap. *Cum Martha*, de celebratione Miſſarum, & ex illo S. Thomas & alii Theologi, docent ſpecies, eſſe Sacramentum tantùm: ergo corpus & ſanguis Chriſti non ſunt ejus pars.

Nego conſequentiam. Enimverò contra mentem illorum Theologorum eruitur; cùm expreſſè doceant corpus & ſanguinem Chriſti eſſe etiam Sacramentum. Ut autem intelligas quo ſenſu dixerint ſpecies eſſe Sacramentum tantùm,

Obſerva Innocentium eo loci tria diſtinguere in Euchariſtia. Primum, quod eſt Sacramentum tantùm: ſecundum, quod eſt res Sacramenti & Sacramentum ſimul: tertium, quod eſt res Sacramenti tantùm. Sacramentum tantùm eſt id quod ſignificat, & non ſignificatur; ut ſpecies, quæ ſunt ſigna per ſe viſibilia, tum corporis & ſanguinis Chriſti, tum gratiæ nutritivæ. Res Sacramenti & Sacramentum ſimul ſunt id quod ſignificatur & ſignificat; ut corpus & ſanguis Chriſti, quæ ſignificantur per ſpecies, & ſignificant gratiam nutritivam, quemadmodum dolor in Sacramento Pœnitentiæ ſignificatur per confeſſionem, & ſignificat remiſſionem peccatorum, & ideò eſt res Sacramenti & Sacramentum ſimul. Res Sacramenti tantùm eſt id quod ſignificatur, & non ſignificat, ut gratia nutritiva, quæ eſt effectus Euchariſtiæ, ſignificatur enim per ſpecies & per corpus Chriſti, & nihil ulterius ſignificat.

Q. 4.

Q. 4. *Species panis cum corpore Chriſti, & ſpecies vini cum ejus ſanguine, ſuntne duo Sacramenta ſpecie diſtincta?*

R. Minimè, quia ordinantur ad unam refectionem totalem, quæ perficitur cibo & potu.

Dices 1. Eccleſia appellat Euchariſtiam in plurali numero Sacramenta: *Purificent nos*, inquit, *Sacramenta quæ ſumpſimus:* Ergo.

Diſtinguo anteced. Ratione duplicis ſigni, Conc. Duo enim ſigna dicuntur Sacramenta, ut jam notavimus: ratione rei ſignificatæ, ſeu nutritionis ſpiritualis, Nego anteced. Sic homo ſumpta una refectione, dicitur in plurali numero ſumpſiſſe alimenta.

Inſtabis 1. Ubi ſunt diverſa ſigna gratiæ, ſunt Sacramenta ſpecie diſtincta: atqui ſpecies panis & vini ſunt diſtincta ſigna gratiæ: ergo.

Diſtinguo maj. Diverſa ſigna gratiæ diſtinctæ, & ad diverſum finem ordinata, Conc. Sic Baptiſmus & Confirmatio ſunt Sacramenta ſpecie diſtincta, quia diverſam gratiam ſignificant: diverſa ſigna ejuſdem gratiæ, & ad eundem finem proximum ordinata, Nego maj. Porrò ſpecies panis & vini eandem gratiam ſignificant, ordinanturque ad eundem finem proximum, ſcilic. ad refectionem ſpiritualem, quæ in eo differt à corporali; quòd in illa potus & cibus ſint unum & idem, juxta illud Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam;* in hac verò minimè.

Urgebis; Ergo ſuperfluæ ſunt illæ duæ ſpecies, cum una idem præſtet quod ambæ ſimul.

Nego conſeq. Inſerviunt enim, ut perfectius Paſſio Chriſti repræſentetur, in qua ſanguis ſeparatus eſt à corpore; &, ut clariùs ſignificetur

 virtus

virtus Euchariſtiæ, quæ & confortat animam, ſicut panis corpus hominis, & temperat ardorem concupiſcentiæ, ſicut potus viſcera refrigerat. Sed quæ in corporibus diverſa ſunt, in ſpiritualibus ſunt prorſus unum & idem: eadem juſtitia & gratia auget animæ vires, & minuit concupiſcentiæ impetus.

Inſtabis 2. Si duæ ſpecies efficiunt unum Sacramentum, jure meritò Catholicis exprobrant Novatores, quod Sacramentum truncatum exhibeant, dum unicam ſpeciem concedunt Laicis.

Nego ſequel. Non merentur Catholici illas Novatorum contumelias: tum quia ſemper integrum Sacramentum conficiunt, nec hactenus unam ſpeciem ſine altera conſecrárunt: tum quia Laicis ſub una ſpecie miniſtrant Chriſtum integrum, qui eſt res Sacramenti, & Sacramentum ſimul. Unde ad confirmationem

Reſpondeo in forma. Catholici Laicis miniſtrant Sacramentum incompletum, ſi nomine Sacramenti intelligatur id, quod eſt Sacramentum ſeu ſignum tantùm, Conc. Si intelligatur id, quod eſt res Sacramenti & Sacramentum ſimul, Nego. Cur autem Eccleſia unam ſpeciem Laicis concedat, dicemus, ubi de Communione.

Dices 2. Ibi eſt diverſum Sacramentum, ubi diverſa forma, & diverſa materia: atqui in Euchariſtia diverſa eſt forma, & diverſa materia: ergo.

Diſtinguo majorem. Ubi eſt diverſa forma in facto eſſe, Conc. In fieri, Nego majorem: Diſtinguo ſimiliter minorem; in Euchariſtia diverſa eſt forma & diverſa materia in fieri, Concedo. In facto eſſe, Nego min. Ut enim jam monui-

monuimus, forma consecratoria non est pars componens Sacramentum, sed est causa efficiens Sacramentum, seu conversionem panis & vini in corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, quæ duo simul juncta componunt Sacramentum integrum in facto esse, in quo corpus & sanguis Christi habent rationem formæ, cùm sit præcipua ejus pars, & magis significent refectionem spiritalem : species verò censentur veluti pars ejus materialis.

Q. 5. *Eucharistia estne unum vel multiplex numero Sacramentum?*

R. Distinguendum est : vel enim species ordinatæ sunt ad unam refectionem, v. gr. Sacerdotis, qui utramque speciem consecravit, vel ad plures refectiones, ut hostiæ in pyxide : si primum, Eucharistia est unum numero Sacramentum ; quia in hac hypothesi est unicum signum totale ejusdem gratiæ nutritivæ : si secundum, multiplex est numero Sacramentum, quia sunt plura numero distincta signa gratiarum numero distinctarum. Ex quo sequitur fore unum numero Sacramentum, si unus simul sumeret plures hostias consecratas ; quia esset unum signum formale unius refectionis.

Dices : si esset una & eadem substantia panis sub diversis accidentibus, esset unus numero panis : ergo cùm sit idem Christus sub diversis speciebus, erit unum numero Sacramentum.

Nego conseq. Disparitas est, quòd denominatio Sacramenti non repetatur à solo corpore Christi, sicut denominatio panis à sola substantia panis, sed à speciebus, quas diximus esse partem Sacramenti.

Q. 6. *Quæ quantitas panis aut vini requiritur ad Eucharistiæ confectionem?*

R. 1. Ad veritatem Sacramenti, sicut minima sufficit, modo sensu perceptibilis sit; sic maxima non officit: tum quia Christus nullam quantitatem determinavit: tum quia cum qualibet quantitate stare potest veritas formæ, modo censeatur sufficienter præsens, ut demonstrari possit.

Quidam tamen Thologi opinantur verba consecratoria super enormem panis quantitatem, qualis esse potest in macello, carere effectu; quia, inquiunt, Christus non dedit consecrandi potestatem in destructionem, sed in ædificationem. Verùm illa ratio nimis probat; sequeretur enim Sacerdotem non conficere quoties sua potestate abutitur contra Christi intentionem, quod est absurdum, aliàs condemnanda essent Sacrificia Sacerdotum sacrilegorum, & hostiæ ab ipsis consecratæ.

R. 2. Peccaret contra Christi intentionem & Ecclesiæ præceptum, qui sciens & volens majorem quantitatem consecraret, quàm requirat communicantium numerus. Constat ex citata Epistola sub nomine S. Clementis, distinctione secunda de consecratione, in qua sic legitur: *Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant:* & ex decretis summorum Pontificum, quibus damnant abusum Sacerdotum, qui uni & eidem plures formulas simul administrabant majoremque vini quantitatem in Calicem infundebant eo devotionis prætextu, quod ex diuturniori Christi præsentia in stomacho majorem fructum perciperent saltem ex opere operantis.

Q. 7.

Q. 7. *Requiriturne præsentia panis & vini ad confectionem Eucharistiæ?*

R. Requiritur. Hæ enim particulæ, *hoc*, *hic*, sensibiliter demonstrant rem præsentem, sicut particula *te*, in forma Baptismi & Pœnitentiæ. Ergo sicut non potest baptizari aut absolvi nisi persona præsens, sic nec consecrari materia absens.

Q. 8. *Quotuplex potest esse præsentia?*

R. Duplex, physica & moralis. Physica est, cùm aliquo sensu res attingitur, puta oculis vel manibus. Moralis, quando res etsi sensu non percipiatur actu, tamen in eo loco sita est, quo à consecrante sit perceptibilis & demonstrabilis, si non in se, saltem in aliquo ipsi conjuncto, aut ordinato ad illam continendam, sic in cumulo multarum formularum, si quæ sub aliis latitent; nihilominus censentur Sacerdoti præsentes, quia ingens hostiarum cumulus se habet per modum totius, quod re vera præsens est, etiam sensibiliter, licèt sensus singulas illius partes non attingat: quis negaverit, v. gr. quòd ostensa lagena aut crumena, moraliter non videatur vinum aut argentum inclusum?

Q. 9. *Quæ præsentia requiritur ad confectionem Eucharistiæ?*

R. Moralis sufficit; quia cum illa morali præsentia stat veritas formæ consecratoriæ, & sensibiliter demonstratur materia consecranda.

Ex his sequitur

1. Materiam ponè parietem non esse moraliter præsentem Sacerdoti ad Altare stanti. Idem dicendum videtur, si sit in tabernaculo conclusa; quia tabernaculum non est vas, sed locus se-

paratus, quo demonstrato non demonstratur id, quod in eo continetur inclusum.

2. Sacerdotem, qui habet duas hostias, dum putat se habere unam tantùm, utramque consecrare, cùm utraque sit ei moraliter præsens, velitque consecrare id, quod habet præ manibus.

3. Si ex oblivione non aperiatur pyxis super corporali reposita, ut monent Rubricæ Missalis, nihilominus hostiæ in ea conclusæ consecrantur; quia sunt moraliter præsentes Sacerdoti, pyxis enim est vas, quo demonstrato, demonstratur contentum

Dixi, *super corporali reposita*; Si enim extra remansisset, verbi gratia, ad cornu altaris, hostiæ non censerentur consecratæ, non quidem defectu præsentiæ, sed intentionis in Sacerdote; siquidem in illa hypothesi neque esset intentio interior etiam virtualis, cùm Sacerdos nunquam voluerit consecrare illas hostias contra Ecclesiæ vetitum, neque exterior, quia ne quidem exteriùs Sacerdos facit, quod facit Ecclesia, nec judicant circumstantes eum velle tali in hypothesi consecrare. Idem dicendum de vini guttis, quæ casu super calicis pedem ceciderunt.

4. Et si præscribant rubricæ, ut Sacerdos parum inclinatus consecret, indecens tamen est & contra reverentiam mysteriis nostris debitam, ut os admoveat ad materiam consecrandam; & tanto conatu verba consecrationis pronuntiet interponendo morulas ad singula verba, *hic . . . . . . est . . . . . calix*, ut suo halitu contingat, & inficiat res oblatas, non sine aliqua intuentium offensione.

CA-

CAPUT V.

Qualis panis, & quale vinum est materia Eucharistiæ?

R. Panis confectus ex farina triticea, aqua naturali diluta, & ad ignem cocta, vinum quoque de vite, & expressum ex uvis maturis & integris, est necessaria Eucharistiæ materia.

Probatur 1. ex Scriptura, ubi Christus instituens Eucharistiam, panem & vinum usurpavit: qualia erant tunc temporis in usu aqud Judæos, atqui apud Judæos non erat alius panis simpliciter dictus & ad usum communem, neque aliud vinum: ergo.

Probatur 2. Ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ nunquam Eucharistiam nisi in pane triticeo, & vino de vite celebravit, ut patet tum ex Decreto Eugenii IV. tum ex actione tertia Concilii Chalcedon. anno 450. ubi Ischirion exponit adversùs avaritiam Dioscori Episcopi Alexandrini, Sacrificium in Lybia non fuisse oblatum, defectu frumenti, tum ex pluribus aliis Conciliis, à quibus prohibitum est, ne pro materia Eucharistiæ aliud usurpetur quam quod à Christo traditum est, panis scil. & vinum.

Probatur 3. Quia sicut materia Baptismi est sola aqua simpliciter dicta; sic materia necessaria Eucharistiæ est panis & vinum, quæ his nominibus simpliciter & communiter designantur: atqui panis triticeus & vinum de vite sunt hujusmodi; alius vero panis, & aliud vinum impropriè & cùm addito ita vocantur v. gr. panis ex hordeo con-

fectus non dicitur ſimpliciter panis ſed panis hordeaceus, Joan. 6. v. 9. Ergo.

S. Thomas tamen q. 74. art. 8. ad ſecundum, exiſtimat panem ſiligineum eſſe materiam ſufficientem; quia ſiligo naſcitur ex frumento, nec ab eo eſſentialiter differt. Idipſum Eſtius de hordeo ſentit in quartum diſtinct. 8. cap. 6. Verùm cùm Euchariſtia non ſit Sacramentum ad ſalutem abſolutè neceſſarium, nunquam licet uti hujusmodi materiis dubiis.

Sequitur 1. ex dictis materiam non eſſe Euchariſtiæ aptam 1. Maſſam crudam, uvas nondum compreſſas; quia licet maſſa cocta, & ſuccus ex uvis expreſſus ſubſtantialiter non differant à maſſa cruda, & à ſucco nondum expreſſo; tamen non ſunt moraliter quid idem; nec maſſa cruda, aut uva dici poteſt panis, aut vinum. 2. Neque farinam aqua roſeacea, aut alio liquore dilutam, quia ex illa non fit panis, ſed placenta. 3. Neque ſuccum ex uvis immaturis expreſſum, quia non eſt vinum, ſed omphacium, gallicè *verius*, neque ex uvis corruptis ſeu decoctis aut ſiccatis propter eandem rationem.

Sequitur 2. Muſtum eſſe materiam ſufficientem; quia propriè eſt vinum, ſed impurum; quare extra neceſſitatem aſſumi non debet.

Circa vinum congelatum non conveniunt Theologi. Probabilior nobis videtur eorum ſententia, qui affirmant eſſe materiam validam, modò tanta congelatio non ſit, ut ſpeciem ſolvat, & ratio eſt quia vinum congelatum retinet naturam & proprietates vini, adeout ſi ſpecies conſecratæ congelaſcant, ſub iiſdem remaneat Sanguis Chriſti Domini.

Nec

Nec dicas aquam congelatam non eſſe materiam ſufficientem Baptiſmi. Nam ablutio, quæ non poteſt eſſe, niſi aqua actu fluat, eſt materia eſſentialis, & proxima Baptiſmi; potatio verò actualis nullatenus pertinet ad eſſentiam Euchariſtiæ, ut conſtat ex capite præcedenti, & videre eſt in ſpeciebus poſt conſecrationem congelatis, quæ habent rationem Sacramenti, quamvis ùt ſic potabiles non ſint, in praxi tamen obſervandum eſt, quod monent rubricæ, nempe ubi contingit vinum congelari ante conſecrationem, liquefaciendum eſſe, antequam verba conſecrationis proferantur.

CAPUT VI.

Utrum panis Euchariſticus debeat eſſe fermentatus, aut azymus?

R. Græci, duce Michaele Cærulario Patriarcha Conſtantinopolitano, ducentis ferè annis ab ortu ſchiſmatis per Photium inducti, hoc eſt, undecimo ſæculo, anno ſcilicet 1653. litem moverunt Latinis, quòd in pane azymo conſecrarent, contenderuntque azymum non eſſe panem. Unde Jacobus Sirmondus è Societate Jeſu, in diſquiſitione de azymo anno 1652. infert uſum azymorum in Eccleſia Latina non obtinuiſſe, niſi poſt ortum Photianum ſchiſma circa annum 886. cui ſententiæ ſuffragatur ex parte Cardinalis Bona libro 2. de rebus liturgicis cap. 23. anno 1672. aliàs, inquiunt Photius, qui leviſſima Latinis objicit, non ſiluiſſet in re gravioris momenti. Verùm multa ſuadent uſum azymorum fuiſſe in Eccleſia

clesia Latina frequentem ante Photii tempora; nam Rabanus Maurus, qui obiit anno 856. libro 1. de Institut. Clericorum cap. 33. probat exemplo Christi Domini panem Sacrificii debere esse absque fermento. Idem ante eum præstitit Alcuinus Epist. 90. Leo verò IX. epist. 6. ad Michaelem Cerularium scribit Ecclesiam Romanam usum azymorum ab Apostolis sumpsisse: *quis non stupeat*, inquit, *quod post tot sanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti à Passione Salvatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti?* Certè Leo IX. non erat ita remotus à tempore Photii, ut ignoraverit mutationem, quam in illo temporis intervallo Sirmondus factam præsumit: ergo si quæ in hac re facta est mutatio in Ecclesia Latina, necesse est antiquissimam credere. Quidquid sit, lis consopita est anno 1438. in Concilio Florentino in quo Ecclesia Latina & Græca declararunt panem sive azymum, sive fermentatum esse materiam Eucharistiæ idoneam: *Definimus insuper*, inquiunt Patres, *in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altari ipsum Corpus Domini conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Quod autem præceptum illud grave sit, colligitur ex cap. *Literas*, de celebratione Missarum, ubi privatur Sacerdos Latinus officio & beneficio, qui in fermento celebraverat.

Novatores agnoscunt quidem azymum esse materiam Eucharistiæ sufficientem, sed contendunt fermentatum panem esse convenientiorem; testatur tamen Casaubonus exercitatione 16. in Ann. Baronii, Genevenses abdicatum

à se

à ſe panem azymum anno 1540. in uſum revocaſſe.

Q. 3. *Quare panis fermentatus eſt idonea materia Euchariſtiæ?*

R. Quia eſt verus panis omnium judicio, colligiturque ex cap. 2. Actuum Apoſtolos eo aliquando fuiſſe uſos: communis enim eſt SS. Patrum & interpretum ſententia intelligendum eſſe de Euchariſtia quod verſ. 42. legitur, *erant ... perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus;* panis autem ille erat obvius & in uſu apud Judæos, qualis eſt fermentatus.

Dices 1. ex Apoſtolo, 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit:* ergo.

Diſt. ant. Ad mentem Apoſtoli fermentum allegoricè ſumptum pro peccato, quod totam inficit animam, Concedo: Fermentum propriè ſumptum, ſubdiſtinguo; corrumpit, id eſt, immutat accidentaliter, quemadmodum modicum ſalis, quod in nonnullis regionibus condiendæ maſſæ admiſcetur, Concedo: Corrumpit ſubſtantialiter, Nego anteced. Apoſtolus itaque eo loci allegoricè peccatum vocat fermentum, *Epulemur*, inquit, ... *non* ..... *in fermento malitiæ & nequitiæ.*

Dices 2. Solus ille panis eſt idoneus, quem Chriſtus Dominus in ultima cœna uſurpavit: atqui ex dicendis Chriſtus uſurpavit panem azymum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Ergo.

Diſtinguo major. Solus panis quoad ſubſtantiam, Concedo: Quoad accidentia, Nego majorem. Chriſtus enim non præcepit omnes circumſtan-

cumstantias ultimæ cœnæ : v. gr. quòd cœnam Eucharisticam cœna communis præcedere debeat, quòd vinum rubrum aqua dilutum ex ejus mandato offerendum sit, in hypothesi, quòd tali vino fuerit usus. Unde Algerus lib. 2. de Sacramento corporis & Sanguinis Domini cap. 10. *Eo pane usus est, non quia res, quæ fiebat, id exigebat, sed quia cœna, in qua hoc factum est, alium panem non exhibebat.*

Q. 3. *Quare panis azymus est valida Eucharistiæ materia?*

R. Quia ex dictis & ex omnium consensu materia Eucharistiæ est panis verus & simpliciter dictus: atqui constat tum Scriptura, tum universalis Ecclesiæ Traditione, tum Christi Domini exemplo azymum esse panem verum, & simpliciter dictum: ergo.

Prima pars minoris quoad scripturam probatur ex cap. 21. lib. 1. Regum, ubi panes propositionis, qui erant azymi, teste Josepho lib. 3. Antiquit. cap. 9. dicuntur simpliciter panes, & ex c. 24. Lucæ, ubi agnitus est Christus in fractione panis ipso die Resurrectionis, quo non erat panis fermentatus apud Judæos propter festum azymorum.

Dices: panis simpliciter dictus est ille, quo vescuntur homines: atqui homines non solent vesci azymo, sed fermentato; unde apud Græcos panis ἀρτὸς dicitur, ex eo quòd per fermentum elevetur: ergo,

Nego major. Nam vinum purum est potus simpliciter dictus, sicut & cibus carnes assatæ, non consperso sale, quamvis homines non soleant bibere nisi vinum aqua temperatum, aut carnes

nes comedere nisi sale conditas. Esto, Græci panem denominent ab illa elevatione, quæ fit per fermentum, certum est non tam nominis etymologiam, quàm usum & acceptionem debere attendi, in textu autem Græco panis azymus dicitur Deuter. 16. ἀρτὸς: *Illud quoque*, ait Cardinalis Humbertus ad objecta Cærularii respondens, *quòd azymum negantes panem esse, per etymologiam ejus nominis, quod est artos, conamini nos vincere, sciatis omnino vanum & puerile, quia & à linguarum peritis diversæ etymologiæ dantur ex uno nomine secundum humanum placitum magis, quam secundùm rerum naturam.*

Secunda pars minoris ostenditur, nimirùm Ecclesiam semper habuisse azymum pro vero pane. Enimverò Ecclesia, alioquin solicita ne quid in Sacrificio offeratur præterquam quod à Domino constitutum est; nunquam damnavit eos, qui in azymo confecerunt, sicut eos, qui in aqua sola aut caseo; sed liberum reliquit usum vel fermentati, vel azymi, secundùm varios populorum mores, & rerum occurrentium exigentiam. Sic in Oriente consecrant in azymis. 1. Maronitæ, ex Morino præfatione in ordinatione Maronitarum. 2. Armeni, ex Demetrio Cizyceno in tractatu de Jacobitarum hæresi, quem Combeficius juris publici fecit. 3. Ecclesia Jerosolymitana, ex Cardinali Humberto apud Baronium tom. 11. 4. Alexandrino, ex Michaele Cerulario apud eundem Baronium. Probabile est etiam Græcos primis sæculis azymum usurpasse: tum quia antiqui eorum Patres, ut Origenes tract. 35. in Matth. S. Chrysostomus homil. 81. 82. & 83. in Matth. & alii docent Christum Pascha celebrasse ritu per legem

legem præscripto, ac proinde in azymis, tum quia nullum habemus antiquius testimonium pro usu panis fermentati apud Græcos, quàm quod scribit Joannes Philoponus sexto labente sæculo in disputatione de Paschate: tum denique quia Halensis 4. parte de Eucharistia q. 10. S. Thomas 4. dist. 11. q. 2. & alii Veteres Scholastici scripserunt non tamen satis firmo fundamento, Ecclesiam Latinam & Græcam fermentatum, rejectis azymis, usurpasse in odium hæresis Ebionitarum, qui contendebant legem simul cum Evangelio esse observandam, atque idcircò azymos panes in conficiendis mysteriis adhibebant; sed post extinctam hæresim, Græcos retinuisse fermentum: Latinos verò rediisse ad priorem azymorum usum, quem tamen non ita fuisse constantem multis argumentis probat Cardinalis Bona opere supra cit. quin identidem promiscuè usi sint pane fermentato & azymo usque ad octavum, vel nonum sæculum.

Dices, Canon septimus ex iis, qui dicuntur Apostolorum, & canon. 12. Concilii Trullani prohibent comedere Judæorum azyma. Sanctus Epiphanius hæresi 30. reprobat Ebionitarum Pascha in azymis celebratum. Denique Concilium Nicænum primum prohibuit, ne Christianorum Pascha celebraretur decima quarta luna more Judæorum, qui in azymis suum Pascha peragebant. Ergo Eucharistia in pane azymo non est conficienda.

Dist. ant. Reprobatur usus azymorum more Judæorum, & ex præscripto legis veteris, quasi legalia essent cum Evangelio observanda, ut contendebant Ebionitæ, Concedo: reprobatur absolutè

ſolutè, Nego ant. Solutio patet ex ipſa lectione Canonum. Concilium verò Nicænum ſtatuit præcisè Paſcha celebrandum non die decima quarta lunæ, ſed Dominica proximè ſequente. Utrum autem in azymo aut in fermentato pane, non determinat.

Tertia pars minoris, ſcilicet Chriſtum Dominum conſecraſſe in azymo, atque ideo hunc panem eſſe convenientiorem Euchariſtiæ materiam, conſtat ex tribus Evangeliſtis, qui referunt Chriſtum Paſcha comediſſe prima die azymorum; *Prima . . . die azymorum*, inquit Matth. cap. 26. v. 17. *acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Similia leguntur apud Marcum c. 14. v. 12. & apud Lucam c. 22. v. 7. Porrò in ſolemnitate azymorum, quæ per ſeptem dies celebrabatur Exodi 12. prohibitum erat fermentatum panem non ſolum comedere, ſed & in domibus retinere, ad quam legem alludens Apoſtolus ſcribit 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum . . . . . etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; itaque epulemur, non in fermento veteri. . . . . ſed in azymis ſinceritatis & varitatis.* Quibus verbis monet Apoſtolus neceſſarium eſſe, ut veritas figuræ reſpondeat; Judæi in figura agnum immolabant decima quarta luna Martii, qui erat primus eorum menſis, ejusque carnes cum pane azymo comedebant; Chriſtiani verò Chriſtum verum Paſcha immolant: epulentur ergo in azymis veris, ſeu ſinceritatis & veritatis, hoc eſt, in innocentia & puritate cordis, non verò in fermento malitiæ.

Nec dicas cum Græcis, aut Chriſtum prævenisse tempus à lege præſcriptum, & ante Judæos

R. 1. Abſit ab homine Chriſtiano tanta blaſphemia, ut dicat Sanctos Evangeliſtas Spiritu Sancto afflatos contradictoria ſcripſiſſe, quamquam infidelis, qui Evangelium non ut verbum Dei acciperet, trium teſtimonium præferendum decerneret unius teſtimonio. Sed facilè conciliantur Sancti Evangeliſtæ, ſicut & textus capitis 12. Exodi, ubi primus dies azymorum eſt decimus quartus, & Levit. 23. decimus quintus, ſecundùm diverſam rationem numerandi dies. Quare,

R. 2. Diſt. ant. Ante diem Paſchæ naturalem Concedo : legalem, Nego ant. Dies naturalis numeratur à media nocte ad aliam mediam noctem. Legalis verò incipit veſpere diei præcedentis & deſinit veſpere ſubſequentis, *à veſpera usque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*, Levit. 23. v. 32. Legalis ergo dies azymorum incipiebat die decimo quarto ad veſperam, quo Chriſtus Dominus novum Paſcha, vetere expleto, inſtituit ; *primo menſe quarta decima die menſis*, *ad veſperam comedetis azyma uſque ad diem viceſimam prima ejuſdem menſis ad veſperam*, Exod. 12. verſ. 18. Naturalis verò dies azymorum initium ducebat à media nocte ſubſequente diem decimum quartum naturalem, hoc eſt, die decimo quinto, ut habetur Levit. 23. v. 6. *quinta decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt* ; atque hoc numerandi modo Chriſtus Paſcha celebravit ante diem feſtum Paſchæ, id eſt, ante primum diem naturalem azymorum ; tota enim azymorum ſolemnitas Paſcha dicebatur, id eſt tranſitus, quia erat ſolemnis memoria egreſſus filiorum Iſrael ex Ægypto. Sed ne noſtra videamur proferre, audiatur S. Auguſtinus epiſt. 36. aliàs 86. c. 13. in qua ſic

ſcribit :

ſcribit: *Traditus eſt* (Chriſtus) *ea nocte, quæ...... ad ſextam Sabbati, qui dies Paſſionis ejus manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit à veſpera incipiens. Sed Matthæus Evangeliſta quintam Sabbati dicit fuiſſe primam... azymorum; quia ejus veſpera ſequente futura erat cœna Paſchalis, qua... incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari.* Similia habent alii Patres non ſolùm Latini, ut S. Hieronymus in cap. 26. Matth. ſed & Græci, ut Theodoretus, Theophylactus & ante eos S. Chryſoſtomus hom. 84. in Matth. ad illa verba Matth. 26. v. 50. *Et manus injecerunt in eum, ipſa nocte,* inquit, *in qua comederunt Paſcha, tanta inſania tantoque furore agitabantur.* Ideo autem tres Evangeliſtæ ſecuti ſunt computum dierum legalium potiùs, quàm naturalium, quia cùm ſuſcepiſſent enarrare Chriſtum ſubſtituiſſe novum Paſcha veteri, veritatem figuræ, quod prætermiſit Sanctus Joannes, propoſitum illorum poſtulabat, ut diligentiùs obſervarent verum Agnum fuiſſe immolatum eo tempore, & in iisdem circumſtantiis, in quibus typicus juxta præſcriptum legis mactabatur.

R. 3. Per Paſcha, quod Judæi feria ſexta erant comeſturi, non neceſſariò intelligendum agnum Paſchalem; Paſcha namque in Scripturis triplex ſumitur, 1. pro tota ſolemnitate Paſchali, quæ ſeptem diebus celebratur: *Eſt autem conſuetudo vobis,* ait Pilatus Joan. 18. v. 37. *ut unum dimittam vobis in Paſcha,* hoc eſt in feſto Paſchæ, 2. pro agno Paſchali, de quo Apoſtoli Matth. 26. v. 17. *ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* 3. pro victimis, quæ ſingulis diebus Paſchalibus offerebantur, de quibus Deut. 16. *immolabis....... phaſe*

Domino Deo tuo de ovibus & de bobus. Et 2. Paralip. 35 *dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos.* Propter hoc Pascha manducandum noluerunt Judæi ingredi in Prætorium; nam agnum Paschalem immolaverant ad vesperam diei præcedentis, ex S. Marco, nisi cum Sancto Chrysostomo cit. hom. 85. excipias Principes, qui unicè intenti, quomodo Christum comprehenderent, immolationem agni ad feriam sextam distulerunt.

Ad momenta autem, quæ ad confirmandam objectionem allata sunt, facilis est responsio.

Ad primum, primus dies azymorum secundùm computum dierum naturalium est decimus quintus, ex cap. 23. Levit. secundùm verò computum dierum legalium incipit die decimo quarto ad vesperam, ut habetur Exodi 12. v. 18. his verbis: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.*

Ad secundum mos ille non celebrandi duos festos dies continuo, est inductus à Rabbinis Thalmudicis post quadraginta annos à nativitate Christi; de illa enim translatione festorum nihil prorsus habetur in Scriptura sacra, neque apud Philonem & Josephum, qui scripserunt de rebus Judaicis circa Apostolorum tempora: imò ipse Josephus lib. 3. cap. 16. refert festum Pentecostes celebratum fuisse tempore Hircani die Sabbatum proximè sequente; & S. Epiphanius Judæus genere testatur hæresi 51. & 60. quolibet die etiam feria sexta celebrari azyma, quod etiam colligitur ex controversia orta Catholicos inter & Quartodecimanos, & in Concilio Nicæno terminata;

nata; hi enim ideo contendebant Pascha semper esse celebrandum decima quarta luna, quia Judæi eo die & non alio agnum typicum immolabant.

Nec obstat quod primo die azymorum omne opus servile prohibeatur, Levit. 23. Nam Exodi 12. v. 16. excipiuntur quæ ad vescendum pertinent; illa siquidem præparabantur tam pro ipsomet die festo, quàm pro Sabbato; si continuò sequeretur, quia Sabbatò nequidem ignis accendebatur, unde feria sexta Parasceve dicitur. Quòd autem Christus crucifixus sit die festo, docent communiter SS. Patres: *Oportuit*, inquit S. Leo, *tam insigne Sacrificium de die solemni offerri*, colligiturque ex cap. 27. Matth. ubi sic legitur, *per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent.* Sed contra spem Præsidis seditiosum & homicidam petierunt, Deo id permittente, ne peccator morte sua eum redimere videretur, qui pro peccatoribus liberandis venerat moriturus. Neque verò conscientia religionis, sed metu seditionis Pontifices dixerant, *non in die festo.* Quamquam excusatos forte se credebant; tum quia non ipsi, sed Gentiles, qui legibus Synagogæ non tenebantur, ferale illud opus perfecerunt; unde vox illorum fuit, *nobis non licet interficere quemquam*, qui tamen postea lapidaverunt Stephanum: tum quia blasphemum, qualem arbitrabantur Christum, quolibet die occidi posse colligebant ex cap. 15. Numerorum.

Ad tertium, 1. communis quidem opinio est quam S. Leo & alii deinceps Scriptores Ecclesiastici amplexi sunt, Spiritum Sanctum missum fuisse die Dominica, sed omnino certum non est. 2. cum anno Passionis Domini dies secunda azymo-

rum incideret in Sabbatum, quo non licebat metere ſpicas, expectanda fuit dies tertia azymorum, quæ eſt Reſurrectionis Dominicæ, quam præfigurabat elevatio manipuli & novorum fructuum oblatio; ſicque numerando ſeptem hebdomadas à die Sabbati & quinquageſima dies erit Dominica.

Suadetur autem hæc reſponſio 1. ex Scriptura Levit. 23. v. 15. ubi non legitur numerabitis à ſecundo die azymorum, ſed ab altero die Sabbati, quaſi indicetur, quòd ſi ſecundus dies incidat in Sabbatum, numerandum ſit à tertio die, quia minus licebat falcem mittere in ſegetem die Sabbati, quàm primo die azymorum. 2. ex aliis verſionibus; Chaldaica enim habet, *poſt diem feſtivitatis*. Arabica, *in craſtina die otii ſeu ceſſationis*. Theologi non pauci exiſtimant numerandas ſeptem hebdomadas à ſecunda die azymorum excluſivè, ita ut prima dies primæ hebdomadæ ſit tertia dies azymorum, qua reſurrexit Dominus, ſicque Pentecoſte incidit in ſimilem diem Dominicam. Supponit hæc ſententia licitum fuiſſe Sabbato metere ſpicas, ſicut & alia pietatis opera exercere, circuncidere infantem, infirmos curare, Matth. 12. & mortuos ſepelire; Tobiæ 2. unde Joſeph ab Arimathæa Corpus Domini aromatibus conditum poſuit in monumento prima die azymorum, quæ erat feſtiva.

Dices 2. ex c. 13. Joannis Chriſtus Dominus cœna facta ſurrexit è menſa, lavit pedes Apoſtolorum, & recubuit, tumque Euchariſtiam inſtituit. Ergo agnum Paſchalem non immolavit; Judæi enim ſtantes eum comedebant, Exod 12.

R. 1. Etiamſi non immolaſſet, certum eſt ex tribus Evangeliſtis ipſum Euchariſtiam inſtituiſſe prima

prima die azymorum, qua usus panis fermentati prohibebatur, 2. licet Judæi in Ægypto agnum stantes comederint, non constat eandem cæremoniam deinceps fuisse observatam. 3. ubi agnus non sufficiebat omnibus reficiendis, cœnam usualem & communem parabant, in qua recumbere erat licitum: ita S. Chrysostomus hom. 51. in Matth.

Triplicem ergo cœnam Evangelium exhibet. Prima erat legalis, in qua Christus Dominus, & Apostoli stantes agnum comederunt absque ullo jusculo aut obsonio, quæ prohibentur Exodi 12. Secunda, communis, in qua recubuerunt, & appositum est obsonium, in quo Christus buccellam intinxit. Tertia, Eucharistica.

Dices 3. ex Origine tract. 35. in Matth. & S. Epiphanio hæresi 50. Christus Dominus mortuus est decima quarta luna. Ergo.

R. Originem intelligendum de initio Passionis, quæ reverà cœpit decima quarta luna: tunc enim Christus fuit traditus, comprehensus, & ut loquitur ille auctor, immolatus: Sanctum verò Epiphanium velle solum Christum in agno Paschali fuisse typicè immolatum.

Opponunt nonnulli è Latinis pro sententia Græcorum Chronicon S. Petri Alexandrini, & tabulas astronomicas. Sed Chronicon illud est suppositum opus, ut colligitur vel ex vocibus ὁμέσιον, & θεότωκον ab ætate S. Martyris alienis. Ex tabulis verò astronomicis fatentur omnes periti nihil certi erui posse, cùm Scriptores Ecclesiastici nequidem de anno Passionis Domini inter se conveniant. Denique contra dubia, quæ ex Noviluniis oriri possunt, utrùm scilicet Judæi ea

numeraverint ex prima conjunctione Lunæ cum Sole, an vero ex ejus apparitione, unde ſequitur eos vel citiùs vel tardius Paſcha celebraſſe; noſtram ſententiam confirmant tres Evangeliſtæ oculati teſtes, quòd Chriſtus Paſcha comederit prima die azymorum, cùm Judæi illud immolabant, & neceſſe erat illud occidi.

Q. 4. *Panis Euchariſticus fuitne ſemper ſingulari ſtudio præparatus?*

R. Primis Eccleſiæ temporibus panes obvii aſſumebantur, ut colligitur ex c. 2. Act. v. 42. & 46. Concilium autem Toletanum anno 693. arguit Presbyteros, qui ex quolibet pane cruſtulam in rotunditatem præciſam offerebant, ſtatuitque *ut non aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus.* Teſtatur Fortunatus ſanctam Radegundem Reginam ſexto ſæculo oblationes ſuis manibus factas ſacris locis diſpenſaſſe, & Cardinalis Humbertus ſcribit contra Michaelem Cerularium, altaris Miniſtros ſacris veſtibus amictos, inter Pſalmorum decantationes panem Euchariſticum confeciſſe, quod etiamnunc in Oriente Neſtoriani dicuntur obſervare. S. Carolus in IV. Mediolanenſi parte ſecunda c. *de his quæ pertinent ad Miſſarum ſolemnia*, prohibet ne Laici hunc panem præparent. In Ordine Sancti Benedicti ſeligebantur frumenti grana, & fideli fratri molenda committebantur, teſtibus Lanfranco cap. 3. Decreti Sancti Benedicti, & Uldarico lib. 3. Conſtitut. Cluniac. cap. 13.

Figuram orbicularem indicat S. Epiphanius in Ancorato num. 56. unde S. Gregorius lib. 4. Dialog. hoſtias vocat *coronas.* Sed cum panis integer & ſo-

& solitus pridem offerretur, undecimo sæculo ad formam nummi tenuissimam redactus est, de quo nonnulli conquesti sunt.

CAPUT VII.

Utrùm aqua vino sit admiscenda.

Armeni, ne videantur significare, inquit Nicephorus lib. 18. hist. cap. 53. unionem duarum in Christo naturarum, quam negant utpote Eutychiano errore imbuti, jam pridem vinum purum sine aqua offerunt; hunc enim abusum in ipsis reprehendit Concilium Trullanum anno 691. can. 32.

Lutherus scribens contra Henricum Angliæ Regem anno 1522. hanc mixtionem aquæ cum vino figmentum esse humanum contra Christi institutionem, ac pessimam habere significationem calumniatus est.

Kemnitius in parte examinis Concilii Tridentini docet eandem mixtionem rem esse indifferentem, quæ nec recipi debet, nec prohiberi, & hæc videtur esse nunc sententia Lutheranorum & Calvinistarum.

S. Bernardus Epist. 69. ad Guidonem, innuit sua ætate quosdam asseruisse aquam ita necessariò in calice miscendam, ut sine illa mixtione nulla sit consecratio.

Alexander Halensis 4. parte, q. 12. scripsit aquam necessariam esse necessitate non quidem Sacramenti, sed præcepti divini. Hunc secuti sunt Hosius cap. 14. Confessionis, & Alphonsus à Castro, hæresi 7.

R. Aquæ

R. Aquæ mixtio necessaria est ex præcepto Ecclesiæ. Ita Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. his verbis : *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Atque hujusce ritus triplicem subdit rationem, 1. quia Christum Dominum ita observasse creditur. Creditur, inquam, pia quadam credulitate, non fide divina : id enim revelatum fuisse non constat, ut advertit Durandus in quartum dist. 9. quæst. 5. 2. quia è latere Domini aqua simul cum sanguine fluxit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. 3. quia sic populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. Tandem can. 9. ejusdem sessionis, quid circa propositam quæstionem credendum sit, definit his verbis : *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit.* Ubi concilium non attingit diversas Theologorum sententias circa exemplum Christi, & aquæ miscendæ necessitatem, sive Sacramenti, sive præcepti Divini aut Ecclesiastici, sed solum Novatorum calumnias impetit definiens præcisè non esse contra Christi institutionem, quòd in Missa nonnulla submissè proferantur, quòd alia lingua, quàm vulgari ritus sacrificii peragatur, & quòd aqua vino admisceatur. Enimverò sicut ex hoc canone non licet sic inferre; ergo de fide est quædam in Missa submissè debere proferri, aut alia lingua, quàm vulgari Mysteria nostra esse celebranda ; hæc enim illatio falsa est, & contra Con-

Concilii mentem; similiter malè concluderetur ex his Concilii verbis: Ergo de fide est aquam vino esse miscendam; sed inferendum est: Ergo de fide est aquam vino miscere non esse contra Christi institutionem.

Probatur hæc Concilii definitio ex universalis Ecclesiæ praxi. Illud enim catholicum censendum, quod semper, quod ab omnibus & ubique servatum, ex Vincentio Lyrinensi; neque est immissum, sed traditum, ex Tertulliano lib. de præscript. & contra illud disputare insolentissimæ est insaniæ, ex S. Augustino: atqui mixtio aquæ & vini in calice Eucharistico semper, ubique & ab omnibus est observata: Ergo.

Minor probatur 1. ex Sanctis Patribus. S. Justinus Apolog. 2. testatur hanc fuisse praxim sui sæculi, nempe secundi: *Affertur*, inquit, *præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus.* S. Irenæus initio tertii sæculi sic scribit lib. 4. cap. 57. *accipiens Dominus panem, suum corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* S. Cyprianus eodem mediante sæculo, totus est in epist. 63. ut probet contra Aquarios, nec vinum purum, nec aquam puram, sed utrumque mixtum esse offerendum. *Dominica traditio*, inquit, *servetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix .... mixtus vino offeratur.* Sanctus Hieronymus in cap. 14. Marci, eidem veritati suffragatur, *forma*, (Christus) *sanguinem suum in calice vino & aqua mixtis.*

Probatur 2. ex Conciliis: Carthaginense tertium anno 397. c. 24. sic habet: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua*

mixtum. Trullanum seu Quinisextum anno 692. canone 32. *Si quis*, inquit contra Armenos, *Episcopus vel Presbyter non secundùm ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino non miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfectè mysterium enuntians, & quæ tradita sunt, innovans.* Patres Concilii Triburiensis nono sæculo celebrati c. 19. hæc habent, *cujus rei veritatem* (scilicet ab Apostolis traditum fuisse ritum, de quo agitur) *in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus ne ullus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra perficiat.*

Probatur 3. ex omnibus Liturgiis, S. Petri apud Latinos, Sancti Jacobi apud Jerosolymitanos, S. Marci apud Alexandrinos, Sanctorum Basilii & Chrysostomi apud Græcos, in quibus sicut & in Æthiopica præscribitur illa mixtio. Unde Eugenius in suo Decreto pro Armenis, ita loquitur anno 1438. *Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia à beatis Apostolis Petro & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, & modò servent, inconveniens admodum videtur, ut quævis alia Ecclesia ab hac universali & rationabili discrepet observantia: decernimus, ut ipsi etiam Armeni cum universo Christiano orbe se conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant.* Immerito itaque Innocentius III. lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 32. Guido Carmelita in cat. hæresum, & alii Græcos accusant quasi vino calicis aquam non misceant; imò legimus ad calcem Concilii Florintini eos satisfecisse Latinis, objicientibus quod bis aquam infunderent, frigidam scilicet ante consecrationem, & calidam post consecrationem.

Dices;

Dices; vinum aqua mixtum in Scriptura, ut Iſaiæ 1. peſſimam habet ſignificationem: ergo vitanda eſt illa mixtio.

Diſtinguo anteced. aliquo ſenſu, Concedo, omni ſenſu, Nego anteced. & conſeq. Licet enim fermentum aliquando ſignificet malitiam 1. Cor. 5. aſſumitur tamen à Chriſto Domino, Matth. 13. ad deſignandum alio ſenſu regnum cœlorum. Item Leo eſt ſymbolum crudelitatis & tyrannidis in Sedecia, fortitudinis verò in Chriſto Domino, qui idcircò dicitur Leo de Tribu Juda: ſimiliter vinum aqua mixtum ſignificat judiciorum corruptelas in optimatibus Juda, ſobrietatem & temperantiam in Chriſto Domino, ſicut in quolibet ſapiente; unionem fidelium cum ſuo capite Chriſto in Miſſæ ſacrificio.

Q. 2. *In qua quantitate aqua miſcenda eſt?*

R. Capite *Perniciosſus*, tit. 41. de celebratione Miſſarum, perſtringuntur qui plus aquæ quàm vini offerebant; *cum ſecundùm rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus ..... ſit de vino quàm de aqua ponendum.* Ex Concilio Triburienſi nono ſæculo cap. 19. aqua non debet tertiam calicis partem excedere. Eugenius IV. in ſuo decreto monet modiciſſimam eſſe admiſcendam, quod etſi in praxi ſervari debeat, probandi tamen non ſunt illi Sacerdotes, qui unam guttulam infundunt.

Q. 3. *Mixtio aquæ pertinetne ad eſſentiam Sacramenti, aut ſaltem ad ejus integritatem, quemadmodum ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ?*

R. Minimè, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione illa neceſſitas colligitur, imò Sancti Patres

Patres & Concilia non obſcurè contrarium docent; nam S. Cyprianus laudata epiſt. 63. ſic habet: *Si vinum .... quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Ergo ſine aqua valida eſt conſecratio. S. Bernardus de Sacerdote, qui per negligentiam aut oblivionem aquam non miſcuerat, ſcribit epiſt. 69. *Non nego panem & vinum aquæ mixtum debere apponi, ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam.*

Patres Concilii Trid. cap. 7. ſeſſ. 22. & ante eos plures Summi Pontifices relati tit. de celebratione Miſſarum; docent aquam miſceri ex canonum ordinatione, & Eccleſiæ præcepto. Hanc doctrinam expreſſe tradit Catechiſmus Romanus 2. p. num. 17. his verbis: *Quamvis aquæ miſcendæ ita graves rationes ſint, ut eam ſine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen ſi deſit, Sacramentum conſtare poteſt.* Idem notatur in Rubricis Miſſalis Romani, tit. de defectibus vini. *Si celebrans ante conſecrationem calicis advertat non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam .... ſi id advertat poſt conſecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti:* addo, neque de ejus integritate & ſubſtantia; aliàs poſt conſecrationem videretur adhibenda, quemadmodum Sacerdos, qui in tribunali Pœnitentiæ ſatisfactionem non impoſuit ante abſolutionem, debet ſupplere quod omiſſum eſt, ſi pœnitens non receſſerit.

Ex quibus ſequitur mixtionem æquæ non eſſe præcepti divini; ſed Eccleſiaſtici tantùm. Quæ enim Chriſtus obſervanda præcepit in Sacramentorum adminiſtratione, illa ad Sacramenti ſubſtantiam & integritatem pertinent: atqui ex dictis illa

mixtio

mixtio non pertinent ad integritatem Euchariſtiæ. Ergo Chriſtus eam non præcepit.

Dices 1. ex Sanctis Patribus & Conciliis mixtio aquæ à Chriſto eſt tradita : Ergo.

Diſtinguo ant. ut ſupra de azymo pane, à Chriſto tradita eſt velut exemplum, quod ſequi liceat, Concedo; velut legis neceſſitas, Nego ant.

Dices 2. Omne Sacramentum novæ Legis eſt ſignum gratiæ, quam efficit : atqui aqua quæ in calice miſcetur, eſt ſignum unionis populi cum Chriſto, quam efficit Euchariſtia : Ergo.

Diſtinguo min. eſt ſignum ſecundarium ſeu accidentale, & ab Eccleſia inſtitutum ; Concedo : Sic veſtis alba in Baptiſmo eſt ſignum aliquod ab Eccleſia inſtitutum, quo ſignificatur innocentia reparata : eſt ſignum primarium & eſſentiale Sacramento, & à Chriſto Domino inſtitutum, Nego min. Enimverò unio fidelis cum Chriſto primariò, & ex inſtitutione divina ſignificatur per ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.*

Inſtabis : ſacrificium Miſſæ eſſentialiter eſt repræſentatio mortis Chriſti, ex cuius latere fluxit aqua cum ſanguine, cujus myſterii ſymbolum eſt mixtio aquæ & vini. Deinde ex S. Auguſtino Sacrificium exterius eſt ſignum ſacrificii interioris, hoc eſt, victima immolatur exteriùs in ſignum quòd offerens ita ſe in præparatione animi exhibeat coram Deo, quem agnoſcit ſupremum Dominum vitæ ſuæ & necis : atqui ſi offeratur calix ſine aqua, exiſtit & offertur ſanguis Chriſti ſine nobis : ergo non eſt verum ſacrificium, ſeu verum ſignum ſa-

crificii interioris. Unde S. Cyprianus cit. epist. asserit calicem non esse aquam solam, aut vinum solum; sicut nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit. Quid ita? nimirum quia in hoc differt sacrificium Missæ à sacrificio Crucis, quòd in altari totus Christus, id est, caput & membra offerantur, cùm in Cruce solus Christus ut caput oblatus fuerit.

R. 1. Per consecrationem panis & vini sanguis à corpore mysticè separatur, quod sufficit ad repræsentandam mortem Christi, nec ad rationem sacrificii Missæ requiritur, ut singulæ circumstantiæ passionis, qualis est flagellatio, crucifixio, repræsententur.

R. 2. Ad confirmationem, distinguendo minorem: atqui sine aqua sanguis Christi existit & offertur sine nobis aliquo sensu, & quatenus illo signo accidentali, quod exhibetur per aquæ mixtionem, non significamur offerri cum Christo, Concedo: offertur sine nobis absolutè, Nego minorem. Quot enim oblata fuere sacrificia, tum in lege naturæ, tum in lege scripta, in quibus fideles sine ulla mixtione aquæ seipsos Deo interiùs offerebant? Itaque aqua ex Ecclesiæ institutione miscetur in Missæ sacrificio, ut hac cæremonia expressiùs significetur interior Christianorum dispositio; quæ aliàs satis intelligitur ex ipsa ratione generica sacrificii.

R. 3. Ad auctoritatem Sancti Cypriani, distinguendo, calix non est aqua sola, nec vinum solum, sed utrumque mixtum sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola ex usu & praxi Ecclesiæ, Concedo: ex necessitate Sacramenti,

menti, subdistinguo; non est vinum solum, sicut nec corpus Domini farina sola ex una parte, Concedo: ex utraque parte, quasi calix non possit sine aqua esse sanguis Christi, sicut nec corpus sine aqua farinæ admixta, Nego. Contrarium enim expresse asserit S. Doctor. *Si vinum solum quis offerat*, inquit, *sanguis Christi incipit esse sine nobis.* Itaque utitur solum comparatione panis, qui nequit esse sine mixtione farinæ & aquæ, ut probet contra adversarios, qui solam aquam offerebant, rejecto vino, sive ex errore sive ex simplicitate & ignorantia, vinum esse adhibendum necessitate Sacramenti; adeo ut sine vino nulla sit consecratio, populusque, qui significatur per aquam, quam usurpabant, remaneat sine sanguine Christi. Honorificum intentum Sancti Martyris. Concedit quidem adversariis aquam esse retinendam, uti volebant; sed non expendit qua necessitate sit retinenda, quia non erat ejus instituti. Frustra ergo vim faceret quis in comparatione panis à Sancto Doctore usurpata, in qua non minùs aqua, quàm farina, est de necessitate Sacramenti; nam omnis comparatio claudicat, inquiunt, quia semper in ea occurrit aliquid simile, & aliud dissimile.

Urgebis: S. Cyprianus dixit in illa epistola, tum demum fore plenum & perfectum Sacrificium, cùm calix erat vino & aqua temperatus: Ergo sine aqua erit imperfectum Sacrificium: quod Patres Trullani disserte asserunt cit. can. 32. ac proinde aqua ad substantialem integritatem Sacramenti pertinet.

Distinguo conseq. imperfectum accidentaliter, sicut in hypothesi, quòd Sacerdos partem canonis prætermisisset, diceremus imperfectum Sacrificium

ficium obtulisse, Concedo : imperfectum substantialiter, Nego conseq.

Q. 4. *Aqua vino permixta convertitur-ne in sanguinem Christi?*

R. 1. De fide non est aquam in vinum converti; quia licèt identidem graves circa hanc quæstionem controversiæ exortæ sint, v. g. sæculo XII. & XIII. nihil hactenus Ecclesia hac de re determinavit; imò Innocentius III. lib. 5. ep. ad Joannem Archiepiscopum Lugdunensem ex quatuor enumeratis opinionibus affirmantem tantum probabiliorem describit.

R. 2. Theologorum communis est sententia aquam in sanguinem converti: probaturque ex Sanctis Patribus & Conciliis mox laudatis, qui asserunt Christum Dominum calicem aqua mixtum suum sanguinem fecisse, calicem ante consecrationem esse vinum & aquam, post consecrationem verò esse sanguinem Domini; unde Sanctus Thomas qu. 75. art. 8. dicit opinionem, quæ negat aquam in sanguinem converti, stare non posse.

Sed dissentiunt Theologi circa modum conversionis: alii contendunt aquam immediatè vi verborum converti in sanguinem; quia vinum aqua dilutum est potus usualis, sicut panis fermentatus apud Græcos est panis usualis: ergo sicut totus ille panis convertitur in Corpus Christi, quamvis fermentum seorsim sumptum non sit materia Eucharistiæ idonea; ita pariter totus ille calix convertitur in sanguinem.

Confirmatur. Totus calix offertur, benedicitur, consecratur, ergo totus convertitur; neque enim Christus, neque Patres distinxerunt inter utramque materiam, scilicet vinum & aquam,

sed

ſed abſolutè dixerunt mixtum illud eſſe ſanguinem Chriſti.

Contra verò S. Thomas, & ejus diſcipuli docent aquam priùs converti in vinum, & ſic mediatè tantùm tranſmutari in ſanguinem Chriſti. Hanc ſententiam amplexus eſt Catechiſmus Romanus parte 2. Hanc etiam ſupponunt Rubricæ, dum præſcribunt paululum aquæ debere in calicem infundi; quia debet priùs in vinum converti, quàm in ſanguinem. Ratio autem colligitur ex dictis: quia aqua non miſcetur ex præcepto divino, ſed merè Eccleſiaſtico: atqui Eccleſia non poteſt efficere, ut res, quæ ex inſtitutione divina non eſt materia Sacramenti, talis evadat.

At, inquies, ſi aqua in vinum non converteretur, multa ex hac poſteriori ſententia ſequerentur abſurda. Primum, non ſolæ remanerent ſpecies vini, quod eſt contrarium definitioni Concilii Tridentini. Secundùm, calix conſecratus non poſſet ſimpliciter dici ſanguis Chriſti cùm in eo alia contineretur ſubſtantia. Tertium, non adoraretur ſine periculo idololatriæ; in illa enim hypotheſi aqua cum ſanguine cenſeretur adorari.

Nugæ ſunt iſta. Quaſi verò non ſtaret veritas definitionis Tridentinæ, ſi pulvis aut culices deciderent in calicem, aut in illa hypotheſi, quæ ſatis frequens eſt, calix non diceretur ſanguis Chriſti, nec poſſet adorari ſine periculo idololatriæ? Tale periculum meritò non timent Græci, dum infundunt aquam calidam in calicem conſecratum, Species vini in mente Patrum Tridentinorum remanent ſine ſubſtantia rei conſecratæ. Adoratur contentum ſubſtantiale, quod ſenſibiliter demonſtratur per calicem: illud autem con-

tentum eft fanguis Chrifti, non fpecies vini, quæ idcircò non adorantur, ficut nec cætera minutiora, quæ per calicem fenfibiliter non demonftrantur.

CAPUT VIII.

Quænam eft forma Euchariftiæ?

NOvatores non conveniunt inter fe circa formam Euchariftiæ. Bucerus in caput 26. Matth. & alii negant eam conftare verbis. Lutherus lib. de abroganda Miffa; & Calvinus lib. 4. Inftitut. c. 17. volunt, 1. hæc Chrifti Domini verba, *hoc eft corpus meum*, *hic eft fanguis meus*, quæ in omnibus Liturgiis referuntur, non effe confecratoria, fed hiftoricè & narrativè à celebrante pronunciari, non verò fignificativè, quafi celebrans eam proferat cum intentione affirmandi id, quod præ manibus tenet, effe corpus Chrifti. 2. Sine laudatis Chrifti verbis Euchariftiam perfici poffe, & ad eam fufficere quæcumque verba idonea ad excitandam fidem promiffionum divinarum; quas in eorum fententia obfignat Sacramentum; itaque ut eludant teftimonia Sanctorum Patrum, qui afferunt virtute verborum Chrifti, panem & vinum converti in corpus ejus & fanguinem, contendunt illos Patres eo fenfu intelligendos, quo fæpiùs dixerunt animalia crefcere & multiplicari vi & efficacia primævi illius imperii, *crefcite, & multiplicamini*, Gen. cap. 1. quod ficut non eft repetendum, ut animalia multiplicentur; ita nec proferenda Chrifti verba, ut panis corpus ejus fiat. Contra hos errores ac propofitam quæftionem,

R. 1.

R. 1. Forma Euchariſtiæ conſiſtit in verbis, iiſque conſecratoriis. Hæc propoſitio quoad utramque partem probata manet ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, ubi demonſtravimus omnia Sacramenta novæ legis perfici verbis tanquam forma: verba autem illa non eſſe concionalia, ſed conſecratoria.

R. 2. Per verba Chriſti Domini à celebrante prolata conficitur Euchariſtia. Ita Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis, *forma*, inquit, *hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Non ait, *confecit*, ſed, *conficit*, etiam hodie, quia ipſe eſt Sacerdos & hoſtia.

Probatur ex Scriptura per Eccleſiæ Traditionem explicata. Luc. enim 22. ſic legitur: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Atqui Eccleſia ex hoc Chriſti mandato ſemper intellexit in conſecranda Euchariſtia iiſdem Chriſti verbis, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, utendum: ſicut ex hoc baptizandi præcepto, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. collegit ad veritatem Baptiſmi proferenda illa verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

Minor probatur.

S. Juſtinus ſic ſcribit Apol. 2. *Quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jeſus-Chriſtus Salvator noſter & carnem & ſanguinem pro noſtra ſalute habuit; ſic etiam per orationem verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factam cibum & carnem & ſanguinem edocti ſumus ..... Apoſtoli in Commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita Jeſum ſibi præcepiſſe tradiderunt, cum accepto pane gratias egiſſet, dixiſſe, hoc eſt Corpus meum: quod etiam in-*

citati mali genii in ſacris ſuis faciendum tradiderunt; panem enim & potum aquæ cum certis quibusdam verbis, &c. Quæ oſtendunt ætate Sancti Martyris tam conſtantem fuiſſe uſum celebrandi Euchariſtiam verbis Evangelicis, quæ vocat preces verbi Dei, ut ad imitationem fidelium mali genii, ut loquitur, ſacra ſua in pane cum certis quibusdam verbis peragerent.

S. Irenæus lib. 5. cap. 2. *panis & vinum*, inquit, *percipientia verbum Dei, fiunt Euchariſtia, quod eſt corpus*, &c.

S. Chryſoſtomus hom. 2. in 2. ad Timotheum, ait: *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant: ita & obligatio eadem eſt.* Quid clarius? Sacerdotes etiam nunc eadem verba pronunciant, quæ olim Chriſtus. Et ſer. de proditione Judæ, *hoc verbum* (ſcilicet, hoc eſt Corpus meum) *propoſita dona tranſmutat.*

S. Auguſtinus ſer. aliàs 28. de verbis Dom. nunc in app. 84. *Dixi*, inquit, *vobis, quod ante verba Chriſti, quod offertur in altari, panis dicatur: ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur; ſed corpus appellatur.*

Sanctus Ambroſius lib. de initiandis cap. 9. *Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur.* Et lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Cùm venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed ſermonibus Chriſti utitur. Quo modo poteſt, quod panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione: Conſecratio igitur quibus verbis fit? Domini Jeſu.*

Denique omnes Liturgiæ utuntur verbis à Chriſto in Evangelio prolatis: ergo illa verba ad conficiendam Euchariſtiam ſunt neceſſaria.

Nec

Nec dicas, quòd in Liturgiis historicè referantur: nam eadem verba possunt historicè & significativè simul pronunciari, ut videre est in isto exemplo: Aristoteles verè dixit, Cœlum est mobile; non enim solùm refertur quod Aristoteles dixit, sed & comprobatur. Porro celebrans & narrat Christum verè dixisse: *Hoc est corpus meum*, & intendit idem facere quod in ultima cœna præstitit.

Q. 2. *Forma Eucharistiæ consistitne in solis Christi verbis jam laudatis?*

Liturgiæ Græcorum videntur reponere, saltem partialiter, formam Eucharistiæ in certis quibusdam precibus. Nam in Liturgia Sancti Chrysostomi post recitata Christi verba, sic orat Sacerdos: *Fac panem hunc preciosum Corpus Christi tui immutans spiritu tuo.* Et in Liturgia S. Basilii, etiam post prolata Christi verba, Sacerdos ait: *Proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis Filii tui, obsecramus, ut veniat Spiritus tuus super nos, & super munera ista, & benedicat atque ostendat panem quidem istum pretiosum corpus*, &c. Porro ex S. Joanne Damasceno lib. 4. de fide orthodoxa c. 4. & ex Epiphanio contra Iconoclastas disputante in 2. Conc. Nicæno octavo sæculo, antitypa non dicuntur post consecrationem. Quibus permoti Latini in Concilio Florentino per Eugenium IV. sciscitati sunt à Græcis, *Cur non contenti estis Domini verbis?* Accepto autem responso Mitilenensis Episcopi, subjunxit Summus Pontifex, *Nos, fratres, Dei beneficio sumus fide conjuncti.* Quale autem fuerit Græcorum responsum, non referunt Acta Concilii: sed Goarius in notis ad Missam S. Chrysostomi narrat Græcos respondisse se per has preces

 non

non petere simpliciter, ut panis fiat Corpus Christi, cùm credant jam factum per verba Dominica, sed ut fiat ad salutem suscipientium, quemadmodum & Latini post consecrationem sic precantur; *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris.... Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*, &c. Item, *per quem* (Christum) *hæc .... dona ... sanctificas*, *vivificas*, &c.

Verùm negari non potest, quin hodie plures Græci existiment consecrationem perfici per preces, verba verò Christi ex præcepto divino recitari historicè tantùm. Quam sententiam amplexus est ex Latinis Ambrosius Catharinus ex Episcopatu Minorensi ad Archiepiscopatum Campsensem à Julio tertio promotus, eamque propugnavit in Concilio Tridentino, scriptis hac de re duobus libellis. Fundamenta autem hujus opinionis, sunt 1. quia Christus Dominus priùs panem & calicem benedixit, quam affirmaverit esse suum corpus & sanguinem. Imò jam utrumque Apostolis distribuerat, ut constat ex cap. 14. v. 22. Sancti Marci, cùm dixit: *Hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*. Enimverò Christi benedictio, in qua oratio intelligitur, non fuit hìc minus efficax, ut panis evaderet corpus Christi, quàm cùm multiplicavit quinque panes Joan. 6. Unde S. Gaudentius Episcopus Brixiensis tract. 2. in Exodum ait: *Cùm panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, Dominus dixit, hoc est corpus meum.* 2. Apostoli benedictione consecrarunt, ut colligitur ex c. 10. primæ ad Corinth. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* 3. Antiquæ Græcorum Liturgiæ, ut SS. Basilii & Chrysostomi ita clarè consecratio-

nem

nem in precibus reponunt, ut non possit ad verba Christi referri. 4. Omnium Patrum una est vox, Eucharistiam perfici Dei invocatione, gratiarum actione, benedictione. *Ad preces Sacerdotum*, inquit S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium, *Christi corpus & sanguis conficitur.* Origenes quoque scribit hom. 15. in Matth. *Santificatur Eucharistia per verbum Dei & orationem.* S. Gregorius lib. 7. epist. 64. asserit Apostolos ad solam Orationem Dominicam oblationis hostiam consecrasse. Denique Berengarius suam hæresim sub Gregorio VII. his verbis ejuravit: *Ego Berengarius credo panem per mysterium sacræ Orationis, & verba Redemptoris substantialiter converti.* 5. Non potest stare veritas hujus propositionis, *hoc est corpus meum*, si per illam panis convertatur in corpus Christi; quia verè non demonstratur hoc esse corpus Christi, nisi præsupponatur facta conversio; corpus enim Christi non existit sub speciebus panis, nisi per conversionem: atqui quando fit illa enuntiatio, nondum facta est conversio. Ut ergo veritas propositionis salvaretur in hac hypothesi, dicendum esset, *hoc sit corpus meum*, non verò, *hoc est corpus meum.* Præterea pronomen *hoc*, vel demonstraret panem, vel corpus Christi: atqui neutrum dici potest; non prius, quia falsum est panem esse corpus Christi: non posterius; nam pronomen *hoc*, demonstrat rem præsentem: corpus autem Christi nondum est præsens. At in sententia Græcorum & Catharini, corruunt omnes difficultates, planus est sensus. Enimverò sicut Christus priùs gratias egit, & benedixit panem, tum enuntiavit, *hoc est corpus meum*; sic in Liturgia Latina præcedunt preces, gratiarum actiones, tum ad demon-

strandam

ſtrandam efficaciam illarum precum, texitur hiſtoria ultimæ cœnæ. In Liturgiis verò Græcorum inverſo ordine, primo loco hiſtoricè refertur quod Chriſtus fecit, dixit, & manducavit in ultima cœna. Ex his enim preces ſubſecuturæ hauriunt totam ſuam vim, & efficaciam. 6. Denique propoſitio illa, *hoc eſt corpus meum*, neceſſario ſignificat corpus Sacerdotis loquentis, niſi aliud proferatur quo appareat Sacerdotem loqui in perſona Chriſti. Ergo ad formam Euchariſtiæ pertinet illa narratio, *qui pridie quàm pateretur, accepit panem.... benedixit.... dicens.... hoc eſt corpus meum.* Verba enim ſacramentalia eatenus operantur, quatenus ſignificant: atqui hæc verba ſola nullatenus ſignificant corpus Chriſti: ergo ſola illud non efficiunt.

Hæc quidem ſententia ſuos habet Catholicos patronos, quos Patres Tridentini proſcribere noluerunt, ut teſtatur non ſolùm Catharinus in fine ſecundi libelli, ſed & Alphonſus Salmeron è Societate Jeſu, qui Concilio adfuit, quique Tom. 9. Tractat. 13. allatis utriuſque ſententiæ momentis ſic ſcribit: *Jam prudens lector ſuo fruatur judicio, & quam velit magis amplectatur, donec Eccleſia aliud ſtatuat.*

Nihilominus recedendum non videtur à communi Theologorum ſententia. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. Conſecratio perficitur ſolis Chriſti verbis.

Probatur 1. quia Patres laudati, Irenæus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & plures alii converſionem panis in corpus Chriſti prædictis verbis aſcribunt, *panem..... corpus ſuum.... fecit, hoc eſt corpus meum dicendo*, ait Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 40. Et Euſebius Emyſ-

Emyssenus homil. in ramis Palmarum, *qui dixit*, inquit, *tunc per se*, *modò dicit per suos Ministros*, *hoc est corpus meum; & tanta est ejus verbi virtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur.* 2. Forma Eucharistiæ consistit solùm in his verbis, quæ convertunt panem & vinum in corpus & sanguinem Christi Domini: atqui sola Christi verba id præstant: Ergo. Minor probatur: verba Sacramentorum novæ legis efficiunt quod significant; atqui prædicta verba, quæ pertinent ex dictis ad substantiam Eucharistiæ, sola significant illam conversionem: ergo sola eam efficiunt. 3. Quamvis Ecclesia oppositam sententiam hactenus non proscripserit, ea tamen displicuit in Concilio tum Florentino, tum Tridentino: in Florentino quidem; nam Latini inter cætera Græcis duo objecerunt. Primum, quòd Presbyteri apud eos confirmarent; secundum, quòd in Liturgia preces verbis Domini adderent. Ergo in mente Latinorum consecratio fit sine precibus; & sicut ab institutione Christi alienum credebant, quòd Presbyteri tanquam Ministri ordinarii confirmarent; ita quòd consecratio precibus perficeretur.

Accepta autem Græcorum canonica responsione, ut in actis Concilii refertur, pronunciavit Summus Pontifex Eugenius, *fide conjuncti sumus*, & sic confirmata est unio. In Decreto quoque, quod ipse Eugenius paulo post edidit ad exponendam Armenis Ecclesiæ Romanæ doctrinam, consecratio nullatenus precibus ascribitur, sed solis Domini verbis: *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris*, *quibus hoc conficit Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens*, *hoc conficit Sacramentum.*

In

In Concilio autem Tridentino oppoſita ſententia, quam tuebatur Catharinus, multos offendit, fuitque eorum judicio proſcribenda. Porrò in opinionibus ſeligendis verus Theologus vitabit non ſolùm hæreſeos notam, ſed & temeritatis, ſeu ſingularitatis, quam S. Bernardus tractat. de gradibus ſuperbiæ, ſicut & alii Patres, inter filias ſuperbiæ recenſent. Unde enim ille pruritus ſuſcitandi opiniones jam pridem extinctas, & in angulo veteris cujusdam paginæ veluti ſepultas, niſi ex inordinato appetitu falſi nominis ſcientiæ, ut loquitur Apoſtolus 1. ad Tim. 6. verſ. 20.? Denique argumenta allata in confirmationem oppoſitæ ſententiæ tanti ponderis non ſunt, ut à communi Theologorum doctrina nos retrahant.

Non primum. Quis enim negaverit conſecrationem, ſeu benedictionem Domini ſemper fuiſſe efficacem reſpectu effectus, quem intendit; cùm ipſe Lazarum ſuſcitans, Joan. 11. dicat *ego autem ſciebam quia ſemper me audis*? Sed quemadmodum Lazarus oratione Chriſti præmiſſa non ſurrexit niſi ad vocem, qua Chriſtus clamavit: *Lazare veni foras*; ſic nec panis mutatus eſt in corpus Chriſti, niſi ad illa verba: *hoc eſt corpus meum*. In hoc ergo efficax fuit oratio ſeu benedictio Chriſti, quòd omnipotentiam divinam ſibi conciliaverit ad perficiendam illam converſionem, & ad materiam præparandam, quo ſenſu S. Gaudentius dicit Chriſtum conſecratum panem Apoſtolis porrexiſſe. Sanctus verò Marcus per anticipationem narrat Apoſtolos bibiſſe, tùm Chriſtum dixiſſe, *hic eſt ſanguis meus*, aliàs bibiſſent illi, neſcientes quid biberent, ſi jam hauſto calice dixiſſet, *hic eſt ſanguis meus*. Nec juvat adverſarios, quòd Innocentius

centius III. & nonnulli alii doceant Christum non consecrasse allatis verbis; unum siquidem volunt illi Theologi, scilic. Christum potestate excellentiæ effectum Sacramentorum contulisse sine Sacramentorum legibus, v. g. peccata remisisse sine ritu Baptismi: panem in corpus suum convertisse sine verbis consecratoriis, sed Ministris suis necessitatem imposuisse dicendi: *Ego te baptizo*, &c. ad peccata remittenda per Baptismum: *hoc est corpus meum*, ad consecrandum panem.

Non secundum; quia Apostolus eo loco non explicat quibus verbis Christus consecraverit; sed meminit solùm fideles tantum mysterium celebrasse benedictionibus, quod etiam nunc præstamus; tota enim nostra Liturgia est benedictio, gratiarum actio, & deprecatio. At capite sequenti vers. 24. & 25. refert consecrationem fuisse peractam his verbis, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*. Ita enim intellexerunt sancti Patres jam laudati.

Non tertium. 1. Quia omnes communiter fatentur nos non habere puras Liturgias, quales edidere ii, quorum nomen præseferunt, nempe sancti Petrus, Jacobus, Basilius, & Chrysostomus; sed multa in iis identidem fuisse addita & immutata. 2. Quia per preces, quæ in Liturgiis Græcorum leguntur post prolata Christi verba, non petitur simpliciter ut panis fiat corpus Christi, sed ut fiat suscipientibus ad salutem; & ita vulgò creditur Græcos in Concilio Florentino mentem suam explicuisse. Nec obstat, quòd ante preces illas panis & vinum dicantur antitypa; nam certum est ab antiquioribus Patribus ita vocari etiam post peractam Liturgiam.

S. Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri de ſancta Gorgonia ſorore ſua, teſtatur ipſam procubuiſſe ante antitypa, id eſt, Euchariſtiam, quam domi ſervabat. Unde ſancti Damaſcenus & Epiphanius, vel lapſi ſunt memoria, dum aſſerunt nullum è ſanctis Patribus dona jam conſecrata vocaſſe antitypa; vel alio ſenſu, quàm veteres, acceperunt illud nomen, *antitypum*, nempe pro ſigno vacuo; certum enim eſt nullum è ſanctis Patribus dixiſſe Euchariſtiam eſſe ſignum ſeu imaginem vacuam corporis Chriſti. Sic hac noſtra ætate dicimus Euchariſtiam eſſe Sacramentum corporis Chriſti, nec feremus eum qui diceret eſſe ſignum aut figuram corporis Chriſti: quamvis Sacramentum & ſignum, ſeu figura idem ſonent, & illa nomina aliquando à veteribus promiſcuè uſurpata ſint. Quid ita? nimirum propter Novatores, qui hodie nomen illud, *ſignum*, ſive *figura*, uſurpant pro mero ſigno excludente rem ſignificatam. Et hoc ſenſu negamus ullum ex ſanctis Patribus Euchariſtiam ſic appellaſſe. 3. Quia cùm tota Liturgiæ actio conſecrationem ſpectet veluti unicum ſcopum ſuum, in ſingulis ejus partibus exhibetur Chriſti corpus tanquam præſens, ſaltem intentionaliter. Sic apud Latinos præparatoriè fit offertorium, in quo Sacerdos ſic loquitur: *Suſcipe, ſancte Pater.... hanc immaculatam hoſtiam*, &c. *offerimus tibi, Domine, calicem*, &c. Quis autem myſteriorum noſtrorum ignarus non crederet Sacerdotem habere præ manibus Sacrificii victimam, cùm tamen non niſi panem & vinum offerat, quæ ſanè non ſunt noſtra victima? ſed in hac cæremonia conſecratio futura repræſentatur tanquam præſens, ſicut cùm in canone Sacerdos imponens manus ſuper panem

panem & vinum, dicit per anticipationem: *hanc igitur oblationem . . . quam offerimus*, &c. Familiare enim est in Ecclesia exhibere res vel futuras, vel præteritas, tanquam præsentes, ut videre est in Officio defunctorum, in quo veluti oculis subjicitur defunctus quasi adhuc animam exhalaret, *libera eos de ore Leonis . . . . . ne cadant in obscura tenebrarum loca*, cùm certum sit sortem earum jam esse definitam. Quemadmodum ergo Latini consecrationem futuram tanquam præsentem exhibent: sic Græci, quasi jam non essent peracta, precantur, sive gratulando, sive confirmando, ut Spiritus Sanctus adveniens, panem & vinum sanctificet, convertatque in corpus & sanguinem Christi.

Non quartum: tum quia Liturgia, in qua fit consecratio, tota ferè oratio est: tum quia cæteræ formæ Sacramentorum, quæ formaliter deprecativæ non sunt, qualis ista: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. dicuntur frequenter à sanctis Patribus preces, invocationes; quia cum Sacerdos agat in Sacramentis tanquam Christi Minister, non propria, sed Dei virtute nititur, quàm implicitè invocare censetur: *Quomodo*, inquit sanctus Augustinus, lib. 5. de Bapt. cap. 20. num. 28. *exaudit homicidam deprecantem* (Deus) *vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam?* Legatur verò Epistola S. Gregorii, & perspicuum erit ipsum non loqui de forma consecratoria, sed de precibus Liturgiæ, in quibus scribit, non esse prætermittendam Orationem Dominicam; cùm Apostoli, priusquam Ecclesiæ haberent Liturgias, ad solam Orationem Dominicam Eucharistiam celebrarent.

Non quintum. Verum quidem est proposi-

tionem speculativam supponere suum objectum; at propositio practica non supponit, sed facit; neque enim remissa erant peccata mulieris peccatricis, priusquam Christus diceret: *Remittuntur tibi peccata*, Luc. 7. necdum sanatus fuerat filius Reguli, cùm hic audivit: *Vade, filius tuus vivit*: nec mulier dimissa erat ab infirmitate sua antequam Christus diceret, *dimissa es ab infirmitate tua*, Luc. 13. Porro practica est hæc propositio, *hoc est corpus meum*, sufficitque ad ejus veritatem; quòd objectum sit tale in ultimæ syllabæ pronuntiatione, quale enuntiatur. Sic vera est hæc propositio: *Ego sileo*, non quidem dum loquor, sed cùm desino loqui. Unde pronomen, *hoc*, non panem demonstrat, sed confusè corpus Christi, quemadmodum si quis oblata moneta diceret, hoc est aurum vel argentum; *hoc*, demonstraret confusè aurum vel argentum, nec nugatoria esset locutio, ex eo quòd idem bis in eadem propositione significaretur; quia primo loco per pronomen, *hoc*, confusè tantùm; in fine verò propositionis clarè & distincte demonstraretur.

Nec dicas: dum pronuntiatur, *hoc*, nondum est corpus Christi, sed panis: Ergo pronomen illud nec distinctè, nec confusè demonstrat corpus Christi. Distinguendum enim est illud consequens, non demonstrat speculativè, Concedo: Non demonstrat practicè, Nego: propositio enim illa efficit, ut hoc sit corpus Christi, reddaturque præsens sensibiliter, non quidem cùm incipit pronuntiari, sed cùm sensus est completus; quia verba Sacramentalia non operantur, nisi quatenus significant: non significant autem, nisi completa propositione.

Non

Non ſextum, quia eadem difficultas poſſet proponi contra formam Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. propoſitio enim illa non determinatè ſignificat (ſi ſolitariè ſumatur) ablutionem animæ aut corporis, ſicut nec illa, *hoc eſt corpus meum*, corpus Chriſti aut Sacerdotis; ſed determinatur per circumſtantias, & intentionem ſaltem exteriorem loquentis.

Q. 3. *Singula Domini verba ſuntne de eſſentia formæ?*

R. Primò, certum eſt hæc eſſe neceſſaria: *Hoc eſt corpus meum*, *hic eſt ſanguis meus*, vel, *hic eſt calix ſanguinis mei*: quia detracto vel uno ex his vocabulis corrumpitur ſenſus propoſitionum, nec demonſtratur corpus, aut ſanguis Chriſti præſens.

Sed quid, ſi in alia vocabula mutarentur, ſi v. g. pro corpore diceretur *caro*; loco pronominis, *hoc*, pronuntiaretur, *iſtud*, *illud*, vel, *hic* adverbialiter, ſeu, *ibi eſt corpus meum*.

R. Integra eſſet forma, ſi loco pronominis, *hoc*, diceretur, *iſtud*; quia illa duo pronomina idem & eodem modo ſignificant; ſed irrita eſſet, ſi diceretur primò *caro*; quia caro minùs ſignificat, quàm corpus; corpus enim eſt aliquod totum integrale ex carne, oſſibus, nervis, &c. Secundò, ſi diceretur, *illud*; quia hoc pronomen æquè ſignificat rem abſentem, ac præſentem. Tertiò, ſi diceretur, *ibi*, vel, *hic*; quia adverbia illa non ſignificant converſionem panis in corpus Chriſti, aut vini in ſanguinem, ſed demonſtrant tantùm corpus eſſe in pane, aut ſanguinem in vino, ut infra probabitur.

R. Secundò, certum eſt particulam, *enim*, non eſſe neceſſariam, quia ſine ea remanet integer

 ſenſus.

sensus. Difficultatem solùm movet Thomistarum Schola circa hæc verba formæ calicis, *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Alii siquidem affirmant S. Thomam docuisse ea pertinere ad essentiam formæ; sic enim scribit 3. p. q. 78. art. 3. *dicendum est ergo, quòd omnia prædicta verba sunt de substantia formæ.* Alii verò negant eam fuisse mentem sancti Doctoris, cùm immediatè post allata verba subjiciat: *Per prima verba* (hic est sanguis meus) ..... *significatur ipsa conversio in sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis.* Atqui perficitur consecratio panis per illa verba, *hoc est corpus meum*; quia significant conversionem panis in corpus Christi: ergo & per ista, *hic est sanguis meus*, perficitur consecratio calicis, ac proinde reliqua pertinent tantùm ad integritatem formæ, quam S. Doctor hic vocat substantiam. Qui ex Thomistis digessere Catechismum Romanum, amplexi sunt primam sententiam, cui etiam favere visi sunt Ministri sacræ Inquisitionis sub Pio III. qui jusserunt expungi ex Commentariis Cajetani propositionem, quæ negabat prædicta verba esse de essentia formæ calicis; fortè quia non satis honorificè de sententia S. Thomæ fuerat locutus, ut censent nonnulli.

Q. 4. *Estne consentaneum adhibere laudata verba in consecratione calicis?*

R. Prorsus est consentaneum, nec sine gravi peccato, saltem contra Ecclesiæ præceptum, omitti possunt. 1. Quia Christus Dominus ea usurpavit, his exceptis, *æterni, & mysterium fidei*, quæ ex sola traditione habentur. 2. Quia per hujusmodi

modi verba optimè deſignantur uſus & efficacia ſanguinis Chriſti. Enimverò nomine Calicis repræſentatur ſanguis Domini in ratione potus, dum exhibetur in vaſe huic uſui accommodato. Nomine vero Teſtamenti ſignificatur diſpoſitio hæreditatis cœleſtis, quam Deus diſpoſuit hominibus dandam per virtutem ſanguinis Chriſti: additur: *novi*, quia, inquit ſanctus Thomas, in veteri Teſtamento ſanguis Chriſti in figura exhibitus fuit, unde Apoſtolus Hebr. 9. *Nec primum Teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt.* Hic autem in veritate exhibetur. Dicitur etiam, *æterni*, tum quia ab æterno novum Teſtamentum diſpoſitum fuit: tum quia æterna eſt hæreditas, ad quam diſponit. Quæ omnia cùm nec ſenſu, nec ratione, ſed ſola fide detegi poſſint, calix ille vocatur myſterium fidei, reliqua verò ſunt ad deſignandam virtutem Paſſionis, quæ operatur in hoc myſterio, & expreſſiùs ſignificatur per ſanguinem ſeorſim à corpore conſecratum; *& ideò*, inquit S. Thomas cit. art. 2. ad 1. *potiùs in conſecratione ſanguinis fit mentio de effectu Paſſionis, quam in conſecratione corporis.*

CAPUT IX.

Quis eſt ſenſus formæ Euchariſtiæ?

Manichæi & alii antiquiores hæretici Simonis Magi diſcipuli, qui negarunt Filium Dei veram carnem aſſumpſiſſe, conſequenter & indirectè negarunt his Domini verbis, *hoc eſt corpus meum*, *hic eſt ſanguis meus*, demonſtrari verum corpus, & verum ſanguinem: *Euchariſtias &*

oblationes non admittunt, inquit sanctus Ignatius Epistola ad Smyrnenses, *quòd non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Ex Manichæorum schola prodierunt Lisojus & Helibertus Clerici Aurelianenses, proscripti in Concilio Aureliæ celebrato anno 1017. Spicilegii tomo 2. hi, sicut docebant Christum de Virgine Maria natum non fuisse, neque pro hominibus passum, neque verè in sepulchro positum: ita in Eucharistia esse verum ejus corpus & sanguinem negabant.

Joannes Erigena natione Scotus, primus verba Christi ad sensum metaphoricum detorsit, directèque realem Christi præsentiam in Eucharistia impugnavit: *Usque ad præsens nemo de his* (Eucharistiæ mysteriis) *errasse legitur, nisi qui & de Christo erraverit*, inquit Paschasius Radbertus Abbas Corbejensis Epistola ad Feudegardum, circa annum 870. obiisse fertur Joannes Scotus anno 884. sine sectatoribus; quia ab omnibus explosa est illa doctrinæ novitas, ut ostendemus cap. 12. sicque cum auctore error fuit sepultus. Nostris tamen Pseudo-reformatis talem parentem non invidemus, fuit enim Pelagianus, ut advertit Prudentius Tricassinus, libro de Prædestinatione, & multis aliis erroribus implicatus, ex eodem Prudentio: *Capitula ineptissimè & mendacissimè à quodam Scoto conclusa*, inquit Synodus Lingonensis cap. 4. *ubi non argumentum fidei, sed potiùs commentum perfidiæ patet, à pio fidelium auditu explodimus.* Nicolaus I. Carolum Calvum monet in Epistola ad eum scripta, ut Joannem Scotum Parisiis expellat, *ne cum tritico sacri eloquii grana lolii, & zizania miscere dignoscatur.* Fabula verò est, quod scribit Willelmus Malmesburiensis

riensis lib. 2. de gestis Anglorum cap. 4. Joannem Scotum Martyrum albo fuisse ascriptum; quæ enim Ecclesia talem martyrem in fastis suis descripsit?

Berengarius 1. S. Fulberti Carnotensis Episcopi discipulus, tum in Ecclesia S. Martini Turonensis scholæ Præfectus, tandemque à Brunone Andegavensis Archidiaconus renunciatus, librum Joannis Scoti impensiùs laudavit undecimo sæculo, erroremque ejus disseminans universum orbem turbavit, multos ab avita fide retraxit, ac propterea primus Sacramentariorum parens vulgò perhibetur. Sed tantum abest ut talis parens filiis patrocinetur, quin ipsos aperti schismatis, & manifesti erroris convincit. Nam ejus doctrina ad Sedem Apostolicam delata anno 1050. in Concilio Romano, Leone IX. Præside, primùm damnata fuit, deinde in Vercellensi, & Parisiensi; in Turonensi autem anno 1055. Hildebrandus Cardinalis, posteà Gregor. VII. Berengarium, ut videbatur, correctum clementer suscepit; sed ad vomitum reversus, in Synodo Romana anno 1059. sub Nicolao II. libros perversi dogmatis in ignem conjecit, jurans fidem se inviolabiliter servaturum, ex Lanfranco libro de corpore Christi, cap. 1. & 2. Verùm in Gallias reversus, denuò ad priorem rediit errorem, quem iterum proscripsit Concilium Rothomagense, anno 1073. dehinc Pictaviense, anno 1075. ubi Berengarius vita periclitatus est. Anno autem 1078. in Synodo Romana subdolam confessionem Gregorio VII. obtulit, tandemque in altera Synodo Romana errorem abdicavit, anno 1079. tum reversus Turones sæculi pompis abrenuncians, fere octo annis Domino militans ex Chronico S. Petri Vivi, fidelis & verè Catholi-

cus vitam finivit anno 1088. ex manuſcripto Eccleſiæ S. Martini Turonenſis.

Nonnulli ex ejus diſcipulis admiſſa reali præſentia, tranſubſtantiationem negarunt, aſſerentes Chriſtum ſub pane contineri, & in eo impanari, ex Guitmondo libro 1. & ex Algero in prologo librorum de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini.

Adversùs Berengarium adhuc viventem ſcripſerunt Adelmannus ejus condiſcipulus ſub S. Fulberto Brixienſis poſteà Epiſcopus; Hugo Epiſcopus Lingonenſis, Lanfrancus ex Priore Beccenſi tandem Cantuarienſis Archiepiſcopus Durandus Abbas Troarnenſis, Guitmondus ex Monacho Abbatiæ Crucis in Normannia, Averſanus Epiſcopus in Italia, Duoduinus Leodienſis Epiſcopus, & poſt ejus obitum Algerus ex Leodienſis Eccleſiæ Scholaſte Monachus Cluniacenſis, quorum opera extant tom. 18. Bibliothecæ Patrum, editionis Lugdunenſis.

Petrus de Bruis, à quo Petrobruſſiani, & Henricus ejus Diſcipulus, à quo Henriciani, duodecimo ſæculo ineunte, non solùm veritatem corporis & ſanguinis Domini in Sacramento altaris negarunt, ſed & ipſum Sacramentum, contendentes non tranſire ad poſteros, quod Chriſtus in ultima cœna geſſit, ex Venerabili Petro Cluniacenſi eis coætaneo Epiſt. 2. contra Petrobruſſianos. His adhæſerunt Arnaldus, Colonienſes dicti Apoſtoli, & Albigenſes, ſeu Toloſani, ſic nuncupati, quia in illis locis hæreſeos virus ſparſerunt. Viderint Sacramentarii noſtri, an ſit ipſis honorificum veſtigiis talium inhærere, qui Sacramentum cœnæ & baptiſmum parvulorum negarunt, qui

Mani-

Manichæorum discipuli extitere; legitur enim in libro 7. cap. 17. vitæ S. Bernardi sanctum Doctorem contra Henricianos Tolosam profectum pro confutanda hæresi Manichæorum. Colonienses conjugium detestabantur, bestialiter vivebant, atque eo nomine verè appellandi bestiæ, ex Hugone Netello Epist. ad Henricum Tullensem Episcopum. De Arnaldo S. Bernardus sic scribit Epist. 196. *Quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia expulit, Germania abominabatur.* Albigenses vetus Testamentum repudiabant, corpus Christi phantasticum docebant, cùmque saginarent propria corpora, dicebant se solos facere corpus Christi, ex Ecberto S. Florini Abbate serm. 1.

Non horum sectæ jamdudum extinctæ copulamur, inquiunt Novatores, sed Waldensium & Hussitarum, qui hucusque permanent plusquàm quingentis annis, saltem Waldenses exorti anno 1160.

Contra 1. Waldenses circa Eucharistiam non errarunt usque ad annum 1530. quo Bucerus eos ad Calvinistarum partes adduxit, ex Gillio in hist. Ecclesiarum reformatarum; nam Claudius Seycel Archiepiscopus Taurinensis, qui circa annum 1517. cum eis congressus est, docet lib. contra illos edito, in eorum sententia Christum in altari non sisti præsentem ad verba improbi Sacerdotis, quod supponit probum Sacerdotem corpus Christi conficere, & hoc expresse confessi sunt anno 1445. ut habetur in autographo inquisitionum, quod asservatur in Bibliotheca Colbertina. Nec fides est habenda libro de Antichristo vernaculo sermone sub eorum nomine edito à Calvinista: tum quia ex præfatione confessionis Bohemorum

Waldenses nullum publicarunt scriptum: tum quia liber ille fingitur scriptus anno 1120. cùm Waldensium schisma assignetur anno 1160. tum quia in illo libro laudatur milleloquium S. Augustini, quod fuit consarcinatum decimo tertio sæculo: tum denique quia sermo ille vernaculus non est duodecimi sæculi, sed posteriorum. Haberardus quidem scripsit de antiquioribus Waldensibus, quòd corpus Christi negant asse in altari; sed nomen Waldensium pluribus sectis evasit commune; nam subdit ille Auctor, Trinitatem diffitentur, legem Moysis destruunt, nubere prohibent, quod certè non convenit Waldensibus speciatim dictis.

Contra 2. Joannes Huss in sess. 15. Concilii Constantiensis profitetur, panem desinere per transubstantiationem, & converti in corpus Christi. Idem confessus est Hieronymus Pragensis, priusquam Constantiæ combureretur. Pragenses magistro suo adhæserunt; ut testatur Choclæus lib. 5. hist. Hussit. excipiendi tamen Thaboritæ homines flagitiosi, qui in Religione nihil intactum reliquerunt, nec solùm cum aliis Hussitis, sed nec secum concordes. Consule illustrissimum Bossuet Meldensem Episcopum tomo 2. hist. Variationum.

Wiclefus ob repulsam sive à præfectura Collegii Oxoniensis in Anglia, sive ab Episcopatu Vigorniensi anno 1375. cæca indignatione commotus multa impia & blasphema contra Ecclesiæ consuetudines, fidem & speciatim Eucharistiam scripsit, quæ recensita & damnata sunt in Concilio Constantiensi sess. 8. anno 1414. Unde nulla ejus auctoritas, maximè cùm incônstans fuerit

circa

circa realem præſentiam; nam lib. 4. Trialogi c. 1. habet, *Corpus Chriſti latet in qualibet particula panis.* Quia verò Sacerdos poteſt eſſe improbus, addit, *adoro ſub conditione hoſtiam viſibilem;* quia in ejus ſententia Sacerdos in ſtatu peccati mortalis Sacramentum non conficit. Libro vero de Apoſtaſia cap. 18. ſcribit, corpus Chriſti in Euchariſtia eſt creatura pejor publica, quia panis. Anno 1382. Londini fraudulenter ejuravit errorem, obiitque in ſpeciem Catholicus anno ſequenti ante biduum correptus paralyſi, cùm nomina SS. Sylveſtri primi, & Thomæ Cantuarienſis, ſatyrica oratione proſcindere pararet.

Ex his liquet Sacramentarios ſuſcitaſſe errorem ubique ab omnibus damnatum, jam pridem extinctum, atque cum auctoribus conſepultum, ac proinde novi ſchiſmatis eſſe reos. Ex his

Huldricus Zwinglius Tiguri in Helvetia Paſtòr primo loco numerandus eſt. Hic an. 1524. rogatus à Senatu ejusdem urbis, quem Lutherana novitas moverat, quid ſentiendum eſſet de Euchariſtia, poſt ſibi datas inducias reſpondit edoctus, ut ſcribit lib. de ſubſidio Euchariſtiæ, à neſcio quo, qui ſibi dormienti aſtitit, *ater*, inquit, *an albus fuerit non memini*, verba Domini, *hoc eſt corpus meum*, intelligenda tropicè, quemadmodum illud Exodi 12. *eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini*, ubi verbum *eſt*, accipitur pro, *ſignificat*, adeò ut ſenſus verborum Chriſti ſit, hoc ſignificat corpus meum, & ita Euchariſtiam eſſe tantùm figuram & nudum ſignum corporis Domini. Comites habuit Oecolampadium Ordinis S. Brigittæ Apoſtatam, & Carloſtadium Archidiaconum Vittembergenſem, qui in ea parte receſſit à Magiſtro ſuo Luthero; hic

enim

enim in epist. ad Argentinenses sic scribit : *Vellem posset mihi aliquis persuadere nihil esse in Eucharistia præter panem & vinum, magno ille me beneficio devinciret. Jam sæpè gravibus curis in hac materia desudavi, & videbam me hoc modo plurimùm posse Papatui incommodo esse. Verùm me captum vidi, nulla elabendi via relicta, textus Evangelii nimis apertus est.* Talia sunt primordia præsumptæ reformationis, hoc spiritu maligno incitati, qui eam conceperunt.

Joannes Calvinus Novioduni oriundus patre Gerardo Chauvino, anno 1535. lib. 4. Institutionum edidit, in quo Magistri nomen ambiens viam init mediam inter Zwinglium & Lutherum : contra illum quidem magnificè & Catholicorum more loquitur de Eucharistia, *in sacra cæna*, inquit cap. 17. §. 22. *jubet me* (Christus) *sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem suum bibere, manducare, nihil dubito quin & ipse porrigat, & ego recipiam.* Et in Cap. 26. Matth. *verè in cæna datur nobis corpus Christi : non ergo vacuum & inane signum nobis proponitur, sed verè carnis & sanguinis Domini efficimur participes.* Hæc contra Zwinglium. Contra verò Lutherum in fine libelli, cui titulus est, Consensio de re Sacramentaria, sic scribit, *tollenda est quælibet præsentiæ localis imaginatio ; nam cùm signa hìc in mundo sint, Christus, quantùm homo est, non alibi quàm in cælo quærendus est.* Et infrà, *quia tamen corpus Christi finitum, & cœlo ut loco continetur : necesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quantùm cœlum abest à terra.* Quomodo autem propositiones in speciem contradictoriæ cohærere possint, explicat cit. cap. lib. 4. Instit. ubi scribit corpus Christi per fidem, quam symbola panis & vini excitant

tant, apprehendi, fierique objectivè præsens in Sacramento, quin & virtutem quandam è corpore Christi diffundi in animam communicantis: *Nam*, inquit, *si Solem conspicimus radiis in terram emicantem ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus, suam quodammodo substantiam ad eam trajicere; cur inferior spiritus Christi esset irradiatio, ad communionem carnis & sanguinis in nos traducendam?* Habemus ergo ex Calvino contra Zwinglium Eucharistiam non esse meram figuram, nudum signum corporis Christi institutum ad excitandam fidem, per quam spiritualiter manducatur caro Christi. Hanc Calvini confessionem libenter accipiunt Catholici, rejiciunt verò communiter ejus discipuli, exceptis nonnullis ex doctioribus; nam ex Plessæo lib. 4. de Eucharistia cap. 1. Christus non aliter bibitur & manducatur in cœna, quàm in Baptismo, id est, Cœna & Baptismus sunt mera signa promissionum divinarum. Quid igitur in cœna ampliùs habetur in mente Calvini, quàm signum & figura corporis Christi? virtus quædam emanans ex corpore Christi existentis in cœlo, non quæ permanenter inhæreat pani & vino, sed quam fides in communicantis animam attrahit. Hanc virtutem dicit substantialem, nonnumquam etiam vocat substantialem, nonnunquam etiam vocat substantiam corporis Christi, quemadmodum, inquit, calor ignis, aut lumen Solis dici possunt substantia ignis sive Solis. Hoc autem fidei suæ arcanum exponit tanquam singulare omnipotentiæ divinæ miraculum omni intellectui humano impervium; sic enim scribit cit. c. lib. Institut. §. 10. *Etsi incredibile videtur etiam tanta locorum distantia bene trahere ad nos carnem Christi . . . . . meminerimus quantùm suprà*

supra sensus omnes nostros emineat Spiritus Sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri: quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides. Verum perspicuum est vel idiotis & bardis Deum per omnipotentiam suam, absente sole, aut igne deficiente lumen seu calorem posse excitare: nulla ergo fides necessaria, ut cognoscamus Deum in animabus nostris posse imprimere virtutem corporis Christi absentis, ac proinde fucum facit dolosus homo, dum ad explicandum Eucharistiæ mysterium usurpat SS. Patrum verba, quamvis de ea longe dissimilia cogitet. Claudius tamen Pseudo-Minister, & alii, Catholicorum argumentis pressi, confugiunt ad istam Calvini sententiam, in qua putant se posse declinare tela, quæ ex Scripturis & Antiquorum libris in eos mittuntur. Sed quærendum est ab ipsis. 1. Ex quo Scripturæ textu aut Veterum testimonio habeat Calvinus in cœna non ipsam Christi Carnem, sed virtutem ab ea emanantem accipi? novum ergo & antea inauditum mentis suæ figmentum tanquam fundatissimum Religionis Christianæ dogma credendum proponit. 2. Quid infantes, qui per plura sæcula Eucharistiæ facti sunt participes, & etiamnunc fiunt in Ecclesia Orientali, ampliùs accipiant, quàm signum & nudam figuram corporis aut sanguinis Christi, cum careant illa fide promissionum, per quam solam attrahitur illa virtus substantialis corporis Christi? In Calvinistas ergo usurpare liceat illud Psalmi Octavi: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem.*

Sociniani non solum docent cum Zwinglianis

Eucharistiam esse nudum corporis Christi signum, sed insuper rationem Sacramenti ei denegant, contendentes nullam huic ritui annexam esse gratiæ promissionem, sed esse gratiæ jam donatæ meram commemorationem.

Contra hos errores extat canon 1. sess. 13. Concilii Trident. *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Dicitur 1. *verè*, contra Zwinglianos, qui asserunt esse tantùm figuram, signum, & imaginem corporis Christi.

Dicitur 2. *realiter:* id est, non tantùm objectivè, & per fidem, ut vult Calvinus.

Dicitur 3. *substantialiter*, ad excludendam fictam illam virtutem à corpore Christi emanantem. Ad propositam itaque quæstionem

R. Catholica doctrina est, verba consecratoria non esse accipienda in sensu metaphorico & figurato, sed in proprio & naturali, adeoque *post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Verba sunt Concilii Tridentini sess. 13. cap. 1.

Q. 2. *Quomodo adversus Sacramentarios vindicatur illa veritas?*

R. Tribus illis momentis, quibus homines rem suam defendunt adversus litigantes. Opponunt 1. contractum, quo prior proprietarius rem illam solemniter promisit. 2. Ipsam donationem. 3. Pos-

3. Possessionem diuturnam, & non interruptam à tempore donationis. Sic Ecclesia Catholica contra Novatores præscribit 1. Christus Dominus promisit Joan. 6. se mihi daturum suum corpus & sanguinem. 2. Mihi actu & de facto dedit Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. 3. Ex tunc possideo, litisque contestatio mota possessionem mille annorum, transivit in rem judicatam contra Berengarianos, & alios suprà recensitos. Quæ tria momenta totidem capitibus expendenda sunt.

CAPUT X.

Utrùm Christus Dominus promiserit, Joan. 6. se daturum Carnem suam in Sacramento Eucharistiæ?

R. Distinguendum est; caput enim tres continet partes.

1. Certum est, in prima capitis parte describi dumtaxat miraculum, quo quinque panes multiplicati sunt in deserto, & quasdam miraculi circumstantias.

2. Conveniunt etiam Catholici & heterodoxi in secunda parte capitis, nempe à vers. 26. usque ad 52. nullatenus agi de Eucharistia, sed de fide in Christum Dominum, quam metaphoricè vocat cibum, occasione accepta ex multiplicatione panum, propter quam turba Christum requirebat; quemadmodum enim Discipulis Dominum rogantibus, ut cibum sumeret, Joan. 4. vers. 34. appositè respondit, *meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; sic Judæis ipsum quærentibus:

tibus: quia manducaverant ex panibus, ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam ... hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Et prosequens eandem metaphoram, subdit, *panis enim Dei est, qui de cœlo descendit ... Ego sum panis vitæ.* Ubi manifestè loquitur de re jam completa, nempe de Incarnatione. Judæi equidem tunc murmurarunt, non quòd se tanquam panem proponeret, sed quia se de cœlo descendisse asserebat: *Nonne*, inquiunt, *hic est Jesus, Filius Joseph? ... Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* Enimverò qui duri habent illa verba, *operamini .... cibum ... qui permanet in vitam æternam?* Nam ex S. Augustino tract. 25. in Joan. *cibus ille est, ut credatis in eum, qui est panis vitæ: hoc est ergo manducare cibum qui non perit. Ut quid ergo paras dentes & ventrem? crede, & manducasti.*

Monendum tamen est, Calvinistas mala fide potiùs, quàm ignorantia trahere verba S. Augustini ad Sacramentum Eucharistiæ; sed frustra: tum quia S. Doctor tractatu sequenti, nempe 26. requirit ventrem & dentes ad visibile Sacramentum, *quod*, inquit, *pertinet ad virtutem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum; qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit dente:* tum quia eadem sancti Doctoris verba in ipsos Calvinistas retorqueri possunt, ut quid enim parant dentes, & ventrem, cùm cœnam celebrant? Paramus, inquiunt, dentes ad Sacramentum, fidem ad virtutem ejus. Idipsum cum S. Augustino respondent Catholici.

3. Ita certum Patribus Tridentinis visum est in tertia parte hujus capitis, quæ incipit à verbis

iſtis, v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*, ſermonem eſſe de Euchariſtia, aut manducatione orali & reali Corporis Chriſti, ut multi ex Palavicino, lib. 17. cap. 11. poſtularint id definiri tanquam de fide, quibus tamen obſtitit Epiſcopus Granatenſis propter recentiorem quorundam expoſitionem, qui ut declinarent argumenta, quibus Novatores urgebant Communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam, ex illo Joannis teſtimonio, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, contenderunt, illa verba non eſſe intelligenda de Euchariſtia, ſeu de manducatione ſacramentali, ſed de ſpirituali tantùm, quæ fit per fidem: *Quod, ut benigniſſimè dicam*, inquit Maldonatus in caput 6. Joan. *eſt temerarium, gravioribusque condemnarem verbis homines benè Catholicos, niſi compertum haberem, errore magis animi, quàm vitio in hæreticorum ſententiam impegiſſe.*

Novatores itaque negant agi in illa parte hujus capitis de Sacramento Euchariſtiæ, & nihilominus impugnant Catholicorum Communionem ſub unica ſpecie ex citatis verbis, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis*, &c. ubi vides hominum levitatem, & contentioſi animi cæcitatem.

Q. 2. *Quomodo probatur, in illa tertia parte capitis ſermonem eſſe de Euchariſtiæ Sacramento, Chriſtumque in eo realiter contineri?*

R. Probatur auctoritate SS. Patrum & Conciliorum; ab iis enim accipienda eſt vera Scripturæ intelligentia juxta Concilii Tridentini Decretum ſeſſ. 4.

S. Hilarius lib. de Trinitate poſt medium probat ex capite 6. Joan. Contra Arianos Filium Dei

Dei esse in Patre secundum naturam & substantiam, sicut per Euchariftiam in nobis verè & substantialiter existit: *Si verè*, inquit, *carnem corporis nostri Christus assumpsit, nosque verè sub mysterio carnem corporis ejus sumimus ... per hoc unum erimus; quia Pater in eo est, & ille in nobis ... ipse enim ait: caro mea verè est cibus .... qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus ... & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. Hæc igitur idcircò commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter Patrem & Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium & per Filium ad Patrem obsequio tantùm ac voluntate unitis, nulla per Sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur; cùm & per honorem nobis datum Dei Filii, & permanentem in nobis carnaliter Filium, & in nobis corporaliter & inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum*, &c. Ubi S. Doctor ex cap. 6. Joan. sic concludit realem Christi præsentiam in Eucharistia; ut excludat omnes Aubertini & aliorum Novatorum cavillationes. Namque 1. termini illi, Eucharistia est verè caro Christi, per Eucharistiam Christus est in nobis carnaliter & corporaliter, non possunt intelligi de signo carnis, nec de virtute à Calvino efficta, quæ re vera non est caro. 2. S. Hilarius vult probare, Christum esse consubstantialem Patri, & in eo existere, quomodo per Eucharistiam existit in nobis: supponit ergo esse in nobis per identitatem substantiæ, non verò per participationem alicujus virtutis, & proprietatis ab illo

emanantis, aliàs pro Arianis concluderet, nempe Filium eſſe in Patre, ut volebant, per quandam ſimilitudinem & perfectionem ab eo derivatam, contra quem errorem S. Doctor hanc elicit concluſionem: *Si ergo nos naturaliter ſecundùm carnem per eum vivimus, id eſt, naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum ſpiritum in ſe Patrem habeat, cum vivat per Patrem?*

Objicit Aubertinus, ex S. Hilario eo loci fideles per Baptiſmum ſunt realiter unum inter ſe: ergo à pari erunt unum realiter cum Chriſto per Sacramentum carnis ejus.

Diſtinguo antecedens. Ad mentem S. Hilarii, fideles per Baptiſmum ſunt realiter unum inter ſe, quia habent eandem rem Sacramenti, ſcilicet, fidem & gratiam, Conc. Et hoc ſufficiat ad propoſitum ſancti Hilarii, qui probandum ſuſceperat, fideles per Baptiſmum eſſe unum inter ſe, non ex ſolo conſenſu voluntatum, ſed per rem aliquam ipſis communem, ſcilicet fidem: ſunt realiter unum per identitatem & communionem ejusdem naturæ, Nego anteced. Baptiſmus enim etiam ad mentem Sancti Hilarii, non communicat eandem naturam & ſubſtantiam.

Diſtinguo etiam conſequens; fideles erunt unum realiter cum Chriſto per Sacramentum carnis ejus in ſenſu hæretico, hoc eſt, ſupponendo cum Novatoribus, per Euchariſtiam accipi quandam virtutem, quæ ſit communis Chriſto & nobis, tranſeat: erunt unum realiter cum Chriſto ad mentem Sancti Hilarii per verba ejus clarè expreſſam, Nego conſeq. nam S. Doctor inculcat, Chriſtum eſſe in nobis per identitatem natu-

naturæ carnis & corporis, quomodo eſt in Patre per identitatem Spiritus.

Concilium Alexandrinum, præſide Sancto Cyrillo anno 430. in epiſt. ad Neſtorium, quæ approbata & adoptata eſt à Concilio Epheſino generali, act. 5. anno 431. ſic loquitur: *Confitemur, incruentum in Eccleſia ſacrificium nos celebrare, utpote participes ſacræ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti effectos ... Quamvis enim dicat Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem, & biberitis, &c. neutiquam communem carnem, hoc eſt, hominis naturæ conditionis carnem eſſe exiſtimare debemus, ſed verè illius propriam, qui noſtri cauſa Filius hominis factus & appellatus eſt.* Ergo univerſalis Eccleſiæ, quam repræſentabat Concilium Epheſinum, doctrina eſt in ſexto cap. Joan. nobis promitti veram Chriſti carnem in Euchariſtiæ Sacramento. Similia habet Epiphanius Act. 6. Concilii Nicæni II. anno 787. *Nullus aliquando incruentum noſtrum ſacrificium imaginem corporis Chriſti dixit ... ſed audiunt Evangelicè dicentem eum, niſi manducaveritis carnem*, &c. Tract. eſſet prolixior, ſi exſcriberentur omnium SS. Patrum teſtimonia, Irenæi lib. 4. c. 4. Cypriani lib. de oratione Dominica, Ambroſii lib. de initiandis c. 8. Cyrilli Jeroſolymitani catech. 4. Chryſoſtomi homil. 45. in Joan. Epiphanii hæreſi 55. Cyrilli Alexandrini in cap. 6. Joan. Theodoreti lib. 4. hiſt. cap. 2. Leonis ſerm. 6. de jejunio ſeptimi menſis; Damaſceni lib. 4. orthodoxæ fidei c. 14. & aliorum, qui omnes uſque ad duodecimum ſæculum intellexerunt citatum cap. de Euchariſtia; quin & Concilium Tridentinum licet in hanc rem nihil definierit, tamen ex cap. 6. Joan. reperit hujus Sacramenti mirabiles effectus, ſeſſ. 13. c. 2.

Enimvero de iis nulla alibi mentio: absurdum est autem, Christum, qui Baptismi, & aliorum Sacramentorum virtutem & necessitatem edocuit Apostolos, priusquam illa institueret, ipsis nec præparatis, nec præmonitis corpus & sanguinem distribuisse.

Dices 1. Multi Patres exponunt hanc tertiam capitis partem; alii de verbo Dei, ut S. Clemens lib. 1. Pædagogi, Origenes in lib. Num. & S. Basilius Epist. 141. Alii de Scriptura sacra ut S. Hieronymus in Psalm. 147. Alii de Baptismo, in quo infantes Christo incorporantur; ita Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Milevitani: alii de Passione Christi suaviter recolenda, ut S. Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16. *Facinus*, inquit, *vel flagitium videtur jubere*, (Christus, cùm dicit, nisi manducaveritis, &c.) *figura ergo est præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quòd caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Tract. verò 26. in Joan. & serm. 16. de divers. nunc 271. dicit per hunc cibum & potum intelligendam esse societatem corporis & membrorum Christi, quod est Ecclesia. *Corpus ergo Christi*, inquit cit. serm. 16. *Si vis intelligere, audi Apostolum*, vos estis corpus Christi.

Respondeo, familiare esse non solùm Patribus, sed & scriptoribus sacris sic prosequi sensum tropicum & moralem, ut non negent sensum literalem. Numquid enim Apostolus negat veritatem historiæ veteris Testamenti, dum scribit 1. Cor. 10. omnia Judæis in figuram contigisse, & Gal. 4. Agar esse montem in Arabia, Saram verò esse Jerusalem? Quòd autem Patres

tres in objectione laudati intellexerint de Eucharistia, quod legitur Joan 6. *nisi manducaveritis*, &c. constat ex eorum scriptis. Nam Sanctus Basilius lib. 1. de Baptismo cap. 3. & in regulis moralibus, reg. 21. & Sanctus Hieronymus epist. ad Helbidiam, locum illum de præcepto Eucharistiæ percipiendæ interpretantur. Origenes verò in librum Num. sic scribit: *Bibimus sanguinem Christi, & ritu Sacramentorum, & cùm sermonem ejus accipimus.* Sanctus quoque Augustinus lib. 1. de pecc. mer. cap. 20. *Audiamus*, inquit, *non de Sacramento Baptismi, sed de Sacramento mensæ dicentem, nisi manducaveritis.*

Quod affertur ex S. Innocentio nimis probat; nam inde sequeretur, Sanctum Pontificem exclusisse Eucharistiam è numero Sacramentorum, quod apertè falsum est, & contra Novatorum doctrinam. Vult ergo, parvulos post Baptismum decedentes, non percepta Eucharistia, manducasse carnem Christi in voto, ac proinde vita æterna minimè privari, ut dicetur infra, ubi de præcepto communicandi.

Instabis; saltem sequitur ex allatis textibus, præsertim Sancti Augustini, non probari ex cap. 6. Joan. corpus Christi realiter manducari: quia, ut loquitur Sanctus Doctor, verba illa flagitium sonant, ideoque figuratè sunt accipienda; unde expositione in Psalm. 98. Christum loquentem proponens, sic scribit: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent? Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos; etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet*

tet tamen inviſibiliter intelligi. Quod ita certum fuit Sancto Doctori, ut idipſum crebro repetat. Nam cap. 12. contra Adimantum Manichæum, explicans, quomodo anima in veteri Teſtamento dicatur eſſe in ſanguine, ſic ſcribit: *Poſſum etiam interpretari illud eſſe in ſigno poſitum; non enim dubitavit Deus dicere, hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Item epiſtola 23. num. 98. ad Bonifacium, docet, Baptiſmum rectè dici fidem, Euchariſtiam quoque corpus Chriſti, quia eorum ſunt ſigna; *Si enim Sacramenta*, inquit, *quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine ſigna plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendam modum Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei fides eſt.* Ergo ſicut Baptiſmus non eſt verè & propriè fides, ſed tantum ejus ſignum ut cauſa, ſic nec Euchariſtia corpus Chriſti.

Ex quibus colligit S. Doctor lib. 21. de Civitate Dei cap. 25. malos nec recipere corpus Chriſti in cœna, nec fidem in Baptiſmo. *Non ſe dicat*, (peccator) *aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum.* Nam in ejus ſententia accipit ſolùm ſignum corporis Chriſti in Euchariſtia, & ſignum fidei in Baptiſmo. Clarius adhuc mentem ſuam aperit laudato ſerm. 16. de diverſis, nunc 271. quæ cùm ſit quædam catecheſis pro infantibus mox communicaturis, debuit propriis verbis Eccleſiæ doctrinam exponere, & ſine metaphoris enodare difficultatem, quam proponit in hunc

hunc modum : *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quo die voluit, in cœlum aſcendit, illuc levavit corpus ſuum, ibi eſt modò ſedens ad dexteram Patris, quomodo eſt panis corpus ejus.* En difficultas infantibus explicanda, ut ſciant, qua fide ad Euchariſtiam debeant accedere. Sic autem ſolvit : *Iſta, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur : quod videtur, formam habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Corpus ergo Chriſti, ſi vis intelligere, audi Apoſtolum : Vos eſtis corpus Chriſti. Ergo myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum*, &c. Hoc eſt, Euchariſtia eſt corpus Domini, quatenus fideles in illo Sacramento unum corpus Chriſti myſticum evadunt. Hic exultant Novatores, & ſibi plauſum faciunt, nec verentur dicere, *totus noſter eſt Auguſtinus*, ſed inanis hæc gloria, eſt in confuſione ipſorum; ſiquidem vel uno Auguſtino, hæreticorum malleo, Novatorum error conteritur, & in pulverem redigitur. Itaque

Nego ſequelam, utpote quæ ſit contra expreſſam Sancti Auguſtini mentem in expoſitione tum Pſalmi 33. tum Pſalmi 98. in objectione laudati. In priori loco conc. 1. expendens, quod de David legitur 1. Reg. 21. *ferebatur manibus ſuis*, quando immutavit faciem ſuam coram Adverſariis, ſic ſcribit : *quomodo fieri poſſit in homine, quis intelligat, quis enim portetur manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ad literam non invenimus, in Chriſto autem invenimus; ferebatur enim in manibus ſuis Chriſtus, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait : Hoc eſt corpus meum : ferebat enim in manibus ſuis illud corpus.* Idipſum repetit S. Doctor concione 2. in

eundem Pſal. *Quomodo*, inquit, *ferebatur in manibus ſuis? quia cùm commendaret ipſum corpus ſuum .... accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe portabat quodammodo*, &c. At, inquiunt Adverſarii, quid eſt, *quodammodo*, niſi impropriè, figuratè, metaphoricè? Novas ergo ſignificationes imponunt nominibus: quis enim unquam his terminis, *quidem homo*, intellexit hominem depictum & in figura? Omnes, tum docti, tum indocti concipiunt verum hominem, ſed indeterminatum. Similiter his vocabulis, *quodammodo* omnes intelligunt aliquem verum modum, ſed indeterminatum. Quis autem ſit ille modus, non determinat S. Doctor, & quidem, ut videtur, de induſtria; ait enim, *norunt fideles;* nimirum, quia prioribus ſæculis Paſtores myſterium Euchariſtiæ occultabant, non ſolùm Infidelibus, ſed & Catechumenis, de quibus S. Auguſt. ſic ſcribit Tract. 11. in Joann. *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſto? Reſpondet, Credo, & ſignat ſe cruce Domini ſui, ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum, manducas carnem Filii hominis, & bibis ejus ſanguinem? neſcit, quod dicimus.*

Sed quicunque tandem ſit ille modus, quo Dominus ſe ipſum in manibus ferebat, talis eſt, ex Sancto Auguſtino, ut ſit impoſſibilis aliis omnibus hominibus, quod Zvvinglianorum & Calviniſtarum errorem manifeſtè deſtruit, cùm certum ſit, quemlibet poſſe portare vel ſuam imaginem aut figuram, vel virtutem ſubſtantialem corporis ſui, imo & partem ſubſtantiæ ſuæ, ſed nullus corpus ſuum integrum. Chriſtus ergo in doctrinam Sancti Auguſtini, verum & proprium corpus in mani-

manibus suis portabat, cùm id præstiterit, quod impossibile est omnibus hominibus.

Quòd si quæras, quis sit ille modus, quo Dominus seipsum in manibus suis portabat,

Respondeo uno verbo, esse modum sacramentalem, sed amplius non quæras; nam ex Concilio Tridentino sessione 13. cap. 1. *Etsi verbis exprimere vix possumus, tamen possibilem esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus.*

Non minùs clarè S. Augustinus fidem Catholicam exponit, citata expositione in Psalm. 98. quæ licèt sit prolixior, necessarium tamen videtur eam exscribere, tum quia Novatores ex ea palmare suum argumentum eruunt contra Catholicos; tum quia vel hinc discent omnes, quàm mala fide Novatores producant SS. Patrum truncatos textus, quos si integros proferrent, non solum evanesceret difficultas, sed sæpe contra aggressores retorquerentur.

Igitur Sancto Augustino quærenti, quod sit scabellum pedum Dei, de quo ait laudato Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, occurrit illud Isaiæ 66. *Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.* At quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè Scriptura: *Dominum Deum tuum adorabis*, Deuteron. 6. & Matth. 4. Respondet S. Doctor: *Fluctuans converto me ad Christum.....suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Quod ergo manducatur

ducatur in cœna, adoratur, ex Sancto Auguſtino, & quidem ea adoratione, quæ ſoli Deo debetur; de hac enim ſola anxius erat S. Doctor : atqui figura aut virtus ſubſtantialis corporis Chriſti hoc modo nequit adorari, ut agnoſcunt Calviniſtæ, qui eam non adorant : Ergo S. Auguſtinus aliud confitetur in Euchariſtia, quàm figuram & virtutem ſubſtantialem. Dicant ergo Novatores, quid illud ſit, niſi Chriſtus Dominus, verus Deus, & verus homo? Pergit S. Doctor. *Nunquid autem caro vivificat? ipſe Dominus dixit, cùm de ipſa commendatione ejuſdem terræ loqueretur, Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem nihil prodeſt. Ideo & ad terram quamlibet cùm te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intueris, ſed illum Sanctum, cujus pedum ſcabellum eſt, quod adoras, propter ipſum enim adoras .... & cùm adoras, ne cogitatione remaneas in carne, & à ſpiritu non vivificeris, Spiritus, inquit, vivificat; caro autem nihil prodeſt. Tunc autem, quando hoc Dominus commendavit, de carne ſua locutus erat, & dixerat, niſi quis manducaverit,* &c. *ſcandalizati ſunt quidam Diſcipuli ejus ... acceperunt illud ſtultè, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt, quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt, durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo; etenim ſi duri non eſſent, ſed mites eſſent, dicerent ſibi, non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens, quod illis diſcedentibus, qui remanſerunt, didicerunt. Ille autem inſtruxit, & ait illis, Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem nihil prodeſt; verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis,* &c. Quid ais, o Doctorum oculatiſſimè? contradictoria nobis videris loqui; modò enim dixiſti, Dominum in Sacramento dediſſe carnem

nem suam, ex Maria Virgine natam, graviterque monuisti nos peccaturos, nisi prius eam adoraverimus, quàm manducemus : nunc verò dicis, *non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis.* Nunquid corpus, quod videbant Apostoli, natum non erat ex Maria Virgine? Quomodo ergo hæc verba tua cohærent cum præcedentibus?

Sub diverso respectu corpus est idem & non idem; idem in substantia, non idem in forma visibili : videbatur ab Apostolis in forma humana, & creditum est ab ipsis in forma invisibili sub signis visibilibus. Hoc sensu dixit Apostolus 1. Corinth. 16. corpus, quod sepelitur, idem & non idem resurrecturum : idem in substantia, non idem in accidentibus : seminatur in corruptione, in ignobilitate, & infirmitate, surget in incorruptione, in gloria, & in virtute : seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.

Apostoli ergo non erant manducaturi corpus quod videbant, hoc est, in forma visibili & humana : nec dentibus dilaniaturi; nam, præterquamquod caro sit mortua & concisa, non prodest quidquam, hic modus manducandi grande esset flagitium, quare ad mentem Sancti Doctoris cit. lib. 3. de Doctr. Christ. verba illa, *nisi manducaveritis*, &c. figuratè dicuntur, & intelligenda sunt de Sacramento seu signo, quod dentibus comminuitur.

Porrò signum illud seu Sacramentum dicitur corpus Christi; *signa enim plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt*, ex cit. epistola ad Bonif. Sic Baptismus dicitur fides, quia est signum fidei. Signum autem illud non excludit rem significatam, sed eam præsentem denotat, nempe panis seu species panis corpus Christi, ut & Baptismus fidem; quemadmodum

admodum ex Sancto Doctore citato lib. contra Adimantum, ſanguis ita eſt ſignum animæ, ut eam in corpore contineat, & Baptiſmus fidei, ut eam infantibus tribuat; unde cùm baptizantur, verè dicuntur credere; *quid eſt enim credere, niſi fidem habere?* cit. epiſtola ad Bonifacium. Enimverò niſi Sacramentum viſibile Euchariſtiæ contineret realiter & ſubſtantialiter carnem Chriſti, quomodo ſine crimine idololatriæ ibi adoraretur? Auguſtinus enim monet priùs adorandam, quàm manducetur.

Duobus ergo modis in doctrina S. Auguſtini, quæ eſt & Eccleſiæ, manducatur caro Chriſti. 1. ſacramentaliter tantùm, 2. ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul. Priori modo illam manducant peccatores, Sacramentum terunt, & comminuunt dentibus ſuis, non ipſam carnem, quia illa non eſt cibus corporis, ſed animi: id eſt, facultas animalis nutritiva vim ſuam non exerit in carnem Chriſti, non eam concidit, non comminuit dentibus, non convertit in ſubſtantiam; nam manducare non eſt cibum ſimpliciter trajici in ſtomachum, ut patet ex hypotheſi, quòd trajiceretur cibus in ſtomachum cadaveris: non idcircò diceretur cadaver manducare, licèt cibus realiter & ſubſtantialiter tranſmitteretur in ejus ſtomachum. Quòd autem in doctrina Sancti Auguſtini peccatores, etſi ſacramentaliter tantùm carnem Chriſti manducent, eam tamen realiter & ſubſtantialiter ore accipiant, conſtat tum ex ejus expoſitione in Pſal. 21. ubi docet peccatores, quamvis carne Chriſti non ſaturentur, eam tamen manducare in Sacramento, & adorare; tum ex cap. 8. lib. 5. de Baptiſmo, ubi ſic ſcribit: *indignè quiſque ſumens Dominicum*

nicum Sacramentum, non efficit, aut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil accipit; corpus enim Christi Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus: qui manducat indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Soli itaque justi carnem Christi spiritualiter manducant, & inde saturantur juxta illud Ps. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur,* interprete S. Augustino. Ideo autem justi dicuntur pauperes, quia Dominum requirunt, terrenis despectis: saturantur, quia Christum Dominum imitantur, passionibus ejus communicantes; saturitas eorum fides & justitia, eructatio laus Dei: vivent corda eorum in sæculum sæculi, qui enim manducat hunc panem, vivet in æternum. Ita ferè S. Augustinus in hunc locum.

Quod autem objiciunt adversarii ex Serm. Sancti Augustini ad infantes, efficaciùs in ipsosmet retorquetur: ex ipsis quippe S. Augustinus catechesim instituit, ut infantes præparet ad sacram Cœnam, debuitque propterea explicare, quæ sunt præcipua in hoc mysterio, sine quibus non annumeraretur inter Sacramenta novæ Legis, nempe quòd sit signum carnis Christi pro nobis assumptæ, & crucifixæ, contineatque virtutem substantialem ejusdem carnis: atqui S. Doctor illa præcipua prætermittit, docetque, ideo panem dici corpus Christi, quia est signum societatis fidelium: ergo in ejus mente Eucharistia ne quidem est signum corporis Christi, ex Maria Vigine nati, neque continet virtutem ejus substantialem. Ergo ulteriùs concludet Socinianus, non est Sacramentum, cùm instituta non sit ad significandam promissionem gratiæ fide apprehendendam. Viderint

Cal-

Calviniſtæ, quomodo ſe expediant ex his vinculis, in quæ imprudenter ſe conjecerunt, aſſerendo, Sanctum Auguſtinum eo loci docere, infantes quidquid poſſe & credere debeant de Euchariſtia. Nos interim reſpondemus Sanctum Doctorem alloqui infantes jam probatos & admiſſos ad ſacram Menſam, ac proinde edoctos quæcumque pertinent ad naturam & proprietatem hujus Sacramenti, ſed documenta quædam moralia ipſis tradere deſumpta ex aliquali ſignificatione hujus myſterii; quod ut intelligas,

Advertes Euchariſtiam eſſe ſignum tum rememorativum rei præteritæ, ſcilicet Paſſionis Chriſti, ejus humilitatis, obedientiæ & charitatis erga homines: tum prognoſticum rei futuræ, puta beatitudinis æternæ: tum demonſtrativum rei præſentis, nimirùm præſentiæ realis, gratiæ ſanctificantis, unionis, quam inter ſe habere debent fideles, tanquam membra corporis Chriſti myſtici, *unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*, 1. Corinth. 10. Porrò monuimus jam familiare fuiſſe, atque etiamnunc eſſe Paſtoribus Eccleſiæ unam aut alteram ex his ſignificationibus moraliter proſequi ad informandos mores audientium. Legatur ſermo qui objicitur, & perſpicuum erit eum non habere rationem catecheſeos, utpote qui moralia quædam documenta ſolùm contineat.

Hìc diutiùs immorari oportuit, tum ut palam fieret Sanctum Auguſtinum expreſse & conſtanter docuiſſe præſentiam realem, Novatoreſque ejus ſcriptis abuti ad ſuum errorem confirmandum: tum ut veluti clavem miniſtraremus ad aperienda, quæ clauſa utcunque occurrunt in operibus

aliorum

aliorum Patrum; quæcunque enim apud eos difficilia sparsim leguntur, ea ferè omnia in scriptis Sancti Augustini collecta reperiuntur. Quare quæ per ordinem hìc digessimus, accurratè sunt observanda & retinenda.

Dices 2. Nomina illa, *cibus*, *panis*, in contextu ejusdem orationis usurpata debent eodem sensu proferri, aliàs deciperentur auditores: atqui nomina illa ex concessis in secunda parte cit. cap. 6. dicuntur de fide Incarnationis: ergo & in tertia.

Confirmatur. Si quid cogeret interpretari alio sensû laudata verba in 3. parte capitis 6. maximè, quia ibi conjunguntur cum verbo futuri temporis, *panis*, *quem ego dabo*, quod innuit Christum promittere alium panem ab eo, quem offerebat præsentem in 1. parte capitis: atqui hæc ratio nulla est: tum quia panis etiam conjungitur in 2. parte cum verbo futuri temporis: *operamini .... cibum .... quem Filius hominis dabit vobis*: tum quia in 3. parte dicitur in præsenti tempore, *caro ... mea verè est cibus .... qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: atqui non erat tunc cibus Eucharisticus & sacramentalis: ergo erat cibus objectivè, quatenus erat objectum fidei, quam commendabat Christus Dominus, quo sensu seipsum dicit in 2. parte capitis, panem vivum, qui de cœlo descendit. Tum denique, quia Dominus ipse in 3. parte amputat omnem cogitationem carnalem à mentibus auditorum. *Caro*, inquit, *non prodest quidquam; verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Id est, rem spiritalem significant, nempe fidem in ipsum.

Distinguo majorem, nisi qui loquitur certis signis indicet se illa nomina ad alium sensum trans-

ferre, Concedo: secus, Nego maj. Adversarii enim coguntur fateri panem duplici sensu accipi in hoc Christi sermone sed tertium sensum, quem crassiores Capharnaitæ deprehenderunt, agnoscere detrectant. Panis itaque & cibus hìc tripliciter sumuntur.

Dicuntur 1. de pane materiali, quem Dominus multiplicaverat ad quinque hominum millia reficienda. Cùm autem propter hujusmodi panem Christum quærerent, ipse pro more mentes illorum ad sublimiorem panem erigit; quemadmodum mulierem Samaritanam, cum qua loquebatur de aqua ex puteo haurienda, excitat ad quærendam fidem nomine aquæ designatam, Joan. cap. 4. Et Marthæ loquenti de vita temporali & actuali, respondet de vita æterna & spirituali, Joan. cap. 21. Sic in hoc serm. Capharnaites panem materialem quærentibus, proponit panem spiritualem, nempe seipsum per fidem apprehendendum, *operamini*, inquit, *non cibum*, *qui perit*, *sed* .... *quem Filius hominis dabit vobis*: dabit; inquam, si in eum credatis, id est, gustabitis quàm sit suavis panis ille vivus, qui de cœlo descendit; alloquitur enim non credentes, qui defectu fidei, cœlesti illo pane, licèt præsente, nondum fruebantur. Nomina ergo illa, *panis*, *cibus*, hìc secundam habent significationem, quam Capharnaitæ facilè perceperunt, nec quidquam in hoc sermone durum senserunt, nisi ubi Christus dixit se de cœlo descendisse, *nonne*, inquiunt, *hic est Jesus filius Joseph?* ..... *quomodo ergo dicit hic*, *quia de cœlo descendi?* Ad credendum verò ipsum esse panem vivum, majora solùm exigebant miracula, *quod ergo*, inquiunt, *tu facis signum*, *ut videamus*, *&*

creda-

credamus tibi? .... Patres nostri manducaverunt manna in deserto, nihil majus fecisti multiplicans quinque panes. Christus, exposita necessitate gratiæ ad credendum, quòd sit panis vivus per fidem percipiendus, transit ad præstantiorem modum sumendi illum panem, jamque in tertia significatione nomina illa, *panis*, *cibus*, accipit, nempe pro Sacramento, quod erat instituturus, *panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hoc non dicitur iis, qui non credunt, sed omnibus credentibus: quamvis enim per fidem jam habeant panem vivum, qui de cœlo descendit, nondum tamen per Sacramentum illum possident, sed eis promittitur. Nec refert, quòd addat: *caro ... mea verè est cibus*, non verò, erit cibus; nam semel demonstrata re futura, solent homines deinceps loqui de ea quasi esset præsens, beneficium, inquiunt, tibi conferam, quod est pretiosissimum; sic Christus ubi dixit Joan. 17. electos sibi datos à Patre, ut det eis vitam æternam, quod sanè futurum est, de ea subdit, *hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te*, &c. Porrò iste sensus verborum Christi ita est naturalis, & obvius fuit Capharnaitis, ut ea intellexerint de carne, non per fidem apprehendenda, sed reverà manducanda. Hinc eorum murmur; *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Supra dicente Domino, *ego sum panis vivus*, responderunt, *quod facis signum, ut .... credamus tibi?* intelligebant enim illa dici de fide. Hìc verò, *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* errarunt quidem existimantes carnem Christi dentibus comminuendam, quam carnalem cogitationem amputat his verbis, *caro non prodest quidquam;*

verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, id est, caro mortua, & à Verbo separata, nihil prodest; verba quæ locutus sum, intelligenda sunt de manducatione sacramentali & spirituali. Sed ne videamus nostra proferre, audiatur S. August. tract. 27. in hunc locum, ubi sic loquitur: *O Domine! Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam .... caro non prodest quidquam, quomodo illi intellexerunt carnem; quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est, scientia inflat? sola sine charitate, ideo adjunxit, charitas ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia; non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat sptritus ad carnem, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.* Et ita corruunt, quæ profert Aubertinus ad confirmandam objectionem.

Confirmatur nostra responsio. 1. Si Christus Dominus nullatenus de Sacramento Eucharistiæ locutus fuisset, amota jam cogitatione Capharnaitarum, Discipuli nihil in ejus verbis explicatis ad mentem Novatorum deprehendissent, quod offendere debuisset; verba enim sic explicata aliud non continent, quàm quod ab initio crediderant, nempe Christum descendisse de cœlo, ut per fidem det vitam spiritualem mundo, quomodo panis materialis dat vitam corporalem. *Ex hoc* tamen, inquit Sacer Textus, *multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.* 2. S. Joannes

Evan-

Evangelista nihil de Sacramento Eucharistiæ scripsisset. Nec opponant adversarii auctoritatem Sancti Hieronymi monentis, S. Evangelistam solummodo suscepisse narranda, quæ ab aliis Evangelistis fuerant prætermissa; namque ab aliis relata ipse repetit, quoties circumstantias quasdam ab illis omissas recensendas sibi proponit. Sic de Baptismo Joannis non silet cap. 1. quamvis de illo scripsissent alii Evangelistæ, quia de Sancto Præcursore multa alia scripturus est. Similiter cap. 6. iterum attingit miraculum, quo satiati sunt quinque millia hominum, quia fuit occasio sermonis, quem Christus Dominus habuit ad Capharnaitas. Et cap. 12. ubi multorum meminit, quæ ab aliis fuerant omissa, interserit ea, quæ ipsi retulerunt, v. g. de effusione unguenti, & de solemni ingressu Christi Domini in urbem Jerusalem; illa enim sic inter se connexa videbantur, ut unum sine alio describi non posset. Cùm igitur cap. 13. Sanctus Evangelista narret, quo ordine Christus ultimam cœnam instituerit, quomodo ad eam Apostolos præparaverit per pedum lotionem, de qua nihil apud alios Evangelistas, ratio instituti exigebat ut aliquid de Eucharistia scriberet, maximè cùm præmisisset initio capitis Christum meditatum fuisse opus eximiæ virtutis & potentiæ, *sciens*, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus .... surgit à cœna*: tum describit quomodo laverit pedes, & nihil prætereà, in quo eluceat omnipotentia, de qua tam magnificè fuerat prælocutus. Quid ita, nisi quia jam de hoc mysterio fusè scripserat c. 6. Denique cùm laudata verba, *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, sicut & ista, *in finem dilexit eos*, referantur ad Sacramentum Eucharistiæ, cogunt

nos intelligere in eo singulare miraculum, & signum eximii amoris; porrò nihil esset singulare, si nonnisi figuram corporis contineret, aut ad summum, virtutem quandam ejusdem corporis. Nonne corpora cœlestia virtutem suam naturaliter usque ad terram diffundunt? Nonne Judæi, saltem religiosiores, per fidem manducaverunt & biberunt carnem & sanguinem Christi, quem manna & petra figurabant? Hic tamen longè præstantior cibus & potus promittitur.

CAPUT XI.

Utrùm præsentia realis probetur ex verbis institutionis, Hoc est Corpus meum?

R. Probatur efficaciter; quia Scripturæ verba naturali, proprio, & obvio sensu debent intelligi, quando nihil continent, quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, & aliis ejusdem Scripturæ verbis clarioribus: atqui laudata verba, *Hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*; nihil continent, quod repugnet aut bonis moribus, aut fidei, & aliis Scripturæ verbis clarioribus: ergo debent intelligi naturali, proprio, & obvio sensu.

Major, quam S. Augusti. lib. 3. de doctrina Christiana c. 1. tradit veluti regulam certissimam ad interpretandas sacras scripturas, probatur; quia cum verba sint instituta ad significandum aliquid determinatè, v. g. *homo*, ad significandum animal rationale, dubitandum non est, quin Spiritus sanctus ea usurpaverit in illo sensu, quem habent ex

ex hominum inſtituto; aliàs Scripturæ eſſent exaratæ, non ad docendum, ſed ad decipiendum, quod eſt blaſphemia. Deinde ſi relicto naturali verborum ſenſu, omnia ad tropos & metaphoras transferre liceret, omnia fidei dogmata, & divina præcepta convellerentur; una ſiquidem poſſet eſſe omnium reſponſio, metaphora eſt: v.g. ubi dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ſignificatur Deum ab adventu Chriſti ſpecialem curam rerum humanarum gerere; item, *Deus ſpiritus eſt*, id eſt, corpus ſubtile, quemadmodum aer dicitur ſpiritus; item *baptizantes eos*, &c. ſenſus eſt, ſubjicientes fidei, quæ conſcientias lavat, & ita de cæteris.

Metaphoras quidem nonnunquam homines intexerunt in ſuis ſermonibus: ſed præterquam quòd raræ ſunt, facilè intelliguntur, vel ex uſu recepto, vel ex modo loquendi, vel ex antecedentibus & conſequentibus: ſic fert hominum uſus, ut continens nominetur pro contento, homo depictus pro ejus imagine: v.g. dicatur vas effundi, *hic eſt calix qui pro vobis fundetur*, Luc.22. hic eſt Cæſar, demonſtrata ejus imagine. Similiter in ironia nullum eſt mendacium, nullusve decipitur; quia ex modo loquendi, ſtupidiſſimi intelligunt nec ſeriam, nec ſimplicem eſſe orationem. Ex contextu etiam ſermonis figurata locutio percipitur, ut ſi quis deſcribens victorias Alexandri magni, leonem eum diceret, ea ratione perſpicuum fuit Apoſtolis Chriſtum Dominum figuratè loqui, quando ſe dixit vitem veram, Joan. 15. id enim colligebant ex conſequentibus, ubi eoſdem vocat palmites, & Patrem agricolam; ſicut enim ſentiebant ſe non eſſe propriè palmites, ſic facilè colligebant Chriſtum non eſſe propriè vitem,

Denique si nullis indiciis possit deprehendi metaphora, qui loquitur solet mentem explicare: sic Christus Lucæ 12. *attendite à fermento Pharisæorum*, subdit, *quod est hypocrisis.*

Dixi, nisi repugnet bonis moribus, aut fidei, quia cùm impossibile sit Deum aliquid inhonesti præcipere, vel contradictoria loqui, ubi verba ejus flagitium, aut contradictionem præ se ferunt, necesse est ad sensum figuratum recurrere. Majore sic explicata,

Minor, nempè verba illa, *Hoc est corpus meum* in sensu naturali, proprio, & obvio nihil continere, quod repugnet bonis moribus, fidei, & aliis Scripturæ textibus, probatur,

1. Certum est voces illas, *Hoc est corpus meum*, propriè ex hominum instituto significare rem ipsam, quam demonstrant, nempe corpus Christi, quemadmodum hæ propositiones, hic est Petrus, hoc est aurum, significant verum hominem in individuo, verum aurum.

2. Nihil cogit aut determinat ad accipiendas prædictas voces in sensu metaphorico & improprio.

Non flagitium, aut facinus, si in proprio sensu intelligantur. Quale enim flagitium, si corpus Christi sacramentaliter, & modo spirituali accipiatur cum reverentia & devotione, uti debet ad animæ sanctificationem? Nonne est opus religiosum & laudabile? An dicent adversarii flagitium aut facinus esse, quòd Christus Dominus verus Deus & homo, supremo cultu dignus exponatur contumeliis? Hæc objectio utcunque toleranda esset in homine pagano, aut Sociniano, qui negat mysterium Incarnationis, quo admisso, ut admittunt adversarii, sequitur Christum

verum

verum Deum & hominem inclusum fuisse per novem menses in visceribus Virginis, fasciis infantilibus ligatum, furentibus Judæis expositum, ab eis crudeliter occisum, tandemque in sepulchro conditum. *Totum Dei mei penes vos dedecus*, inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 27. *Sacramentum est humanæ salutis . . . . illa quidem Deo indigna, homini autem necessaria, & ita jam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm hominis salus.*

Non repugnant fidei, aut aliis Scripturæ textibus. Nullum hactenus Novatores protulêre, nec proferent contrarium, in quo Scriptura, vel clariùs, vel æquè clarè neget, quod affirmat his propositionibus, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Quinimò, quod S. Matthæus primus retulit, illud ipsum iisdem verbis omnes alii Evangelistæ, & S. Paulus 1. ad Cor. 11. confirmarunt, & quidem variis in regionibus, & diversis temporibus; nunquam monuerunt fideles ad sacram Mensam accedentes, nomine corporis Christi, ejus figuram aut virtutem esse intelligendam, sed constanter docuerunt, spiritualem cibum, qui eis administrabatur, esse corpus Christi. Quin exigebatur ab eis illud responsum, *Amen*, quæ consuetudo pluribus sæculis in Ecclesia permansit. Quæro jam ab Adversariis, utrùm metaphora possit esse continua, non solum apud eundem Scriptorem sacrum, sed apud omnes, quamvis scripserint diversis temporibus, & variis occasionibus, quæ sæpius exigunt, ut mutetur modus loquendi? Quis possit cogitare, vel audeat dicere Scriptores sacros nunquam Eucharistiam proprio nomine appellasse, scilicet figuram corporis Christi, licèt de ea sæpius sermonem habuerint, sed

ſed conſtantes uſos verbis metaphoricis ? Non auſus eſt ipſe Lutherus, quamvis ſupra teſtatus ſit ſe ardenter id exoptaſſe.

Non ex communi uſu loquendi hominum colligitur ſenſus figuratus, quemadmodum imago v. g. Regis, aut Chriſti Domini in cruce pendentis dicitur Rex, aut Crucifixus, juxta illud S. Auguſtini, *ſigna rerum, quas ſignificant, nomina accipiunt.* Namque panis nec naturaliter nec ex inſtituto hactenus fuerat ſignum, aut imago corporis Chriſti, ut eo demonſtrato poſſet dici, *Hoc eſt corpus meum.* Ut ſtaret ergo adverſariorum interpretatio, Chriſtus debuiſſet priùs monere Diſcipulos, ſe daturum panem in ſignum corporis ſui, ut hoc ſigno jam inſtituto, de eo poſſet dicere, hoc eſt corpus meum; ſicut Dominus, præmonitis Judæis cap. 12. Exodi, ſanguinem agni fore eis ſignum, quando pertranſiret percutiens primogenitos Ægyptiorum, dixit, *eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini.*

Non denique ex modo loquendi, nempe ex contextu ſermonis colligitur figurata locutio; quinimò illa ipſa proprietatem ſenſus determinant. 1. Chriſtus jam jam moriturus, Diſcipulos uti amicos & filios alloquitur. Quis autem magiſter, ſive pater diſcipulis aut filiis ultimum vale dicat, & intima cordis ſui explicet verbis figuratis & metaphoricis ? 2. Legem ſancit præcipuam, ſine qua vitam æternam non habebunt, teſtamentum condit, in quo expandit amoris ſui divitias ſecundùm plenitudinem poteſtatis à Patre acceptæ, *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo*, inquit Joan. Evangeliſta cap. 13. *in finem dilexit eos . . . ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus . . . ſurgit à*

cœna,

cœna, &c. Notanda sunt illa magnifica verba, quæ innuunt Dominum dedisse Apostolis eximium & singulare amoris sui pignus, & ad illud exhibendum opus ei fuisse omnipotentia divina. In cujus autem mentem veniet ista præparare Discipulos ad accipiendam meram figuram corporis, ut vult Zwinglius; aut ad summum virtutem quandam ejusdem corporis, ut fingit Calvinus; cùm hujus rei figuras nobiliores habuerint Judæi, nec ad id præstandum extraordinaria omnipotentia requiratur, ut suadet exemplum corporum cœlestium, quæ naturaliter virtutem suam ad terras diffundunt? Quis verò tam imprudens legem suam concipit verbis metaphoricis, ut eam subditi ad libitum interpretentur, & negligant? Quis pater in testamento suo, tam figuratè & ænigmaticè loquitur, ut legatarii decipiantur, & pro prædiis & domibus legatis figuram tantùm accipiant? non tam impiè Apostoli, & eorum successores de Legislatore sapientissimo, & de Patre optimo judicarunt, ut patebit ex capite sequenti.

Objiciunt tamen Novatores levia quædam. Primum, sæpius in Scripturis verbum substantivum, *est*, sumitur pro verbo, *significat*, ut Exodi cap. 12. *est enim phase, id est, transitus Domini.* Joan. 15. *Ego sum vitis vera.* Matth. 11. de Joanne Baptista, ait Dominus, *ipse est Elias*; Ergo & in hac propositione, *hoc est corpus meum*; ponitur, *est*, pro *significat*, quod ipse Dominus declaravit Joan. 6. ubi sic Apostolos allocutus est, *caro non prodest quidquam, verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Secundum Christus expressè monuit Apostolos, Joan. 12. se secundum humanitatem

tatem non remansurum in terris, *pauperes*, inquit, *semper habebitis vobiscum*, *me autem non semper habebitis*. Tertium, tractans de Sacramento Eucharistiæ, sic habet, *hoc facite in meam commemorationem*; commemoratio autem non est rei præsentis, sed absentis. Quartum, Actuum 3. v. 21. dicitur de Christo, *quem oportet cœlum recipere usque in tempora restitutionis omnium*: ergo non est quærendus in terra; licet enim nobis eodem argumento uti, quo Angelus ad mulieres quærentes corpus Jesu in sepulchro, *surrexit*, inquit, *non est hìc*. Si autem corpus Christi posset esse simul in diversis locis, vana fuisset Angeli consequentia, quod cùm nefas sit dicere, simili argumento concludimus: Christus in cœlum levavit corpus suum: ergo non est in terra. Quintum, Christus post resurrectionem noluit in terris manibus tangi, sed solùm per fidem in cœlo apprehendi, *Noli me tangere*, inquit ad Magdalenam, *nondum enim ad Patrem ascendi*, Joan. 20. Sextum, tres Evangelistæ expressè nos monent, ne credamus dicentibus Papistis, Ecce illic est Christus, in domibus, in penetralibus, Matth 24. Marci 14. & Lucæ 21. Septimum, ne Apostoli ad literam acciperent, quod Christus dixerat, *hic est sanguis meus*, subdidit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, *usque in diem illum*, *cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, Matth. 26.

Calix ergo est genimen vitis, nec post tam clara verba aliud Apostoli cogitare potuerunt. Præterea quod Dominus eis bibendum dedit, illud ipsum erat, quod ipse post resurrectionem quam vocat regnum Dei, bibiturus erat novum, id est, novo modo; qui jam non ex infirmitate, & ad

& ad reparandas corporis vires: atqui post Resurrectionem non bibit suum proprium sanguinem, sed merum vinum, cum Eucharistiam non celebraverit: Ergo non dedit Apostolis, nisi vinum bibendum. Hi fuerunt vani prætextus scindendi Ecclesiam & avellendi populos à suis Pastoribus.

Respondeo sigillatim.

Ad primum, fallacia est crassissima & ridicula, qualem videre est in hoc syllogismo similiter vitioso: multa animalia sunt asini: atqui Petrus est animal: Ergo Petrus est asinus. Ideo enim peccat ille syllogismus, quia præmissæ sunt particulares, ex quibus nihil potest concludi. Porrò tales sunt propositiones hujus syllogismi Zwingliani; multæ sunt Scripturæ propositiones, in quibus, *est*, ponitur pro, *significat*, qualis est ista, *phase est transitus Domini*; atqui verba illa, *hoc est corpus meum*, sunt Scripturæ propositio: Ergo in illis, *est* ponitur pro, *significat*: Hæc ratiocinii fallacia Zwinglium persuasit, ut supra testatus est, commovitque ad horrenda sacrilegia patranda, seditiones excitandas, ex quibus innumeræ cædes sunt secutæ. Quod verò addunt in confirmationem præclari illius ratiocinii, *caro non prodest quidquam*, capite præcedenti exposuit Sanctus Augustinus.

Ad secundum, non dixit Christus se omni modo absuturum: futurus enim erat præsens, saltem præsentia majestatis, juxta illud Matth. 28. *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: itaque modo quodam, scilicet visibili, me semper non habebitis, ut hæc pietatis officia mihi exhibere possitis. Quæro enim ab adversariis, an-

non

non vera esset adhuc illa Christi propositio, me semper non habebitis, in hypothesi, quòd post Resurrectionem in cœlum non ascendisset, sed in terris jam immortalis, & ut plurimum invisibilis remansisset? Propter hunc novum existendi modum, quem habuit à mortuis suscitatus, sic affatus est Apostolos Luc. 24. *hæc locutus sum vobis, cùm essem vobiscum*, quasi jam ipsum non haberent.

Instabis, Sanctus Augustinus in hunc locum sic scribit, *Secundum* (carnem) ..... *ascendit in cœlum: & non est hic: ibi .... sedet ad dextram Patris ... & hic est, non enim recessit præsentia majestatis ... Habuit ..... illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt.* Ergo, inquit Aubertinus, Sanctus Augustinus non agnovit præsentiam carnis realem in Sacramento, etiam invisibilem, aliàs sicut confitetur invisibilem majestatis præsentiam, sic & humanitatis invisibilem præsentiam non diffiteretur.

Nego conseq. Nunquid enim Pastores Ecclesiæ Romanæ negant Christi præsentiam realem in Sacramento, quia in Catechesibus quotidie docent Christum per ascensionem à nobis recessisse secundùm præsentiam corporalem, nobiscum verò permanere secundùm divinitatem? Hæc & similia dicuntur, quia divinitas hìc adest suo connaturali modo ubique operans, preces nostras audiens, interiùs nos admonens, & multifariam gubernans; sicque homines præsertim justi fruuntur ejus præsentia; quod de humanitate Christi dici nequit; licèt enim in Sacramento realiter existat, tamen nobiscum non versatur, oculis eam non videt Ecclesia, sed tantùm fide tenet, præsentiam ejus non experimur, non eam alloquimur,

quimur, non respondet, non sensibiliter operatur, sed Deus merito illius multa nobis beneficia præstat.

Ad tertium, distinguo: commemoratio non est rei præsentis, tum menti, tum sensibus, Concedo: præsentis tantum menti, Nego. Nam licèt Deus sit ubique præsens, attamen justi memores illius esse dicuntur, *memor fuit Domini in toto corde suo*, cap. 1. Tobiæ. Et cap. 14. vers. 8. *ut sint memores Dei, & benedicant eum omni tempore.*

Ad quartum, credit Ecclesia Romana non esse impossibile apud Deum omne verbum: verbum autem Dei est, *ascendo ad Patrem meum*, item *hoc est corpus meum*: utrumque credunt Catholici: Valeant ergo Novatores, qui, ut excusent præsumptam à se Ecclesiæ reformationem, magna cum ambitione profitentur se Scripturam sequi verbo ad verbum, cùm eam temere rejiciant, & ejus loco propriæ mentis fœtum, tanquam fidei argumentum substituant. Scriptum est, inquiunt *oportet eum cœlum recipere.* Hoc credunt omnes, nulla hìc controversia. Sed & scriptum est, *hoc est corpus meum*; illud ergo nobiscum credite. Absit, reponunt illi, hæc propositio ad literam credibilis non est. Quid ita? quia impossibile est idem corpus esse simul in diversis locis, & ex eo quòd scriptum sit, *oportet eum cœlum recipere*, rectè colligimus eum non esse substantialiter in Eucharistia. Hæc est fides vestra? Ergo fides vestra verbo Dei non nititur, sed verbo hominum; Deus enim non dixit, sed vos ipsi dicitis, Christus non est substantialiter præsens in Eucharistia. Ubi magnifica illa verba Apostoli vestri supra relata? *meminerimus*, ajebat supra Calvinus

lib.

lib. 4. Institut. c. 32. §. 10. *quantum supra sensus omnes nostros emineat Spiritus Sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides.* Jam ad ingenii vestri angustias totum redigitis, ut negetis Deum posse, quod vobis impossibile videtur. Probanda est ergo Socinianorum interpretandi ratio, quibus figuratæ & metaphoricæ sunt hæ propositiones: *Verbum caro factum est, Ego & Pater unum sumus;* quia impossibile est tres personas realiter distinctas, esse unum realiter & idem in natura.

At, inquiunt Calvinistæ, non nos, sed Sanctus Augustinus docet & inculcat impossibile unum corpus esse simul in cœlo & in terra, *sursum est Dominus*, inquit, tract. 30. in Joan. *sed etiam hìc est veritas Dominus: Corpus enim Domini, in quo enim resurrexit, uno loco esse oportet; veritas autem ejus ubique diffusa est.* Lib. 2. contra Faustum cap. 11. probat Christum secundùm præsentiam corporalem simul & in Sole & in Luna, & in Cruce esse non potuisse. Et libro contra epist. Manich. cap. 16. sic scribit: *Nec omninò potest esse aliquod corpus, sive cœleste, sive terrestre, quod non minus sit in parte, quàm in toto . . . sed aliud hìc & aliud ibi, per quælibet spatia locorum distantia distenditur . . . tolle spatia locorum corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt.*

R. 1. Fides nostra non nititur auctoritate Sancti Augustini, sed verbo Dei, nec ullius est ponderis auctoritas cujusquam hominis, si sit contraria sacræ Scripturæ. Absit autem, ut tam infausta de tanto Doctore maximè hìc suspicemur; cùm tam clarè de præsentia reali scripserit. Consule,

sule, quæ ex ejus operibus exscripsimus capite præcedenti. Restat ergo, ut secundum regulam ab ipso traditam, obscurius dicta per clariora explicentur, ne contradictoria scripsisse videatur; itaque

R. 2. Distinguendo, Corpus Domini in uno loco esse oportet, naturaliter, Conc. Quo sensu intelligendus est Angelus ad mulieres, *surrexit, non est hic*, in hypothesi tamen, quod ratiocinetur, ut supponunt Adversarii; nam simpliciter mysterium exponit, non est hic jacens in sepulchro mortuus, sed surrexit: in uno loco esse oportet supernaturaliter, Nego. Et quidem ad mentem sancti Doctoris; nam cit. tract. 3. in Joan. ostendit hoc esse discrimen inter veritatem, & corpus, quòd veritas, quæ Dominus est, exigat ubique diffundi; corpus verò non item. Similiter lib. 20. contra Faustum, confutat Manichæorum deliria; docebant enim illi Jesum esse ligatum in Sole, Luna, arboribus, & aliis corporibus, probatque modum illum existendi in pluribus locis, esse contra naturam corporum, utrùm autem id supernaturaliter fieri possit, non expendit. Potest tamen colligi ex ejus verbis Deo non esse impossibile; nam de spiritu subdit ipsum in cruce pati non potuisse, cùm tamen in ejus sententia spiritus reproborum per ignem materialem supernaturali virtute torqueantur. Ex quibus liquet sanctum Doctorem loqui de rebus secundum ordinem naturalem spectatis; maximè cum capite 17. libro de Cura pro mortuis, dubitet num spiritus cujusdam Monachi, qui manens in suo Monasterio, apparuit in somniis alteri longè posito, in duobus locis simul extiterit.

Simile dubium proponit de anima Martyris, quæ in diverſis locis miracula operatur, num ſcilicet, ibi adſit realiter præſens; nulla eſſet quæſtio, ſi hoc crederet etiam divinitus impoſſibile.

Confirmatur hæc reſponſio, tum ex Scriptura 1. Corinth. 15. Chriſtus in cœlo exiſtens viſus eſt Sancto Paulo: *Noviſſime autem omnium*, inquit, *tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Et capite 9. *non ſum Apoſtolus? nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Porro hæc viſio non fuit in imagine ſolum, aut per phantaſma; cùm per eam probet veritatem reſurrectionis. Tum ex Patribus capite ſequenti laudandis, qui de Euchariſtia tractantes, agnoſcunt inſigne miraculum, & opus ſingulare omnipotentiæ divinæ, quòd Chriſtus eodem tempore ſit in cœlo & in terra.

Dices: Contradictoria ſunt abſolute impoſſibilia; nec poſſunt eſſe objectum omnipotentiæ divinæ: atqui contradictorium eſt idem corpus eſſe ſimul in diverſis locis, quia eſſet à ſeipſo diviſum, & non eſſet; idem acciperet eſſe, & non acciperet. Illa enim ſunt diviſa, inter quæ medium exiſtit, medium autem exiſteret inter corpus Chriſti exiſtens in cœlo, & corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia, & tamen ſupponitur unum & idem corpus. Item corpus Chriſti produceretur per verba conſecrationis: ergo tranſiret à non eſſe ad eſſe, ſicque eſſe acciperet, quod ſupponitur jam habere. Similiter contradictionem involvit corpus Chriſti eſſe ſine quantitate & extenſione; corpus enim humanum, niſi organicum ſit, jam non eſt corpus, ſed maſſa informis: organicum autem eſſe non poteſt, ſine aliqua extenſione: Ergo.

Reſpon-

Respondeo distinguendo majorem, quæ verè contradictoria sunt, Conc. Quæ talia apparent propter tenuitatem humanæ rationis, quæ non potest objecta supernaturalia attingere, Nego major. Similiter distinguo minorem, & Nego conseq. Enimverò quæ oculorum aciem fugiunt, tanquam caligine circumfusa cernuntur, sed errorem sensus corrigit ratio; sic quæ humani ingenii acumen superant, ea statim repugnare videntur; at fides verbo Dei innixa, intellectum roborat, erigitque ad credendum non esse impossibile Deo omne verbum; alioquin quomodo ipsi Novatores mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis vindicarent contra inanes impossibilitatis causas, quas Sociniani objiciunt?

Cæterum Philosophorum Scholæ multis ostendunt contradictorium non esse, 1. rem eandem existere absque sui divisione in diversis locis; namque anima rationalis existit tota in toto corpore, & in qualibet parte corporis, nec censetur divisa, licet medium intercedat inter caput, in quo est tota, & pedes, in quibus etiam tota existit. Deinde si pes aut caput præscinderetur, quidni Deus per omnipotentiam suam conservaret animam tum in parte præcisa, tum in reliquo corpore? An Deus à seipso divideretur in hypothesi, quod crearet alium mundum, in quo præsens adesset sicut in isto? Divisio enim est inter partes realiter distinctas. Cum autem hic supponatur eadem substantia in diversis locis, non ipsa, sed loca dividuntur. 2. Si secundum fidei nostræ articulum idem corpus potest reproduci diversis temporibus, nempe dum resurget immortale; quidni & in diversis locis? Nonne in conserva-

tione, quæ estjejusdem rei jam existentis continuata productio, intelligitur quædam reproductio? Cùm primum res producitur, transit à non esse simpliciter ad esse simpliciter; cùm verò secundum transit à non esse secundùm quid, ad esse secundum quid; hoc est, accipit novum essendi modum, v. g. in hoc loco, hoc tempore, quem ante non habebat. 3. Philosophi etiam secundùm suas diversas opiniones circa quantitatem, & alia accidentia, explicant quomodo corpus organicum possit divinitus reddi indivisibile, qui essentiam quantitatis reponunt in impenetrabili radicali, seu in exigentia, ut partes sese expellant ab eodem loco, efficiantque materiam actu extensam, docent corpus in punctum redactum remanere organicum, retinereque suam quantitatem, qua partes ordinatæ sunt respectu sui, non respectu loci. Item, secundum eos, essentia accidentis consistit in exigentia ad inhærendum & informandum subjectum; unde illa exigentia ne divinitus quidem potest separari ab accidente; sed actu inhærere, aut informare, est effectus tantum secundarius, sine quo Deus potest conservare accidens.

Philosophi vero moderni, qui contendunt nec extensionem externam, nec alia accidentia realiter distingui à materia, dicunt 1. corpus Christi in Eucharistia non esse sine aliqua extensione, quæ tamen ita est exigua & parva, ut ipsum corpus nec dividi, nec frangi possit, cùm dividuntur aut franguntur species, ratione quarum figuratè dicitur corpus Christi frangi, aut dividi. An verò difficilius est Deo corpus humanum ita redigere, quàm camelum per foramen acus transmittere, Matth. 10. v. 26.? 2. Fracta hostia corpus

pus Chriſti ſub qualibet parte ſpecierum exiſtere, ut expreſſe definit Concilium Trid. ſeſſ. 13. can. 3. quemadmodum fracto ſpeculo imago, quæ una ante repræſentabatur, jam multiplex apparet, ſed utrùm ante ſeparationem ſit totum in qualibet parte hoſtiæ, Concilium non explicat. 3. in Euchariſtia remanere quidem ſpecies, ſeu apparentiam panis & vini, ut docent Tridentini Patres cit. ſeſſ. 13. quantitatem verò, & alia accidentia minime, utpote quæ non diſtinguantur á ſubſtantia panis & vini, quæ non ſupereſt. Quid autem ſint illæ ſpecies, ſive illa apparentia, nec attingunt laudati Patres, nec eodem modo explicant illi Philoſophi; ſed in eo conveniunt omnes, myſterium Euchariſtiæ manifeſtam non includere contradictionem. Unum hic monemus circa tam varios Philoſophorum opinandi modos, in hac materia, ſcilicet omnem opinionem à Scholis Philoſophicis eſſe eliminandam, niſi conciliari poſſit cum doctrina Eccleſiæ; quod enim veritati repugnat, illud eſt neceſſario falſum. Imo Chriſtianus Philoſophus illam ſententiam præferet, quæ ad ornatum Sanctuarii ſubſerviat, & myſteria Religionis noſtræ feliciùs explicet.

Ad quintum; cùm locus ille ſatis ſit obſcurus, diverſimodè exponitur: alii, ut S. Auguſtinus & S. Thomas, exiſtimant hæc verba, *noli me tangere*, eſſe Chriſti increpantis Magdalenam ob fidei defectum, quaſi dixerit, nolo me tangas, cùm me Patre minorem credas, necdum in mente tua ad æqualitatem Patris aſcenderim: alii magis ad literam, ut videtur, ſic explicant: noli hic immorari, ſed vade ad Diſcipulos, & nuntia, quæ vidiſti, poteris poſtea me tangere & videre,

non enim ſtatim aſcendo ad Patrem. Sed inaudita eſt, & manifeſtè contraria verbo Dei Calviniſtarum interpretatio, nam Chriſtus ipſe dixit Apoſtolis omnibus: *Videte & palpate*, Luc. 24. & ſpeciatim S. Thomæ, *infer digitum tuum huc*, Joan. 20.

Ad ſextum, hic ſubit mirari, qua audacia Calviniſtæ ſacris Scripturis abutantur; tam clarè enim Chriſtus loquitur de Pſeudo-Prophetis, qui ſurgent noviſſimis diebus, ut verba ejus nullatenus ad Euchariſtiam detorqueri poſſint: *Surgent*, inquit Matth. 24. *Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere*, &c. Quid inde contra Euchariſtiam concludi poteſt?

Ad ſeptimum, 1. certum eſt Chriſtum non conſecraſſe totum vinum in menſa appoſitum, ſed partem ejus. Dubium autem eſt, utrum verba ejus, *non bibam de hoc genimine vitis*, cadant in Calicem Euchariſticum, an in communem. Poſterius videtur colligi ex S. Luca cap. 22. Nam refert illa verba quaſi dicta fuerint in cœna communi, & antequam inſtituta eſſet Cœna Euchariſtica. Sed priùs Adverſariis concedamus, hæc dixerit Chriſtus de Calice Euchariſtico. Reſpondemus 2. Calix Euchariſticus dicitur vinum, ſeu genimen vitis, vel quia eſt ex vino in ſanguinem Chriſti converſo, quo ſenſu dicitur Matt. 11. *cæci vident, ſurdi audiunt;* vel quia habet ſpeciem vini: vel denique quia eſt verus potus fidelium. Hoc ſenſu Eccleſia Romana etiam nunc in

in Officio publico, & Pastores in Pulpitis vocant Euchariſtiam panem, vinum germinans virgines : *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum. Panis Angelicus fit panis hominum.* Adde hæc verba, *non bibam*, &c. ſecundùm alios Interpretes eſſe referenda ad regnum cœlorum, in quo electi recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob, Matth. 8. Hunc ſenſum inſinuant verba Sancti Lucæ, cap. 22. *donec impleatur in regno Dei, donec regnum Dei veniat;* ſicque ſpiritualiter intelligendum, *non bibam ex hoc genimine vitis;* nam in regno cœlorum nec Chriſtus, nec electi propriè bibunt.

CAPUT XII.

Utrùm præſentia realis habeatur ex Traditione?

Aubertinus & Blondellus fatentur, præſentiæ realis dogma à ſeptimo ſæculo invaluiſſe, illiusque prima fundamenta jeciſſe Anaſtaſium Sinaitam circa annum 636. Iis audacior Claudius, non ita pridem pſeudo-miniſter, contendit hujusce opinionis primum auctorem fuiſſe Paſchaſium Radbertum Corbejenſis Monaſterii Abbatem, in libello, quem circa annum 831. edidit de corpore & ſanguine Domini, aitque zizania erroris, ut ipſi videtur, ita excreviſſe dormientibus Paſtoribus decimi ſæculi, quo tenebræ peccati & ignorantiæ, univerſam Eccleſiæ faciem occuparunt, ut Berengarius, qui Spiritus Sancti impulſu agrum Domini purgandum ſuſcepit, tanquam Novator & Hæreticus fuerit proſcriptus. Sed contra

R. Ecclesia universalis semper, & ubique præsentiam realem credidit & docuit, nullumque è mysteriis nostris isto clariùs elucet in Traditione.

Probatur ex sanctis Patribus.

S. Ignatius, qui senex Martyr Romæ occubuit anno 108. sic scribit epist. ad Smyrnæos: *Hæretici ab Eucharistia & Oratione abstinent; eo quòd non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* Hæc autem epistola est ex legitimis & genuinis: ergo tempore sancti Ignatii Ecclesia credebat, Eucharistiam esse veram carnem.

S. Justinus, Apologia 2. quam scripsit circa annum 150. hæc habet: *Quemadmodum per verbum Dei homo factus Jesus Christus, Salvator noster, & carnem, & sanguinem, salutis nostræ causa habuit; ita etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ ..... alimoniam incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Hic non potest recurrere Claudii distinctio carnis & sanguinis in figura, aut in virtute; nam ex sancto Martyre eo modo per verba consecrationis Eucharistia fit caro & sanguis Christi, quo modo per Incarnationem Verbi Jesus Christus habuit carnem & sanguinem.

S. Irenæus Lugdunensis Episcopus & Martyr, Discipulus sancti Polycarpi, qui fuit auditor S. Joannis Evangelistæ, scripsit circa annum 180. lib 4. cap. 32. *Panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis ejus.* Et cap. 44. *Quemadmodum*, inquit, *qui est de terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans,*

terre-

terrena, & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Et paulò post de pane & vino, *quæ percipientia verbum Dei, Eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi.*

Tertullianus, qui floruit secundo & tertio sæculo, sic habet libro de resurrectione carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur ..... Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Ubi notandum 1. carnem vesci corpore Christi: Ergo non solum fide & spiritualiter accipitur corpus Christi, sed etiam ore & materialiter. 2. Eodem modo caro vescitur corpore Christi, quo abluitur & ungitur: atqui non abluitur nec ungitur in figura: ergo neque in figura vescitur. Et libro 4 contra Marcionem capite 40 probans Deum esse auctorem veteris Testamenti sicut & novi, ex eo quòd in posteriori adimpleverit figuras prioris, hæc verba Jeremiæ figurata, *mittamus lignum in panem ejus*, ostendit fuisse impleta, dum Christus Dominus panem fecit corpus suum, additque, quòd in verbis Jeremiæ figura non fuisset, si veritas non esset subsecuta: ergo in mente Tertulliani, Christus Dominus non figuram, sed veritatem corporis sui dedit, verba illius sunt: *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Ubi Tertullianus nomen, *figura*, non ad corpus, sed ad panem refert, per figuram, quam hyperbaton vocant, quæque satis frequens est apud illum auctorem; namque cap. 19. libro contra Praxeam habet, *Christus mortuus est, id est, unctus.* Et lib. 4.

contra Marcionem cap. 11. *aperiam in parabolam aurem meam, id est, in similitudinem;* quòd autem Tertullianus utatur hyperbato in allato textu referatque nomen, *figura*, ad panem, evidens est, tum ex ejus instituto, tum ex verbo, *fuisset*, quod designat rem longè ante præteritam, nempe in veteri lege, in qua panis figura corporis Christi non fuisset, nisi post Christi verba, corporis ejus veritas nunc esset; ubi *fuisset*, & *esset*, denotant diversa tempora; at verò idem tempus spectarent, si nomen illud, *figura*, in propositione referretur ad nomen immediatè præcedens, nempe ad *corpus*. S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, & Martyr anno 258. tract. de lapsis, & epist. 63. disertè agnoscit in Eucharistia corpus & sanguinem Christi Domini.

S. Cyrillus creatus Episcopus Jerosolymitanus anno 356. sic mysterium explicat recens baptizatis catech. 4. *Cùm ipse de pane pronuntiaverit, ac dixerit; hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem tam asseveranter dixerit: hic est sanguis meus; quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem?* Et allato exemplo aquæ in vinum conversæ in urbe Cana, subdit: *Cum omni certitudine ea tanquam corpus ipsius & sanguinem sumamus .... etiamsi gustus panem esse sentiat ..... tametsi sensui gustus vinum esse videatur .... cave autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittes, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Hìc deficiunt omnes distinctiones Aubertini & Claudii; nec enim Concilium Tridentinum & Catechismi nostri clariùs loquuntur. S. Hilarium ejusdem ætatis testem produximus cap. 10. omni exceptione majorem.

San-

Sanctus Gregorius Nyssenus, qui florit circa finem quarti sæculi, sic loquitur oratione catechetica cap. 37. *Recte Dei verbo sanctificatum panem in corpus Dei Verbi transmutari credo*, & addit, quæ excludunt omnes Novatorum cavillationes, 1. Corpus Christi in nostrum corpus ingredi: ergo non per solam fidem sumitur. 2. Quemadmodum panis, quem Dominus in cibum sumebat, transmutabatur in substantiam ejus, efficiebaturque corpus Verbi, sic per verbum consecrationis panem convertit in corpus Dei Verbi.

S. Ambrosius, qui obiit anno 396. libro de initiandis cap. 9. sic confirmat nutantem circa Christi realem præsentiam in Eucharistia: *Fortè dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura firmavit, sed quod benedictio consecravit?* Et allato exemplo virgæ Mosis in Serpentem mutatæ, subdit: *Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non etiam potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non minus est novas rebus dare, quàm mutare, naturas. Præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod efficimus, corpus ex Virgine est.* Eadem habet lib. 4. de Sacramentis, si tamen opus illius sit.

S. Chrysostomus, qui fato functus est quinto ineunte sæculo, sic ait homil. 88. in Matth. *Quoniam ipse dixit, hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed oculis intellectus id perspiciamus.* Hom. 83. *Quis Pastor unquam propriis membris oves nutrivit? Et quid dico Pastores? multæ matres sæpè aliis nutricibus infantes dederunt; ipse verò non ita; sed ipse nos sanguine proprio nutrivit.* Et hom. 46. in Joann. *Non*

modò secundùm charitatem, sed etiam ipsa re unum corpus cum Christo efficimur ..... id quippe fit per cibum, quem largitus est .... ardenter amantium hoc est. Hoc Job significat de servis, qui suum amorem præseferentes dicebant, quis det de carnibus ejus, ut saturemur? ... Elias Melotem discipulis reliquit: Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit: sed Eliam quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Illud enim corpus, Juda, quod triginta denariis vendidisti: id quod est in calice, est id quod fluxit ex latere, & illius sumus participes. Quid est hoc horribilius? quid autem amabilius? Sicut enim corpus illud utitur Christo, ita & nos ipsi Christo per panem illum utimur. An Catholici possint nunc clarioribus verbis mysterium explicare? At, inquiunt Novatores, S. Chrysostomus desiderantibus Christum videre, respondet, ipsum in paupere vides, ipsum tangis. Quid tum? idipsum hodie dicunt Concionatores nostri, quia nimirum pauperes sunt membra corporis mystici, & sibi datum computat Christus, quod pauperi dederimus; an propterea negant corpus Christi physicum existens in cœlo, & in Eucharistia?

S. Augustini testimonium supra cap. 10. retulimus: obiit autem S. Doctor anno 430.

S. Cyrillus Alexandrinus, qui præfuit Concilio Ephesino generali an. 431. sic habet lib. 10. in Joan. *Non negamus, recta nos fide charitateque sincera Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis communicationis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profecto pernegamus. An fortassis putat, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? ..... Unde considerandum est non habitudine tan-*

tantùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, sed & per participationem naturalem.

Quid ad hæc Novatores? Cyrillus, inquiunt lib. 6. in Joan. scribit, Christum subduxisse præsentiam humanitatis, non divinitatis. Alibi etiam negat Eucharistiam esse antropophagiam.

Respondeo. Vel ex tali objectione colligas quàm frustra, & quàm mala fide Catholicis opponant textus sanctorum Patrum. Namque 1. libri sextus, septimus, & octavus non est opus S. Cyrilli, sed Clictovæi Doctoris Parisiensis, qui decimo sexto sæculo fuit strenuus defensor præsentiæ realis contra Sacramentarios. Ergo quæ leguntur apud Antiquos, minùs accuratè expressa, non nocent præsentiæ reali; cùm Catholici Doctores nonnunquam eodem modo hodie mentem suam explicent. 2. Sanctus Cyrillus scribit contra Nestorium carnem, quam in Sacramento percipimus, non esse carnem puri hominis, ut volebat ille hæresiarcha, sed carnem filii Dei. Solutio patet ex Epistola Synodica cap. 10. supra laudata, ad asserendum præsentiam realem quinto sæculo fuisse in universali Ecclesia creditam: hanc enim Epistolam in Conc. Ephesino generali fuisse probatam citato cap. ostendimus.

Confirmatur: Nestoriani, qui in Concilio Ephesino ab Ecclesia separati sunt, hactenus permanent in fide præsentiæ realis, sicut & Eutychiani etiam præcisi in Concilio Chalcedonensi ann. 450. ut constat ex testimoniis authenticis contra Claudium prolatis in eximio opere de perennitate fidei circa Eucharistiam. Certè hanc doctrinam non hauserunt à Catholicis, ex quo ab

eis

eis recessere. Restat ergo dicendum, ipsos retinuisse hanc fidem, quem ab Ecclesia ante suam hæresim acceperant.

S. Leo, qui per suos Legatos præfuit Concilio Chalcedonensi anno 450. sic loquitur Serm. 6. de jejunio septimi mensis: *sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis; hoc enim ore sumitur, quod corde creditur, & frustra ab illis, Amen, respondetur, à quibus contra id, quod accipimus, disputatur.* Et Epistol. 23. ad Clerum Constant. *In Ecclesia Dei,* inquit, *in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communionis Sacramenta taceatur: credimus veram carnem.*

S. Gregorius Magnus, qui Ecclesiam rexit sexto & septimo sæculo, ejusdem fidei testis est hom. 22. in Evang. *Quid sit*, inquit, *sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quomodo non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei perversis moribus contraire?* An non Lectori hæc videntur extracta ex Catechismis nostris?

Anastasius Sinaita, qui floruit circa annum 635. in Odigo, id est, viæ duce, sic respondentem Gajanitam, sive Eutychianum inducit c. 23. *Absit, ut dicamus sacram Communionem esse tantùm figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus & sanguinem Christi filii Dei incarnati, & ex sacratissima Deipara, & semper Virgine Maria nati verè accipimus.* Orthodoxus reponit, *sic credimus & confitemur .... Non enim dixit, hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei.* Hìc exploditur illa vir-

tus

tus à Calvino efficta; est enim quid gerens vices corpus Christi. Hoc fatetur Aubertinus contendens hoc sæculo fidem Ecclesiæ fuisse immutatam. Sed vanam prorsùs præsumptionem demonstrant Patres supra laudati; qui verbis non minus claris, quàm Anastasius, præsentiam realem confitentur.

Objiciunt tamen 1. Origenem, qui in c. 15. Matth. sic scribit: *Quod ingreditur in os, non sanctificat hominem, etiamsi à simplicioribus credatur, scilicet is, qui vocatur panis Domini, non suaptè natura sanctificat . . . . . juxta id, quod materiale habet, in ventrem abit; nec materiæ panis, sed qui super illum dictus est sermo, prodest.* Ergo ex Origene Eucharistia non per se sanctificat, sed per solam fidem. 2. S. Augustinus Epist. 205. alias 146. ad Consentium, vult Christi in cœlo non habere sanguinem. Quomodo ergo nunc in Eucharistia sumeretur ejus sanguis, nisi in figura & virtute? 3. Facundus Hermianensis in opere, quod sexto sæculo scripsit pro defensione trium Capitulorum, quæ damnata sunt in Concilio generali V. hæc habet: *Potest Sacramentum adoptionis* (nempe Baptismus) *adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus, non quòd proprie corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quòd in se mysterium corporis ejus & sanguinis contineant . . . . . quocircà sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis ejus accipientes, rectè dicuntur accipere corpus & sanguinem Christi; sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, rectè dici potuit adoptionem filiorum suscepisse.* En Calvinistarum Achilles.

R. 1. generatim. 1. Etiamsi unus & alter ex antiquioribus circa Eucharistiam contra omnium fidem erraverit, non nutabit propterea universalis Ecclesiæ traditio. An non ex constanti traditione definitum est valere Baptismum apud hæreticos collatum, licèt Tertullianus, S. Cyprianus, & S. Firmilianus contrarium docuerint? 2. Cùm Eucharistia duabus constet partibus, materiali & cœlesti, cur non credamus aliquos ex Antiquioribus illam inadæquatè spectasse & secundùm faciem exteriorem, maximè cùm alii contemporanei de ea ex professo & adæquatè tractantes, disertè asseruerint esse verum corpus Christi ex Maria Virgine natum? Nonne ipse Paschasius, quem auctorem novi dogmatis de præsentia reali asserit Claudius; Eucharistiam vocat mysterium, quod in pane celebratur? *Hæc*, inquit, *mystica sunt, in quibus veritas carnis & sanguinis, in mysterio tamen & figura.* Sic & Hincmarus, quem Adversarii rejiciunt, tanquam Paschasio adhærentem, scripsit Christum Dominum tradidisse novum testamentum in pane & vino aqua mixto, transtulisse mysterium Passionis suæ in creaturam panis & vini. Sic Carolus Magnus epistola ad Alcuinum, ait: *Jesus Christus dedit panem & calicem in figura sui corporis.* Sic sanctus Fulbertus Episcopus Cranotensis, sub cujus disciplina Berengarius aliquandiu egerat, docet Christum reliquisse salutare pignus sui corporis. Sic sanctus Bernardus, qui post Berengarium floruit, ait: *Nec oportet Sacramenti cortice esse contentum, carnis fursure . . . . . cum pari jucunditate sumitur memoria & præsentia.* Hæc & similia, si Novatores legerent in Veterum scriptis, victoriam carerent. Cùm ergo hæc scripta sunt ab iis, quos Adversarii

sarii agnoscunt credidisse præsentiam realem, nonne æquum & necessarium est eodem sensu accipere nonnulla à veteribus minùs accuratè dicta, & in speciem pugnantia cum his, quæ vel ipsi, vel alii, sive coætanei, sive antiquiores clariùs scripserunt?

R. 2. Sigillatim ad singula.

Ad primum 1. Illæ homiliæ Origenis in Matth. sunt dubiæ auctoritatis, siquidem Erasmus eas primus edidit, qui nec profert textum Græcum, nec dicit ubi; aut unde acceperit. 2. Origenem eo nomine à Theophilo Alexandrino, epistola 1. Paschalis fuisse reprehensum, quòd ad allegorias traxerit *panem divinum; quo Salvatoris corpus ostenditur*, 3. Lib. 8. contra Celsum, Origenes agnovit realem præsentiam: *Oblatos panes*, inquit, *edimus, sanctum corpus quoddam sanctificans eos, qui cum sancto proposito utuntur*. Quibus posterioribus verbis patet quo sensu dixerit in cap. 15. Matth. panem non suaptè natura sanctificare, etiamsi à simplicioribus credatur; subdit enim eo loci, *nam si ita esset, sanctificaret quò indignè comedit Dominum*. Et homil. 7. in lib. Num. ait: *Tunc in ænigmate cibus* (nempè manna) *nunc autem in specie caro Christi, & verus cibus, sicut ipse dicit, Caro mea verè est cibus*. 4. Eucharistia dicitur ab Origene corpus typicum; quia, ut suprà ait Paschasius, hoc Sacramentum est figura & veritas: figura, id est, species, quæ cùm sint aliquid materiale, in ventrem & in secessum abeunt.

Ad secundum. Legatur epistola S. Augustini, & nebula, quam injiciunt Adversarii, evanescet; vult enim duntaxat Christum non habere sanguinem in cœlo corruptioni obnoxium, nutrientem &

& vegetantem corpus ejus, quod est omninò incorruptibile; unde explicans verba Apostoli, *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, dicit hæc de corruptione mortalitatis esse intelligenda. Quòd autem S. Doctor agnoverit fideles in Sacramento bibere sanguinem Christi, constat ex cap. 10. libro 12. contra Faustum, ubi sic loquitur : *Habet ..... magnam vocem Christi sanguis in terra; cùm eo accepto ab omnibus gentibus respondetur*, Amen; *hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium.* Et cap. 20. docet à fidelibus bibi, quod è latere Christi emanavit. Ex quibus colliges Adversarios textus Scripturæ & SS. Patrum legere, non ut instruantur & doceant, sed ut decipiantur, vel decipiant.

Ad tertium. 1. Facundus pugnat contra judicium universalis Ecclesiæ, quæ in Concilio Quinto generali damnavit Theodorum Episcopum Mopsuestenum, olim Nestorii præceptorem, quòd scripsisset Christum Dominum esse Filium Dei adoptivum. Cùm ergo Facundus malam caussam tueatur, non mirum est, si leviora argumenta proferat, & ex eis malè concludat. Igitur in argumentum suæ causæ adducit Baptismum, quem Dominus suscepit, ex quo concludit, Christum posse dici Filium adoptivum; nam in ejus principiis ille est filius adoptivus, qui adoptionem suscepit : atqui Christus suscipiendo Baptismum, adoptionem suscepit; nam rectè dicitur adoptionem recipere, qui signum adoptionis, hoc est, Baptismum recipit, quemadmodum fideles, dum recipiunt signum corporis Christi, in Eucharistia, dicuntur recipere corpus Christi.

Porrò ex ratiocino Facundi ad ejus mentem expo-

exposito, non evertitur fides realis præsentiæ, quinimò astruitur; nam sicut in mente Facundi, Baptismus ita est signum adoptionis, ut eam contineat verèque conferat, sic panis, licèt propriè non sit corpus Christi, dicitur tamen corpus Christi, quia est ejus signum; signum, inquam, non vacuum, sicut nec Baptismus est signum vacuum adoptionis, sed est signum plenum, continens rem significatam, nempè corpus Christi, ideòque Fideles in cœna Dominica verè & propriè sumunt corpus Christi, quamvis panis ipse non propriè dicatur corpus Christi. 2. Ecclesiæ fides circa aliquod mysterium non eruitur ex scriptis Veterum, ubi auctor, ut Facundus, ex occasione tractat de illo mysterio, & ex eo solùm deducit similitudines & mysticas rationes ad aliud suadendum; sed consulenda sunt scripta, in quibus ex professo mysterium asseritur contra Hæreticos, ut Eucharistia in epistola sancti Ignatii ad Smyrnæos: in Conciliis Alexandrino, ac Ephesino jam laudatis, & in Nicæno II. mox citando: vel explicatur, sicut in Apologia S. Justini, in catechesibus SS. Cyrilli Jerosolymitani, & Ambrosii, ubi Patres doctrinam Ecclesiæ simpliciter exponunt. Ex his autem probatum manet præsentiam realem semper & ubique creditam fuisse usque ad ætatem Anastasii Sinaitæ, hoc est, usque ad septimum sæculum inclusivè.

Quod verò spectat posteriora sæcula, dissentiunt Adversarii nostri; Blondellus enim & Aubertinus ultrò fatentur abhinc mutatam fuisse fidem Ecclesiæ, ut jam monuimus; solus Claudius contendit illam mutationem referendam ad 10. sæculum, hujusque mutationis mala semina Paschasium nono sæculo jecisse. Sed tanquam cæcus palpat

in meridiana luce, atque hujuſce veritatis teſtes ſunt ex benemultis

Primò, S. Joannes Damaſcenus ſcripſit circa annum 740. lib. 4. de fide cap. 14. *Quemadmodum naturaliter per comeſtionem tranſmutatur panis in corpus comedentis, & fit alterum corpus; ſic propoſitus panis, itemque vinum & aqua per invocationem & adventum Spiritus-ſancti ſpiritualiter tranſmutantur in corpus Chriſti & ſanguinem. Et non ſunt duo, ſed unum corpus .... non eſt panis & vinum figura Chriſti, & ſanguinis, abſit, ſed corpus.*

Secundò, Epiphanius Diaconus in Concil. Nicæno II. quod eſt ſeptimum generale anno 787. Iconomachos, qui in Conciliabulo Conſtantinopolitano ante annos triginta coactodixerant, unam Chriſti imaginem eſſe retinendam, ſic arguit act. 6. *Non dixit Chriſtus, recipite & manducate, hoc eſt imago corporis mei, ſed, hoc eſt corpus meum .... patet igitur nec Dominum, nec Apoſtolos, nec Patres vocaſſe imaginem ſacrificium incruentum, ſed ſemper apellaſſe ipſummet corpus, ipſum ſanguinem. Dona poſt conſecrationem appellantur, ſunt, & creduntur propriè corpus & ſanguis. Sed Iconoclaſtæ, dum volunt nobis auferre uſum ſacrarum Imaginum, aliam introduxerunt, quæ non eſt imago, ſed corpus & ſanguis. Poſteà tamen mendacium deſerentes, ad veritatem redeunt, dicendo: hanc imaginem fieri divinum corpus. Sed ſi eſt imago hujus corporis, impoſſibile eſt eſſe ipſummet corpus.*

Hanc oppoſitionem imaginem inter & corpus urget Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, nono ineunte ſæculo, apud Allatium lib. 3. collationis utriuſque Eccleſiæ cap. 15. *Conſtantinus Iconomachus*, inquit, *vocat imaginem Jeſu Chriſti, quod Jeſus Chriſtus nobis dedit manducandum. Quomodo autem*

tem potest esse simul imago Jesu Christi, & corpus Jesu Christi? ..... omnis enim imago distinguitur ab eo, cujus est imago. Verum quidem est Scripturam appellare filium imaginem patris: sed si à patre non distinguitur natura, saltem hypostasi & persona distinguitur. Si ergo sanctum corpus, quod accipimus in communione, est imago Jesu Christi, indè concluditur ipsum distingui à corpore Jesu Christi: Sin autem dicatur non distingui à Jesu Christo, sed esse partem ipsius corporis, dividitur corpus illud in duo, & sic dicendum erit Jesum Christum innumera habere corpora. Similia leguntur in libris de cultu Imaginum, qui Carolini dicuntur, ex eo quòd Carolo Magno fuerint ascripti & in epistola Adriani Summi Pontificis ad eundem Carolum Magnum.

Insigne est aliud testimonium. Namque 1. est totius Ecclesiæ, tum Occidentalis, tum Orientalis, etiam Iconomachorum, qui tum schismate erant divisi; licèt enim Euchariſtiam appellarent imaginem corporis Christi, simul étiam confitebantur esse ipsummet ejus corpus ex Epiphanio, & Nicephoro, qui solùm eos arguunt, quòd contradictoria loquerentur, contendentes unum & idem non posse esse ejusdem imaginem & corpus. 2. Hìc deficiunt artes & sophismata Claudii, quibus probare nititur per corpus intelligendam esse virtutem substantialem corporis. Enimvero ideò Iconoclastæ omnem aliam imaginem, etiam Christi Domini rejiciebant, quia illæ imagines periculo idololatriæ, ut rebantur, exponunt; imago enim Christi sub forma humana depicta, non repræsentat nisi humanitatem ejus, quæ per se non est adoranda, sed propter divinitatem, quæ in illa imagine non attenditur; at verò panis Eucharisti-

cus, quem appellabant imaginem Chriſti, repræſentat corpus Chriſti, divinitati unitum, & in ea ſubſiſtens; didicerant enim à ſuis patribus, Euchariſtiam non eſſe antropophagiam, id eſt, non in ea manducari carnem puri hominis, ſed carnem unitam Verbo Divino, ut ſuprà S. Cyrillus Alexandrinus, & Patres Epheſini contra Neſtorianos argumentabantur. Unde Iconomachi concludebant talem imaginem ſine idololatria adorari. Ergo Euchariſtiam non habebant ut imaginem plenam virtute corporis Chriſti, quemadmodum Claudius ſuadere conatur. Talis enim imago ſine idololatria non adoratur, ipſomet fatente. Reſtat ergo ut nobiſcum agnoſcat Iconomachos præſentiam realem credidiſſe. Hanc etiam fuiſſe fidem Orthodoxorum contra Iconomachos pugnantium conſtat ex eorum ratiocinio. Non repugnat, inquiunt illi, Filium in divinis eſſe imaginem Patris, licèt habeat eandem naturam cum illo, quia hypoſtaticè ſaltem ab eo realiter diſtinguitur: ſed eſt omninò impoſſibile, & contradictorium unum & idem eſſe ſui ipſius imaginem: debet enim eſſe realis diſtinctio inter imaginem, & id quod repræſentat. Atqui Euchariſtia, pergunt illi, non diſtinguitur à corpore Jeſu Chriſti, ſed eſt ipſum corpus, non diviſum in partes, ſed realiter unum & idem: ergo nullatenus poteſt dici ejus imago. Porrò ſi Euchariſtia contineret ſolùm virtutem, aut proprietatem corporis Chriſti, vel etiam ejus partem, realiter ab ipſo diſtingueretur: ergo in ſententia illorum Patrum rectè dici poſſet imago corporis Chriſti, quod tamen impoſſibile unanimiter aſſerunt; ac proindè ratiocinium illorum efficaciùs Claudium revincit, quàm Iconoclaſtas. Nihilominùs nondum arma deponit, obſtina-

obſtinatuſque luci circumfulgenti oculos aperire detrectat; Hæretici quippe ratione convinci poſſunt, perſuaderi verò non niſi gratia, fides enim donum eſt, quod ipſis adprecemur.

Nonum ſæculum plures è Patribus Nicænis ingreſſi ſunt; omnes enim obiiſſe intra ſpatium tredecim annorum, quod fluxit à Concilio Nicæno uſque ad nonum, nemo dixerit. Porrò dubium non eſt quin illi, & quos inſtituerunt Diſcipulos, prædicaverint in illo ſæculo, ſicut & in præcedenti, Euchariſtiam non eſſe imaginem, ſed ipſum corpus, panem per adventum Spiritus Sancti tranſmutari in carnem Chriſti, quemadmodum alimenta, quæ ſumimus, in carnem noſtram convertuntur. Sic etiam docuerunt Theodorus Abucara in Dialogo cum Saraceno: Petrus Siculus contra Manichæos, Amalarius epiſtola quæ habetur in Spicilegio: Remigius Altiſſiodorenſis in expoſitione Miſſæ: Auctor homiliarum, quæ circumferuntur ſub nomine S. Eligii, qui omnes nono ſæculo floruerunt. His addendus Paſchaſius Radbertus Abbas Corbejenſis in Gallia, qui anno 831. libellum de veritate corporis & ſanguinis Domini (quem Catechiſmum dixeris) nuncupavit Varino Novæ Corbejæ Abbati, in gratiam juniorum Saxonum, illic ad fidem converſorum, & recognitum miſit ad Carolum Calvum an. 844. cùm Abbas electus eſt, in quo ſic ſcribit: *Licèt in figura panis & vini myſteria peragantur, omninò nihil aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt.* Similia repetit morti vicinus, hoc eſt an. 865. in epiſtola ad Feudegardum.

Paſchaſium ſibi adverſari fatentur Claudius, & ejus aſſeclæ. Quærentem autem ab eis, quid

Paschasius scripserit, quod non dixerint Nicæni Patres, & Joannes Damascenus & posteriores Scriptores mox laudati? Nonne iisdem prorsus verbis mysterium explicant?

At, inquit Claudius, Novator fuit Paschasius, & antiquam universalis Ecclesiæ fidem immutavit.

Contra. Hæc mutatio quam supponit Claudius, longè majus fuit miraculum in Paschasio, quàm orbis conversio in Apostolis, & Apostolicis viris. Namque 1. mysterium præsentiæ realis videtur creditu difficilius, quàm mysterium Incarnationis. 2. Primi Ecclesiæ Pastores Judæos & Gentes ad Christum non adduxerunt, nisi magnis laboribus, conflictationibus, stupendis miraculis, nec susceptum opus perficere potuerunt, nisi cùm post trecentos annos, Principes jam sanguine eorum satiati, & Christiani facti subditos suo exemplo & sanctissimis legibus ad veri Dei cultum transtulerunt. At Paschasius non egressus septa Monasterii, nec miraculis coruscans, nec persecutionem passus, nec Principum potentia & milite munitus, sicut Lutherus & Calvinus spatio quadraginta annorum, universæ Ecclesiæ Latinæ, scilicet & omnibus Orientalibus, licèt inter se divisis, persuasit panem, quem hactenus crediderant esse figuram aut imaginem corporis Christi, equidem virtute ejus plenam, jam adorandum uti verum ejus corpus, in cœlis & in terris indivisum existens. Hoc miraculum in mente Claudii potuit error, quod non potuit veritas, dum Berengarius voluit deceptos fideles ad antiquam Patrum fidem reducere.

Respon-

Respondet Claudius sparsum virus in libello Paschasii, non penetrasse in Orientem, sed in Occidentem solum, nec uno momento, sed paulatim & sensim, ita ut Pastores non adverterent. Contendit insuper Orientales Ecclesias avitam fidem retinuisse, atque hactenus credere Eucharistiam non esse, nisi figuram corporis & sanguinis Christi, quod suaderi potest vel ex Cyrillo Luchare Patriarcha Constantinopolitano, qui nomine Ecclesiæ Orientalis professionem fidei emisit Calvinistarum doctrinæ prorsus consonam.

Refellitur. Primò, quoad Orientales: Constat enim eos idem de Eucharistia hactenus sensisse cum Latinis. 1. Ex Patribus Nicænis, S. Joanne Damasceno, & Nicephoro mox relatis. 2. Ex Lanfranco Cantuariensi Archiepscopo, qui undecimo sæculo in Dialogo cum Berengario sic scribit: *Interroga Græcos, Armenos denique omnes Christianos cujuscunque sint nationis, & respondebunt se esse ejusdem fidei nobiscum.* Non negavit Berengarius, sed Ecclesiam defecisse respondit. Quærerem autem à Claudio, unde Ecclesiæ Orientales initio undecimi sæculi hauserant talem doctrinam? An à Paschasio Corbejæ quiescenti? non audet asserere rem tam incredibilem, quia evidenter impossibilem. An ab Ecclesia Latina per Paschasium seducta? nec id etiam fieri potuit; nam Photius eodem nono sæculo in Sede Constantinopolitana intrusus schismate, quod nunc perseverat, divisit illas Ecclesias, atque, ut crimen excusaret, necessariasque separationis causas ostenderet, carpsit proprias Latinorum consuetudines, ut cœlibatum Clericorum, usum panis azymi, jejunium Sabbati, veluti contrarias Apostolicæ Traditioni.

Porrò quis sanæ mentis fingere possit Latinos Græcis ita invisos, præsentiam realem ipsis inspirasse? Quin necessariò inde evincitur utramque Ecclesiam in hoc præcipuo fidei dogmate ante Paschasii ætatem convenisse; cùm nec Græci Latinis unquam objecerint Eucharistiæ cultum. Quasi vero gravius sit in azymis consecrare, quam in idololatriam impingere. Deinde nec ipsi Latini contra Græcos pro præsentia reali hactenus pugnaverunt, imò inter utrosque pax semel & iterum sancita est, nempe in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. & Florentino anno 1439. (utinam Græcorum levitas à pactis non recessisset:) in his autem Conciliis nulla controversia, nulla quæstio circa præsentiam realem. In Concilio Florentino Eugenius IV. Summus Pontifex Missæ Sacrificium peregit, Græcis & Latinis astantibus, & simul adorantibus, quid plura? ipsi Novatores cùm explorare voluissent, quæ esset Græcorum mens circa hunc fidei articulum, missa ad eos Confessione Augustana, hoc Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani responsum acceperunt anno 1570. *Multa de vobis referuntur, quæ à nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur sanctæ illud judicium est in sacra Cœna post consecrationem & benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi & vinum in illum sanguinem virtute Spiritus Sancti transire ac immutari.* Idipsum cònfirmavit Synodus Græcorum Jerosolymitana anno 1668. & Bethlehemitica anno 1672. quarum authentica instrumenta asservantur Lutetiæ in Bibliotheca Sancti Germani, & exscripta reperies tomo 1. & 2. perpetuitatis fidei circa Eucharistiam.

Ad Cyrillum verò Lucarem respondeo, ipsum quidem fraudibus, quibus Sedem Constantinopolitanam invaserat, illud crimen addidisse, quòd pecunia seductus, Batavo apud Ottomannorum Imperatorem Legato professionem hæreticam privatim dederit sub nomine Ecclesiæ Orientalis; sed ipso è sede expulso & strangulato, successor ejus Cyrillus Beroensis in Synodo 23 Episcoporum anno 1635. pronuntiavit anathema Cyrillo dogmatizanti, & credenti non transubstantiari panem propositionis, & insuper vinum in verum corpus & sanguinem Christi. Quod judicium confirmavit Parthenius Cyrilli successor in Synodo 25. Episcoporum anno 1642. cui judicio adhæserunt tres Patriarchæ, Alexandrinus scilicet, Antiochenus, & Jerosolymitanus.

Secundò, quoad Latinos. 1. Si obdormierint Pastores Latini, ut supponit Claudius, Græci Schismatici maligno animo invigilarunt, ut haberent unde Ecclesiam Latinam accusarent: atqui ex dictis Græci, nec nono sæculo quo exortum est schisma, nec undecimo, quo ampliùs exarsit, aliquid Latinis circa Eucharistiam objecerunt, nisi quod in azymo eam conficerent: Ergo Latini idem de Eucharistia semper credidere, quod Græci. 2. Præter recensitos Auctores Latinos noni sæculi, qui eodem sensu, quo Paschasius, mysterium Eucharistiæ exponunt, Hincmarus Remensis, non solum præeminentia Sedis, sed & doctrina & vigilantia conspicuus, non modo non obstitit, ne juniores ex libello Paschasii Religionem Christianam ediscerent, quin arguit c. 41. lib. de prædestinatione, Joannem Scotum, qui contra Paschasium negabat corpus Christi esse in Eucharistia.

Objicit

Objicit tamen Claudius, doctrina tum censetur nova, cùm audientium animos offendit, eique communiter contradicitur: atqui talis fuit doctrina Paschasii. Ergo.

Minor probatur, 1. ex ipsomet Paschasio, qui in Epistola ad Feudegardum scribit multos obloqui contra suum libellum de corpore & sanguine Domini. 2. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus in epistola ad Heribaldum Antissiodorensem Episcopum, hæc habet contra Paschasium. *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis Domini non rectè sentientes, dixerunt hoc ipsum corpus Domini, quod de Virgine natum est ... idem esse quod sumitur de altari: cui errori, quantum potuimus, ad Egilonem Abbatem scribentes, de corpore ipso quid verè dicendum sit, aperuimus*, tom. 4. Analect. Mabillonii. 3. Anonymus (quem Cellotius edidit ad calcem Historiæ Gothescalci, quemque Sigebertus & alii volunt esse Herigerum Abbatem Lobiensem in Belgio) Paschasio coævus, & alter anonymus Gemblacensis narrant improbatum à pluribus, quod Paschasius scripsisset in altari eam carnem sumi, quæ de Maria Virgine nata est. Denique tam intoleranda fuit doctrina Paschasii, ut Ratramnus, sive Bertramnus Monachus Corbejensis in Abbatem suum Paschasium insurrexerit, librumque ejus confutaverit in opere, quod Carolo Calvo obtulit: Ergo luce clarius est novam fuisse Paschasii doctrinam, & ante nonum sæculum in Ecclesia Latina inauditam.

Confirmatur. Joannes Erigena seu Scotus eodem tempore scripsit Eucharistiam esse solùm figuram corporis & sanguinis Domini, nemine contradicente, nisi fortè Hincmaro, qui alia ineruditè

ditè reprehendit, v. g. quòd à quibusdam diceretur, *Trina Deitas;* liber ejus ad examen & judicium Episcoporum non fuit delatus, nisi undecimo sæculo, nempe cùm jam opinio præsentiæ realis, faventibus tenebris decimi sæculi, prævaluerat. Unde invincibiliter eruitur nono sæculo communem in Ecclesia Latina fuisse sententiam corpus Christi sumi solùm in figura.

Distinguo maj. doctrina censetur nova cùm audientes offendit, si propositio intelligatur de sapientioribus, & Ecclesiæ Prælatis communiter, Concedo: si de privatis quibusdam minùs eruditis. Nego maj. nunquid novam doctrinam tradiderunt S. Augustinus de gratia, S. Cyrillus Alexandrinus de unitate personæ in Christo, S. Flavianus de duabus naturis in Christo impermixtis, quia multos experti sunt contradicentes? Cùm mysteria nostra accuratiùs explicantur, novæ exurgunt difficultates, quæ Traditioni Ecclesiæ nullatenus nocent, sed elucet, prævaletque veritas in Conciliis, si necessaria sint ad sopiendas controversias.

Similiter distinguo min. Talis fuit doctrina Paschasii respectu quorundam minùs eruditorum, Transeat: respectu Pastorum Ecclesiæ, subdistinguo; circa nonnullas Eucharistiæ circumstantias, Concedo; circa ipsam substantiam mysterii, hoc est realem præsentiam, Nego min. & conseq. Namque

Primò Paschasius sic scribit ad Feudegardum de iis, qui obloquebantur contra ejus libellum: *Quamvis quidam ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.*

Nec

Nec dicas fidem non mereri Paschasium testem in propria causa; id enim verum esset, si de re incognita, & ab oculis Feudegardi remota scriberet, quemadmodum Claudio mendaciter asserenti Ecclesias Orientales à nobis remotissimas, esse ejusdem fidei cum Calvinistis, fidem denegavimus, & mendacem eum prodidimus. Sed sicut Claudius eò dementiæ venire non potuit, ut scriberet in Gallia universum orbem Occidentalem consentire dogmati Calviniano; sic nec Paschasius potuit aliter exponere Feudegardo, quàm ipse propriis oculis cernebat: imo addit in eadem epist. Paschasius, *dicit te sic antea credidisse, & in libro, quem de Sacramentis ediderit, ita legisse.*

Secundò Rabanus diserte asserit præsentiam realem lib. 3. de sacris Ordinationibus cap. 10. his verbis: *Quis unquam crederet quod panis in carnem potuisset converti, nisi ipse Salvator diceret qui panem & vinum creavit?* Item Herigerus: *Paschasium*, inquit, *sufficiat excusatum, librumque ejus plurimorum auctoritate defensum; in hoc tamen peccavit, quod de sententia Ambrosii non verbum de verbo, sed sensum de sensu expressit.* Anonymus etiam Gemblacensis sic habet: *Sententia Ambrosii, qui dixit, quòd ista caro Christi non est alia, quàm quæ de Maria nata est, solummodo & valet, & debet intelligi ut subaudiatur, naturaliter non est alia; quia non sunt carnes duæ: ipsa est caro, quæ pro mundi vita offertur, ipsa, inquam, naturaliter, ut sit tamen alia specialiter.*

Hæc posteriora verba aperiunt statum controversiæ, quæ erat illo sæculo: nempe disceptabant, utrùm Corpus Domini, prout realiter existens in Eucharistia, dicendum esset natum ex Maria Virgine? affirmabat Paschasius, negabant Raba-

Rabanus, & Anonymi laudati hàc ratione moti, quòd corpus Domini in Euchariſtia fiat ex pane: ergo ſubſumebant, non ex Maria Virgine. Sententia Ambroſii, ait Anonymus, qui dixit, quòd illa caro non eſt alia, quàm quæ de Maria nata eſt, (quam ſententiam laudaverat Paſchaſius) debet intelligi, ut ſubaudiatur, non eſt alia naturaliter, ſeu quoad ſubſtantiam, quia non ſunt carnes duæ, ſed eſt alia ſpecialiter, hoc eſt, quoad modum exiſtendi. Nihil clarius. Sic alter Anonymus: *Cognoſcetis*, inquit, *non quidem, quod abſit, naturaliter, ſed ſpecialiter aliud eſſe corpus, quod ex ſubſtantia panis & vini pro mundi vita conſecratur.* Eodem ſenſu ſcribit Florus Lugdunenſis Paſchaſio coævus in veteri Homiliario Eccleſiæ Lugdunenſis, *aliud erat corpus, quod loquebatur* (ſcilicet in ultima cœna,) *aliud, quod tradebatur* (nempe Apoſtolis) *corpus, quod loquebatur, erat ſubſtantiale; quod verò tradebatur, myſticum.* Per corpus autem myſticum intelligit ipſum corpus ſubſtantiale, quod in myſterio traditur, hoc eſt, ſub figura panis; ſubdit enim, *ſub figura panis, veritatem corporis Dominici intelligimus.*

Confirmatur hæc reſponſio & explicatio ex ipſis Auctoribus, qui undecimo ſæculo pro præſentia reali contra Berengarium decertarunt; hi enim admittunt iſtam duplicem acceptionem corporis Chriſti; Lanfrancus dialogo contra Berengarium contendit verè dici & ipſum corpus, quod de Virgine ſumptum eſt, & tamen non ipſum: ipſum quidem quantum ad eſſentiam, veræque carnis proprietatem: non ipſum verò, ſi ſpectes panis vinique ſpeciem. Item Algerus lib. 1. cap. 17. *hanc duplicitatem*, inquit, *non ſubſtantiæ, ſed formæ Sancti vocarunt, quoties de corpore Chriſti ipſum, & non ipſum*

ipſum dixerunt: ut ipſum ſecundùm ſubſtantiam non ipſum ſecundùm figuram.

Inſtabis; illi Anonymi dicunt eandem carnem Chriſti eſſe in Sacramento, & extra, nempe in cœlis: quomodo eſt eadem caro viri & uxoris, Joſeph, qui venditus eſt, & fratrum, qui illum vendiderunt. Item quomodo idem eſt Spiritus Dei, & hominis Deo adhærentis: Ergo non crediderunt eſſe idem ſubſtantialiter corpus, quod ex Virgine natum eſt, & quod in Euchariſtia exiſtit.

Nego conſequent. aliàs ſibi contradicerent. In exemplis non omnimoda ſimilitudo exigitur, ſed ea ſolùm, quæ confert ad propoſitum, nempe ſicut caro viri & uxoris, Joſephi & fratrum eſt vera caro humana; ſic caro ex Virgine nata, & in Euchariſtia exiſtens, eſt vera Chriſti caro, non duæ, ut ſupra monebant, ſed una. *Credendum eſt*, inquit Anonymus Gemblacenſis, *vinum eſſe ſanguinem, qui, Domino pendente, fuſus eſt in cruce, & eo poſtmodum benedicente creatur conſecratus, in calice.* Alter verò Anonymus, *aliud eſt naturaliter homo exterior, alius interior*, qui certe non ſunt duo ſubſtantialiter homines.

Quòd autem impeteretur Paſchaſius eo nomine, quòd dixiſſet, non quidem corpus Chriſti eſſe realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia, ſed quòd idem eſſet Corpus, quod ex Maria Virgine natum eſt, patet, tum ex anonymo Gemblacenſi: *Miror*, inquit, *auctorem hujus voluminis*, nempe Paſchaſium, *iſtud ſibi poſuiſſe*: tum ex altero anonymo, ſeu Herigero referente plures contra Paſchaſium ſcripſiſſe ex Hieronymo in cap. 1. ad Epheſios, duplex Chriſti

Christi corpus admittendum, imò & triplex ex Augustino, scilicet corpus ex Maria natum, corpus sub specie panis traditum, & corpus mysticum, nempe Ecclesiam: tum ex ipso Paschasio in Epist. ad Feudegardum: *Ne sequaris*, ait, *ineptias de tripartito Christi corpore.*

Ex alio capite Paschasium impetebant ejus æmuli, quasi scripsisset corpus Domini in Eucharistia videri, tangi, & dentibus conteri, non quidem in specie humana, sed in figura panis. De tali calumnia conqueritur Paschasius morti vicinus, tum in cap. 26. Matth. scribens, tum in Epist. ad Feudegardum; *Audivi quosdam*, ait, *me reprehendere, quasi ego in eo libro, quem de Sacramentis edideram, aliquid his dictis, hoc est corpus meum, plus tribuere voluerim, aut aliud, quàm ipsa repromittit veritas.* Quid autem illud sit, explicat: *Timetis fortè ne partes facere voluerim, & ejus per singula membra dividere concissa & dispertita, sicut illi putarunt, qui scandalizati dicuntur & abierunt retro.* Hunc errorem videtur Rabanus Paschasio tribuere apud Anonymum Gemblacensem, in quo sic legitur: *Quia Christum dentibus vorare fas non est, voluit in mysterio hunc panem & vinum verè Carnem & Sanguinem consecratione Spiritus-sancti potentialiter creari, creando verò quotidiè pro mundi vita mysticè immolari. Quomodo hanc carnem Christi vorari fas est, si de Maria nata? .... præsertim cum ita glorificata sit, ut vorari non possit?* Sed Herigerus Paschasium ab hac labe immunem declarat c. 10. his verbis, *quod etiam objiciunt eum* (Paschasium) *dixisse Christum pati, quoties missas contingat ubique celebrari, ego certè in ejus libro non reperi.*

Ratramnum multi suspicati sunt esse ipsummet Joannem Erigenam, cui tribuerunt librum de cor-

pore & ſanguine Domini conſcriptum, ut ipſis videbatur, contra Paſchaſium. Nunc verò ex manuſcriptis noni ſæculi, & aliis teſtimoniis, quæ profert Pater Mabillonius quarto ſæculo Ordinis Benedictini, conſtat apud omnes communiter librum de corpore & ſanguine Domini eſſe Ratramni Monachi Corbejenſis viri laudatiſſimi, tum ob pietatem, tum ob ſingularem eruditionem, quem Trythemius refert inter viros illuſtres Ordinis S. Benedicti cap. 48. & Sigebertus anno 1112. inter Scriptores Eccleſiaſticos c. 95. Scripſit enim contra Græcos libros quatuor, rogantibus Epiſcopis Gallicanis anno 868. Item de Nativitate Chriſti, de Prædeſtinatione & de Anima.

Quæſtio eſt utrum contra Paſchaſium Abbatem ſuum ſcripſerit librum de corpore & ſanguine Domini? Affirmat Anonymus ſuprà laudatus, ſeu Herigerus Lobienſis. Nec mirum videri debet, Monachum contra ſuum Abbatem pugnaſſe, cùm inter eos ageretur de circunſtantiis Euchariſtiæ nondum elucidatis illo ſæculo, ut jam monuimus: quin & ipſe Ratramnus, ſalva pace & reverentia, contra Hincmarum Archipræſulem ſuum propugnavit, tum eam canendi formulam, quam Eccleſia recepit, *Te trina Deitas, unaque poſcimus*, tum doctrinam S. Auguſtini de Prædeſtinatione.

Liquet tamen ex ipſa electione librum Ratramni non eſſe exaratum contra Paſchaſium, cùm eadem contineat, quæ ſcripſerat Paſchaſius. Sed quia ex dictis Paſchaſius accuſabatur, ſed falsò, docuiſſe corpus Chriſti in Euchariſtia videri, tangi, & dentibus atteri, & ita viſum eſt Anonymo Gemblacenſi, exiſtimaverunt illi Anonymi Ratramnum, qui impugnat hanc ſententiam, Paſchaſium

schasium impetere; hic est enim unicus scopus Ratramni, ut colligitur ex præfatione ad Carolum Calvum, cujus jussu opus susceperat. *Vestra Majestas petit*, ait Ratramnus, *utrum corpus & sanguis Jesu Christi, qui ore fidelium sumitur, sine velo ullius mysterii fiat, ita ut quidquid geritur in hoc mysterico, sensibus deprehendatur.*

Quæstio igitur elucidanda non est, utrum corpus Christi realiter in Eucharistia existat? hoc fidei dogma supponunt Carolus Calvus & Ratramnus; sed controversia illius sæculi in eo versabatur, an corpus Christi sensibus deprehenderetur? Amalarius horum coætaneus in Epistola sua, quæ habetur in Spicilegio, non putat hìc quidquam definiendum; postquam enim docuit consecratione naturam simplicem panis & vini mutari in naturam realem corporis & sanguinis Christi; corpus idem esse in cœlis & in terra, quando vult subdit, *ita verò sumptum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrùm invisibiliter assumatur in cœlum, an reservetur in corpore nostro usque ad diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore nostro cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, hujus sententiæ patroni fœtido nomine vocati sunt Stercoranistæ.

Verùm Ratramnus Amalario minùs timidus, totus est in suo libro ad confutandum hunc errorem: *Ille panis*, inquit, *qui per Sacerdotum ministerium corpus Christi efficitur, aliud exteriùs humanis sensibus ostenditur, aliud interiùs fidelium mentibus clamat. Exteriùs quidem panis, quod ante fuerat*, (nota fuerat, non vero est) *figura prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur. At interiùs aliud multo præstantius intimatur*

matur .... exteriùs igitur quod apparet, non est ipsa res, sed imago rei, mente verò quod sentitur & intelligitur, veritas rei. Quæ sanè verba supponunt præsentiam realem, & transsubstantiationem. Ne autem hæc consequentia Lectoris minùs perspicacis mentem fugeret, ipse Ratramnus verbis expressis fidem suam, quam dicit esse omnium fidelium, sic profitetur: *Non putamus ullum fidelium dubitare panem illum fuisse corpus effectum, quod discipulis donans, dixit: Hoc est corpus meum.* Et infra inducit Christum sic loquentem: *Verè per mysterium panem & vinum in corporis & sanguinis mei substantiam à credentibus sumenda ...... nonne majus est novas res dare creando, quàm mutare naturas? dicit Ambrosius.* En doctrina Paschasii, imò totius Ecclesiæ luculenter expressa. Hoc posito fundamento, Ratramnus argumenta & similitudines colligit, ut probet contra nonnullos non ipsum corpus Christi, sed signum ejus, seu imaginem & figuram videri, tangi, dentibus confi- gurat ablutionem interiorem; sic figura, seu species panis sunt figura & imago panis spiritualis, nempe corporis Christi, atque etiam in eo Ratramnus consentit suo Abbati sic scribenti in laudato libello, *reliquit nobis hoc Sacramentum, visibilem figuram & characterem carnis suæ .... disce ò homo, aliud gustare, quàm quod ore carnis sentitur, aliud videre, quàm quod oculis istis carnis ministratur; si enim hoc totum visibile fieret, nullum in eo mysterium ... nulla alia res, quàm quæ oculis & gustui subjacet.*

At, inquies; Ratramnus distinguit inter carnem Christi, quæ crucifixa est, & carnem quæ ministratur in Sacramento, *vera utique caro*, inquit, *quæ crucifixa est: verè ergo carnis illius Sacramentum est* ...... Quam diligenter, quàm prudenter

facta

facta distinctio! Ergo contra Paschasium pugnat; hìc enim docet eandem esse carnem, & veram utrobique; Ratramnus verò contendit veram fuisse in cruce, non verò in Eucharistia, sed solùm ejus Sacramentum.

Distinguo antecedens ad mentem Ratramni, carnis Sacramentum est secundùm figuram exteriorem & visibilem, Concedo: secundum invisibilem substantiam, ut loquitur, Nego antec. *Ex his omnibus*, inquit, *monstratum est, corpus & sanguinem Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuram esse secundùm speciem visibilem, at verò secundùm invisibilem substantiam, id est, divini potentiam verbi, verè corpus & sanguis existunt.* Tum num. 13. de forma consecrationis hæc addit, *si nihil est hìc permutatum, non est aliud quàm ante fuit: est autem aliud, quoniam panis corpus, & vinum sanguis Christi facta sunt.* Sed hæc in specie geruntur, ut probat ille Auctor ex collecta Ecclesiæ, non in veritate, id est, in rei manifestatione, *veritas enim est*, ut scribit num. 8. *rei manifesta demonstratio.* Quo autem sensu neget Ratramnus eandem esse carnem in Eucharistia cum ea, quæ de Maria Virgine nata est, & cruci affixa, explicat num. 72. *Non sunt ergo idem; illa namque caro, quæ crucifixa est, ossibus & nervis compacta .... at verò caro spiritualis, quæ populum credentem spiritualiter pascit, secundùm speciem, quam gerit exteriùs* (nota) *frumenti granis, & artificis manu consistit, nullis nervis ossibusque compacta.* Ubi manifestè loquitur de Eucharistia inadæquatè sumpta secundùm faciem exteriorem. Hinc docet corpus Christi non esse corporaliter, sed spiritualiter eo sensu, quo scribit ipse Paschasius in Epist. ad Feude-

 gardum,

gardum, *totum ſpirituale eſt*, *quod celebratur in Sacramento.*

Inſtabis; Ratramnus ſcribit num. 84. non poſſe dici de Chriſto in Euchariſtia exiſtente, quòd ſit Deus & homo. Et num. 22. ſic loquitur: *Idem Chriſtus eſt*, *qui & populum in deſerto ſua carne pavit* (per manna) *ſuo ſanguine tunc potavit* (per aquam è petra eductam) *& in Eccleſia nunc populum ſui corporis pane*, *ſui ſanguinis unda paſcit*, *atque potat.* Ergo negavit Ratramnus corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia exiſtere.

Reſpondeo duriora quidem eſſe verba, & liberiori ſtylo emiſſa: quod excuſandum in Scriptore, qui in adverſarium toto fertur conatu, cùm aliunde nihil ſibi cavendum videat pro præſentia reali, quæ à nullo impetebatur. Hæc itaque adducit Ratramnus, ut probet id, quod oculis in Euchariſtia cernitur, non eſſe propriè corpus Chriſti, cùm de illo dici non poſſit eſſe Deum & hominem, ſed eodem modo credendum corpus, quomodo manna & petra dicuntur Chriſtus aut caro Chriſti; ubi Euchariſtiam inadæquatè conſiderat, nempe ſecundùm faciem exteriorem, quam adverſarii ejus contendebant eſſe verum Chriſti corpus.

Ceterùm hæc dicta ſint non minus ad noſtræ cauſæ defenſionem, quam ad viri bene de Eccleſia meriti famam tuendam, nihil enim noceret conſtanti Eccleſiæ traditioni circa præſentiam realem, ſi unus, & alter contra omnes eam ſæculo nono negaſſent. Annon multi quarto ſæculo negarunt Filium Dei eſſe Patri conſubſtantialem, & ſeptimo duplicem in Chriſto voluntatem?

tem? Nunquid propter eos incerta est utriusque dogmatis Traditio?

Monemus insuper 1. Berengarium non adduxisse Ratramnum in suæ causæ patrocinium. 2. Lutheranos Magdeburgenses librum Ratramni sibi contrarium agnovisse. 3. Doctores Lovanienses in indice expurgatorio Belgii anno 1571. nihil reprehendendum in illo libro judicasse, nisi obscuritatem elocutionis & vocum, quarundamque sententiarum ineptam usurpationem & interpretationem. In indicem tamen librorum prohibitorum rejectus est, vel quia nomen sui auctoris non præ se ferebat, vel quia à Lutheranis in lucem fuerat editus, atque ideò suspectus maximè ob verborum ambages.

Ad confirmationem Claudii

R. 1. Falsum esse Joannem Scotum ab uno Hincmaro fuisse impugnatum, nam ex cap. 9. constat illum notatum tanquam inimicum hominem, qui zizania superseminaret, à Nicolao I. à Prudentio Trecensi, & à Concilio Lingonensi. Ex judicio autem contra auctorem lato satis intelligebantur libri ejus proscripti, maximè cùm nulli eos laudarent, sed omnes communiter detestarentur usque ad Berengarii ætatem, qui undecimo sæculo libellum Joannis Scoti, quasi ex pulvere suscitavit, ex eo multorum fidem pervertit, atque ideò necesse fuit, ut liber ille similem obtineret sortem, qualem scripta Theodori Mopsuesteni, quæ post centum annos ad judicium Ecclesiæ delata proscripta sunt, cùm propter illa pax Ecclesiæ jam turbaretur. At Paschasii fama ante & post mortem ejus permansit integra: ante annos duodecim evulgarat libellum de corpore & sanguine Domini, cum præ-

fectus est suo Monasterio, & renuntiatus Abbas: Patres Concilii Parisiensis ann. 845. vocant illum venerabilem Fratrem, atque ejus causa privilegium Monasterio Corbejensi concedunt: Eugelomus Suessionensis in carmine panegyrico illum dicit Ecclesiæ columen, post mortem anno 1073. levato è terra ejus corpore, Corbejæ colitur ex auctoritate Sedis Apostolicæ. Ejus libellus celebris fuit, dum viveret, ex eo juvenes in Religione Christiana instituebantur, quòd non sustinuissent Episcopi, si contra communem omnium fidem scripsisset. In Conciliis Carisiaco I. & II quibus præfuit Hincmarus, Valentino, Ligonensi, & Tullensi, nullus ibi Paschasium accusavit, sed plures adversarium ejus Joannem Scotum proscripserunt: ergo non Paschasius, sed Joannes Scotus novator est habitus.

R. 2. Multi ex Episcopis noni sæculi decimum attigere, in eo reliquerunt Discipulos, & successores, qui docuerunt quod à Magistris didicerant. Stephanus Æduensis Episcopus circa annum 950. (ut volunt nonnulli) scripsit in canonem Missæ, exposuitque fidem Ecclesiæ circa Eucharistiam ea perspicuitate, qua eam legimus in Catechismo Romano. S. Fulbertus Carnotensis & alii Episcopi, qui, ut dictum est c. 9. in Aurelianensi Concilio anno 1017. damnarunt quosdam Manichæos negantes veram esse Christi carnem in Eucharistia, ex decimo sæculo prodierant, atque in eo doctrinam hauserant, quam fidelibus undecimi sæculi refuderunt: Ergo fides noni sæculi in nulla parte decimi eclypsim passa est, ut garrit Claudius. Non diffitemur flagitiosos & perditos homines sacram Apostolorum Sedem invasisse, tenuisseque per aliquot annos; sed reliquæ partes orbis Christiani

ſtiani clara luce perfruebantur. Extant egregia monimenta ſingularis vigilantiæ in Epiſcopis, Concilia frequentius habita, multiplices leges ſancitæ ad diſciplinam tuendam, perficiendamque, collaborantibus Imperatoribus & Regibus ſanctiſſimis, Ordines religioſi, vel novi inſtituti, ut Camaldulenſium, auctore S. Romualdo, vel antiqui in priſtinum ſplendorem reſtituti, ut Benedictinorum à Sancto Odone Cluniacenſi anno 937. adeò ut decimum ſæculum, quod Claudius veluti infelix exhibere conatur, rectiùs feliciſſimum dixeris.

CAPUT XIII.

Per quam actionem præſens ſiſtitur Corpus Domini in Euchariſtia?

Quidam è Diſcipulis Berengarii, confeſſi tandem præſentiam realem, dixerunt Chriſtum ſiſti præſentem in Euchariſtia per impanationem, hoc eſt, per unionem hypoſtaticam Verbi divini cum pane & vino, adeo ut quemadmodum propter unionem Verbi divini cum humanitate rectè dicimus de Chriſto homine, *hic homo eſt Deus*, ita liceat dicere de pane Euchariſtico, *hic panis eſt Chriſtus*, ex Guitmondo lib. 1. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti, & ex Algero in prologo 1. de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, qui ambo contra Berengarianos decertarunt. Hanc ſententiam amplexus eſt Oſiander Lutheranus, ut refert Melanchton lib. 2. Epiſt. 447. Ejus auctorem Rupertum facit Bellarminus lib. 3. de Sacramento Euchar. cap. 11. hic enim Berengario

 ſuppar,

ſuppar, ſic ſcribit in cap. 9. Joannis, *Verbum jamdudum caro factum, panis viſibilis fit, non commutatum in panem; ſed aſſumendo, & in unitatem ſuæ perſonæ transferendo panem.* Sed illum ab hoc errore vindicat quidam Monachus Benedictinus, edita ex profeſſo apologia, in qua fuſius oſtendit Rupertum expreſſis verbis ſcripſiſſe; panem & vinum in veram corporis & ſanguinis Domini tranſire ſubſtantiam, ex quibus neceſſe eſt in benignum ſenſum flectere, quod docet panem ipſiusve ſubſtantiam manere, & à Chriſti perſona aſſumi, nempe ſubſtantiam ſecundùm reſiduas ſpecies manere & aſſumi panem in unitatem perſonæ, mediante ſcilicet corpore, in quod convertitur. Ait enim in cap. 6. Joannis corpus illud non eſſe obnoxium ſeceſſui.

Cùm autem Henriciani, Albigenſes, & alii hæretici, de quibus ſupra cap. 9. damnatam Berengarii hæreſim identidem ſuſcitaverint, Concilium Lateranenſe IV. generale ſub Innocentio III. anno 1215. definiit cap. *Firmiter*, Corpus Domini fieri præſens in Euchariſtia per transſubſtantiationem, his verbis: *Credimus & confitemur corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina.*

Novatores calumniantur illud verbum, *transſubſtantiare*, tanquam novum & inauditum in Eccleſia. Quibus merito reponimus, quod S. Athanaſius lib. de Decretis Synodi Nicænæ reſpondebat Ario rejicienti cum ſequacibus Concilium Nicænum propter Novitatem nominis, *conſubſtantialis*, quo cavillationes hæreticorum ſubvertebat: *an novitate offenderis, an etiam rei ipſius veritatem,*

quæ

quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo rei veritas accessit .... etiamsi voces ita in Scripturis non extent, sententia tamen quam continent, verè in Scripturis habetur.

Quanquam nec illud nomen, *transsubstantiatio*, à Concilio Lateranensi excogitatum fuit, cum eo utantur Stephanus Æduensis tract. de Sacramento altaris capite 13. Petrus Blesensis Epistola 104.

Quid vero nomine *transubstantiationis*, Concilium intellexerit, variè opinati sunt Scholastici ante Concilium Trid. ut colligitur ex Cardinali de Alliaco Episcopo Cameracensi decimo quinto sæculo, sic enim scribit in 4. dist. 6. art. 11. *licèt Catholici concordaverint in hoc, quod corpus Christi sit in Sacramento, circa modum ponendi fuerunt diversæ sententiæ. Prima quòd substantia panis sit corpus Christi. Secunda, quod non remanet substantia panis, sed reducitur in materiam per se stantem, vel aliam formam recipientem, & hoc sive in eodem loco, sive in alio, & corpus Christi coexistit accidentibus panis. Et hæc opinio non potest reprobari, nec per evidentem rationem, nec per auctoritatem cogentem. Tertia fuit, quod remaneret substantia panis. Quarta & communior est, quod substantia panis non remanet, sed simpliciter desinit esse.* Addit se eam opinionem amplecti; quia magis favet determinationi Ecclesiæ, & SS. Doctorum placitis.

Enimverò Clemens IV. anno 1252. in Epistola ad Guidonem Narbonensem, hæc habet: *Ad nostrum pervenit auditum, quod in nostra existens curia dixisti corpus Domini nostri Jesu Christi essentialiter in Eucharistia non esse, sed tantùm sicut signatum sub signo, & hanc*

& hanc celebrem esse Parisiensium opinionem. Nimirum quidam Parisiis docebant Deum non posse facere accidens sine subjecto, nec plures dimensiones esse simul: quam propositionem Stephanus Parisiensis de consilio Doctorum proscripsit anno 1270.

Joannes Parisiensis Dominicanus anno 1306. hanc excogitavit opinionem, ex Thoma Valdensi tom. doctrin. cap. 65. & ex continuatore Willelmi Langii ad annum 1304. Nempe ut salvaretur apparentia circa species sensibiles, quæ remanent, sic explicabat transubstantiationem à Concilio Lateranensi propositam, ut diceret panem corpus Christi effici, quatenus per consecrationem hypostaticè assumeretur à Verbo non quidem immediatè, ne diceretur, Deus est panis, sed mediante corpore. Quamvis autem illam sententiam modestè proponeret, subjiceretque judicio Ecclesiæ, Guidoni tamen Carmelitæ sic placuit, ut si Papa fuisset, eam decrevisset eligendam, ait Thomus Valdensis; tamen cæteris Theologis ei contradicentibus, Willelmus Parisiensis de consilio quorundam Episcoporum & Doctorum prædicto Joanni silentium imposuit.

Durandus Episcopus Aniciensis, insignis Theologus, docuit circa idem tempus solam panis formam transire in corpus Christi, *salvo tamen*, inquit, *meliori judicio;* suamque opinionem probat auctoritate SS. Patrum; qui docent panem in altari converti in corpus Christi, quomodo ipse convertit aquam in Cana Galilææ in vinum, & panem, quem mortalis in cibum assumebat, in propriam carnem; atqui in hujusmodi mutationibus materia eadem remanebat, & nihilominus verum

verum erat dicere, quod nihil aquæ superesset vino producto, nihil panis, nutritione perfecta. Item quod caro ex alimentis successive accrescens esset eadem, quæ ex virgine nata est, & cruci affixa: Ergo. Cardinalis Cajetanus in eandem descendisse sententiam videtur in 3. p. S. Thomæ quæst. 75. art. 4. quod advertit Dominicus Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 4.

Concilium Trid. his Theologorum opinionibus circa transubstantiationis acceptionem finem imposuit hac sua explicatione sess. 13. cap. 4. his verbis: *Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.*

Transsubstantiatio dicitur 1. *conversio*, ut excludatur simplex unio panis cum corpore, vel cum personalitate Christi Domini, hoc est, cum Verbo; namque unio dici non potest conversio, ut constat ex Sanctis Patribus, qui ita propugnarunt contra Nestorium unionem hypostaticam naturæ humanæ cum persona Verbi, ut negaverint contra Eutychetem conversionem naturæ humanæ in personam divinam, & vicissim.

Dicitur 2. *totius substantiæ panis*, quo distinguitur transsubstantiatio ab aliis mutationibus substantialibus, in quibus remanet saltem pars substantiæ, scilicet materia; unde transsubstantiatio vocatur à Concilio Tridentino sessione 13. canone 2. *mirabilis & singularis conversio*, cujus exemplum non extat, aut extitit in rerum natura. Satis ergo non fuit Patribus Tridentinis prædicare

illam

illam converſionem, tanquam mirabilem, & inſigne miraculum, ſed inſuper illam ſingularem, & ſine exemplo dixerunt. Converſiones aquæ in vinum, virgæ Moyſis in ſerpentem, & uxoris Loth in ſtatuam ſalis, quas SS. Patres ad explicandum hoc myſterium aſſumunt, valent quidem ad explicandum, quomodo per verbum operatorium Chriſti Domini panis ſic convertatur in carnem, ut deſinat eſſe panis, & ſi ita velis, nihil ejus ſubſtantiæ ſpecificè ſumptæ, quod panis dici poſſit, remaneat. At aptæ non ſunt ad exhibendam totaliter transſubſtantiationem; in omni enim comparatione eſt quædam diſſonantia & diſparitas, aliàs non eſſet comparatio, ſed identitas. In eo autem transſubſtantiatio eſt ſingularis converſio, quod totum illud ſubſtantiale quod prius dicebatur panis, quo nomine non intelligitur ſola forma, convertatur in corpus Domini. Atque ea parte notat Bellarminus proſcribi ſententiam Durandi, eamque hæreticam pronuntiat ex can. 2. jam laudato. Bellarmino favet omnium Theologorum ſilentium.

Enimverò ex illa ſententia ſequuntur multa abſurda, Eccleſiæ Traditioni, & doctrinæ Concilii Tridentini contraria. 1. Corpus Domini non eſſet ſub figura in hoc Sacramento, ſed videretur, tangeretur eo modo, quo videtur homo in humana forma. 2. frangeretur, divideretur. 3. Chriſtus Dominus in Euchariſtia non eſſet propriè homo; ad eſſentiam enim hominis non ſufficit anima rationalis, ſed inſuper requiritur corpus organicum; hinc in hypotheſi, quòd anima rationalis uniretur ferro, aut lapidi, compoſitum illud non eſſet verus homo. 4. Corpus Eu-

chari-

charisticum, nec physicè, nec moraliter esset idem corpus, quod ex Maria Virgine natum est, & cruci affixum: non physicè; quia materia illa, quæ ante erat sub figura panis, non est extracta ex visceribus beatæ virginis, nec cruci affixa, ut patet: non moraliter, quemadmodum corpus hominis grandævi, licèt non sit physicè idem, quod ex sanguine matris formatum est, quia materia illa continuò exhalatur, & ejus loco alia succedit, mediante nutritione, tamem moraliter est idem corpus; quia partes paulatim deperditæ, etiam paulatim per alimenta reparantur, quo fit ut corpus censeatur moraliter unum, sicut domus dicitur eadem, quamvis à prima ejus ædificatione toties reparata fuerit, ut nihil ferè remaneat ex lapidibus, lignis, & cæmentis, quæ à primo artificè adhibita fuerant. At si nova integrè ædificaretur, quamvis in eadem forma, & figura, non diceretur eadem cum priore. Sic nec novum Christi corpus integrè conflatum ex eadem materia, quæ ante erat materia panis, moraliter idem censeretur, quod ex Virgine natum, & cruci affixum. 5. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. docet vi verborum solùm corpus poni sub speciebus panis, per concomitantiam verò, animam & divinitatem. Sed in sententia Durandi anima poneretur vi verborum, cùm materia panis non fiat corpus Christi, nisi ex unione cum anima. 6. Licèt eadem sit anima in toto corpore, non sequitur, quòd pes sit idem cum capite aut humeris; sic nec eadem Christi anima existens in omnibus altaribus, & informans diversas panum materias, efficeret unum & idem corpus, sed diversum, aut saltem diversas ejus-

dem

dem corporis partes, nec fidelis acciperet Lutetiæ eandem partem materialem, quam alter Lugduni, unde aliud sequitur absurdum, nempe corpus Christi cresceret in immensum adjectione tantæ quantitatis, quemadmodum corpus humanum augetur per alimenta pinguiora.

Nec dicas non fore transsubstantiationem, sed annihilationem, nisi eadem materia à forma panis transiret ad formam hominis, quæ est anima rationalis, sicut videre est in hypothesi, quòd Deus Angelum destrueret, & alium continuo crearet, prior Angelus non diceretur in posteriorem conversus, sed prorsus annihilatus. Id enim verum est, si hæc fiant actione distincta: falsum verò, si eadem actio esset destructiva & productiva; quia tunc esset vera conversio. Porrò transsubstantiatio est unica actio, qua corpus Christi ita fit præsens, ut desinat tota substantia panis, quemadmodum adveniente calore, expellitur frigus.

Quæ autem sit illa actio, non conveniunt Theologi. Sancti Thomæ discipuli opinantur esse reproductionem corporis Domini: Scotistarum Schola esse actionem adductivam, qua corpus Domini in cœlo existens, absque nova productione fit præsens sub Speciebus Eucharisticis. Nempe, inquiunt illi, quamvis corpus non possit naturaliter acquirere novam præsentiam, nisi per motum localem, & recessum à priore loco; supernaturaliter tamen id fieri potest per productionem alicujus entitatis modalis, qua corpus aut res aliqua fit formaliter alicubi præsens. Alii contendunt, nec reproductionem, nec actionem adductivam sufficere ad transsubstantiationem,

tionem, quæ est vera & specifica conversio unius substantiæ totalis in aliam, sed requiri insuper actionem, virtute cujus prior substantia desinat esse, & in alia substituatur. Quare docent transsubstantiationem esse actionem, sive productivam, sive adductivam, & simul unitivam corporis Domini cum speciebus Eucharisticis, non quidem ut corpus Domini tanquam subjectum eas sustentet, hoc enim falsum est, sed ut ad eas habeat habitudinem, tanquam contentum substantiale. Namque substantia panis in eorum sententia duo habet munia; primum quòd sit accidentium subjectum, cui inhærent. Secundum quòd sit contentum substantiale ipsis sub eo respectu unitum. Porrò actio transsubstantiativa efficit illam unionem corporis Christi, per quam solvitur prior unio substantiæ panis, & sic desinit forma substantialis panis, quæ sicut naturaliter non potest produci sine accidentibus, sic nec conservari; sunt enim dispositiones necessariæ. Porrò destructa forma substantiali, materia non potest naturaliter remanere spoliata omni forma; unde necesse est ipsam quoque desinere. Verum ad ejusmodi quæstiones tutius respondetur cum Magistro sententiarum in 4. dist. 11. *mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest*, nam, ut advertit Vasquez 3. p. q. 56. disput. 18. c. 1. his Philosophiæ quæstionibus effectum est, ut mysterium fidei nostræ, non modo difficilius ad explicandum, sed etiam adversariorum nostrorum argutiis & cavillationibus magis expositum fuerit. *Quid mirum*, inquit S. Hieronymus Epist. ad Magnum, *si & ego sapientiam sæcularem .... de ancilla & captiva Israelitidem facio?*

ſed Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, ſupercilia, & ungues corporis amputandos, & ſic eam habendam in conjugio, nempe Deut. cap. 21. v. 12. Hoc eſt, Philoſophiam profanam cum ſacra Theologia ita eſſe conjungendam, ut illa Chriſtiana fiat, non iſta ejusmodi connexione profana evadat, & mere naturalis. Serviat illa, iſta dominetur ancillæ & captivæ, ſupercilia radat, arrogantiam coerceat, & petulantiam comprimat, circumcidat ungues, ne ad ſupernaturalia manus mittens, ea potius deturpet, quàm elucidet. Quapropter Tridentini Patres ſapienter ſilentium impoſuere Theologis in Concilio Philoſophicas illas quæſtiones agitantibus.

Cæterum Aubertinus & Claudius fruſtra conantur roborare ſuum errorem ex recenſitis Theologorum opinionibus. Namque Theologi conveniunt, ut liquet, in dogmate fidei, diſſentiuntque ſolùm in modo illius explicandi. Nunquid ideo incerti ſunt Catholici an ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis ſit verè filius procedatque per generationem, quia Theologi variè opinantur, ubi aſſignanda eſt ratio cur hæc proceſſio ſit generatio? Quot Lutheranorum opiniones circa hæc Domini verba, *hoc eſt corpus meum*, ex quibus omnes evincunt præſentiam realem?

Lutherus lib. de captivitate Babylonica reliquerat liberam transſubſtantiationis fidem, ut ſcrupulos conſcientiarum de medio tolleret. At anno 1522. mutato conſilio ſic ſcribit contra Henricum VIII. Angliæ Regem, *Nunc transſubſtantiare volo ſententiam meam, & dico, antea poſui nihil*

nihil referre; sive sic, sive sic sentias de transsubstantiatione; nunc autem decerno impium & blasphemum esse, si quis dicat panem transsubstantiari. Hinc Lutherani dicuntur Consubstantiatores, quia utramque panis & corporis Christi substantiam in Eucharistia conjungunt.

CAPUT XIV.

Utrùm fide divina credendum sit Corpus & Sanguinem Christi Domini existere in Eucharistia per transsubstantiationem?

R. Ita expressè declaravit, & definiit Concilium Trident. contra Lutheranos sess. 13. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit in sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi: negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

Q. 2. *Quomodo probatur hæc Concilii doctrina, & definitio?*

Durandus, Paludanus, & alii numero pauci contendunt probari ex sola Traditione (quæ certe sufficit ad revincendos Novatores) negant verò ex Scripturis deduci argumentum efficax ad transsubstantiationem stabiliendam, in quo recedunt à communi Theologorum, imo & Patrum sententia, quemadmodum Tridentini Pa-

tres sess. 13. cap. 4. declarant his verbis: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis,* &c. quin & ipse Calvinus, Lutheranos insectans, agnoscit verba institutionis non posse in sensu proprio intelligi, quin intelligatur transsubstantiatio: *De Papistis*, inquit in refutatione consensus Orthodoxorum, *non loquor, quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina..... si opinio ex his duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus & accidentibus credere, quàm cum Zwinglianis veram & realem præsentiam contra tam aperta Christi verba negare.* Itaque

R. Probatur 1. Efficaciter transsubstantiatio ex his Scripturæ verbis, *hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus.* Ex dictis cap. 11. & 12. & ex consensu Lutheranorum, hæc verba verè & propriè corpus Christi Domini demonstrant, non verò ejus imaginem, seu figuram, aut virtutem: atqui falsa essent, si substantia panis & vini remaneret: Ergo reverà non remanet.

Minor ostenditur. Pronomen, *hoc*, *hic*, est demonstrativum substantiæ sensibiliter præsentis: atqui in hypothesi Lutheranorum substantia sensibiliter præsens est panis & vinum: Ergo illa substantia solum demonstratur. Porrò falsum est, quod panis sit corpus Domini, & vinum sanguis ejus: Ergo necesse est ut dicatur non esse aliam substantiam sub speciebus panis & vini quàm corpus & sanguinem Domini.

Dices:

Dices: veræ ſunt iſtæ propoſitiones, 1. de ferro candente, *hoc eſt ignis.* 2. De Chriſto Domino, *hic eſt Deus.* 3. De dolio vini, *hoc eſt vinum.* Atqui in illis propoſitionibus demonſtratur ſubſtantia in alia contenta: Ergo ſimiliter vera erit hæc propoſitio, *hoc eſt corpus meum*, etiamſi corpus includatur in ſubſtantia panis.

Diſt. maj. Veræ ſunt propoſitiones propter aliquas rationes, quæ non conveniunt Euchariſtiæ, Concedo: Propter rationes, quæ Euchariſtiæ competant, Nego maj. 1. Vel ſubſtantia ignis occupat poros ferri candentis, vel non: ſi primum, ſimpliciter vera dici poteſt propoſitio, quia non cernitur in ferro niſi ignis, ac proinde de eo affirmari poteſt, ſicut de carbone ardente, quod ſit ignis: ſi ſecundum, vera non eſt in ſenſu proprio, ſed ſolùm metaphorico, quatenus effectus ſumitur pro cauſa, calor ſummus pro igne. 2. De Chriſto in ſpecie humana apparente verè dicitur, *hic eſt Deus;* quia in hac propoſitione demonſtratur ſuppoſitum, ſeu perſona ipſa quæ eſt unica, habens naturam divinam & humanam; hoc enim nomine, *Deus*, ſignificatur habens naturam divinam, ſicut & nomine, *homo*, intelligitur habens naturam humanam: porrò verum eſt, quòd *hic* ſit habens naturam divinam & humanam: ergo de eo propriè dicitur, *hic eſt Deus.* At ſicut dici non poteſt natura humana eſt natura divina; ita nec panis eſt corpus Chriſti, quia pars non poteſt prædicari de parte. 3. Ideo oſtenſo dolio dicitur, hoc eſt vinum; quia dolium ſe habet per modum vaſis vinum continentis: ex communi autem hominum uſu, non fas, ſed contentum demonſtratur; quis verbi gratia, ferens la-

genam plenam quærenti à se, quid præ manibus habeat, responderet seriò lagenam? hæc enim responsio est manifestè contra mentem interrogantis; quia ubi sermo est de vase, homines non attendunt continens, sed contentum: atqui panis, aut vinum non est vas institutum ad continendum aliud. Unde ridicula esset enuntiatio de pane, in quo nummus occultaretur, hoc est nummus.

Nec dicas Christum Dominum instituisse panem, tanquam vas ad continendum corpus suum. Namque 1. id gratis & sine fundamento diceretur. 2. Omnium aures offenderet, qui contenderet guttulam vini esse vas aliquod à Christo Domino institutum ad continendum sanguinem.

Instabis; De Sacramento, seu signo rem significatam continente, propriè affirmatur ipsa res significata, v. gr. de Columba, quæ apparuit in Baptismo Christi Domini, recte dici potuit; *hic est Spiritus Sanctus*. Item, de linguis igneis, quæ insederunt capitibus Apostolorum: atqui Eucharistia est signum continens corpus Christi: ergo dici potest, *hoc est corpus Christi;* etiamsi remaneat panis.

Distinguo maj. Si res contenta per effectus sensibiles se prodat, Conced. maj. Tunc enim signum habet rationem alicujus vestientis, quod non attenditur, sed res ipsa vestita: hinc de Angelo, qui apparuit Abrahamo in forma humana, rectè dici potuit, *hic est Angelus*: si res contenta nullatenus exteriùs se prodat, Nego maj. Quis enim ostenso vel Baptismo, vel Sacramento Confirmationis, diceret, *hic est Spiritus Sanctus*, quia sunt

ſunt ſigna Spiritus Sancti; ſigna, inquam, non vacua, ſed plena? Sicut ergo nec de infuſione aquæ, nec de impoſitione manus, quamvis iis adſit Spiritus Sanctus, dici poteſt, *hic eſt Spiritus Sanctus;* quia non adeſt ſenſibiliter, ſicut adfuit in ſpecie Columbæ, & linguarum ignearum, in quibus viſibiliter operabatur movendo & agitando illas; ſic nec de pane, aut vino dici poſſet, *hic eſt Chriſtus*, cum ſenſus minimè eum deprehendant.

His illud addere liceat, quod etiamſi in verbis inſtitutionis remaneret aliqua difficultas, non ſequeretur propterea transſubſtantiationem ex Scripturis probari non poſſe. Annon myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, & prædeſtinationis eruimus ex Scripturis, quamvis Hæretici eas variis explicationibus obvolvant? Eccleſiæ eſt aſſerere quis ſit verus Scipturarum ſenſus. Semper autem intellexit verba inſtitutionis ſenſu à nobis expoſito, ut mox conſtabit.

Probatur itaque 2. transſubſtantiatio ex conſtanti Traditione Eccleſiæ. 1. Patres laudati capite 12. pro præſentia reali, ac præſertim SS. Cyrillus Jeroſolymitanus, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Joannes Damaſc. clarè transſubſtantiationem agnoſcunt; dicunt enim panem converti, & transmutari in corpus Domini, quomodo aquæ in nuptiis Canæ mutatæ ſunt in vinum, & panis, quo veſcebatur Chriſtus Dominus, in propriam carnem vertebatur. Quòd autem teſtimonia hæc non poſſint intelligi de converſione ſolius formæ ſubſtantialis, remanente eadem materia, contra Durandum demonſtravimus cap. 13. 2. Explicatio Lutheranorum, qui

consubstantiationem, seu unionem duarum substantiarum propugnant, inaudita est apud omnes Ecclesias Orientales. Nestoriani & Jacobitæ; qui sæculo quinto à Catholica Ecclesia recessere; Græci qui à nono sæculo divisi à Latinis permanent schismatici transubstantiationem confitentur, ut patet ex cap. 12. Ecclesia verò Latina impanantium & consubstantiantium errorem proscripsit, uti doctrinæ suæ contrarium, cùm primùm se prodidit, nempe undecimo sæculo in duobus Conciliis Romanis contra Berengarianos: in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. contra Albigenses: in Constantiensi etiam generali anno 1414. contra Wiclefum: in Florentino, seu in Decreto Eugenii IV. an. 439. ac tandem in Tridentino contra Lutheranos.

Dices 1. S. Chrysostomus Epist. ad Cæsarium scribit, etiamsi sint in Christo Domino duæ naturæ impermixtæ, esse tamen unum Filium, & unam personam, quemadmodum *panis, divina illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote liberatus est appellatione panis, etiamsi natura panis in eo permanserit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicatur.* Ergo quarto sæculo non credebatur transubstantiatio. Ignorabatur etiam sæculo 5. Sic enim Theodoretus loquitur in Dialogo 1. contra Eutychianum, quem Eranistam vocat: *Salvator noster nomina permutavit, & corpori quidem id quod erat symboli nomen imposuit: symbolo verò, quod erat corporis sui. Hoc est, corpus suum appellavit panem, panem verò nomine corporis sui dignatus est. Sic vitem,* inquit, *seipsum qui nominavit, sanguinis nomen symbolo tribuit.* Et Dialogo 2. addit, *non naturam mutans, sed natura gratiam addens.* En, inquiunt Calvinistæ, sententia nostra

nostra clarè expressa, panis in Cœna manet, sed gratia & virtus substantialis corporis Christi ei additur. Non minùs expressè in eodem Dialogo, negat Theodoretus transubstantiationem, quàm præsentiam realem. Cùm enim Eutychianus probet naturam humanam in divinitatem esse conversam, exemplo Eucharistiæ, in qua substantia panis convertitur in corpus Domini, sic respondet Theodoretus: *Retibus, quæ ipse tenuisti, captus es; neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut priùs.* Testis quoque est Gelasius suo sæculo, hoc est, sexto, eandem fuisse Ecclesiæ doctrinam, nempe substantiam panis & vini remanere, quemadmodum in Christo substantia inconfusa permansit: ait enim in libro de duabus naturis: *Sacramenta quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.* Ergo.

Respondeo distinguendo anteced. Natura seu substantia panis non desinit, sed remanet, si per naturam intelligantur proprietates naturales, quo sensu nonnunquam usurpatur à Patribus tum Latinis, tum Græcis, Conc. Si intelligatur ipsa radix proprietatum, Nego anteced. Itaque veteres non infrequenter per naturam intellexere complexionem sensibilium proprietatum, quam vulgus solet apprehendere tanquam rei cujusque naturam: *Substantia*, inquit Tertullianus libro de anima cap. 32. *est lapis, ferrum: duritia lapidis, & ferri est natura substantiæ, duritia communicat, substantia discordat;* S. Auguft. in Psal. 68. conc. prima, ait ho-

 minem

minem per peccatum lapſum eſſe à ſubſtantia, in qua factus eſt. Et S. Petrus Chryſologus ſerm. 82. dixit Chriſtum per reſurrectionem non mutaſſe perſonam, ſed ſubſtantiam, ubi ſubſtantia ponitur pro proprietatibus accidentalibus. Sic ſanctus Chryſoſtomus homil. 4. ad populum de tribus Juvenibus in fornace ardenti Illæſis: *Poteſtas*, inquit, *rerum naturam mutavit.* Et Theodoretus citato Dialogo 2. de corpore Chriſti reſurgentis ſcribit, *priorem ſuam retinuit formam*, *figuram*, *circumſcriptionem*, *& ut ſemel dicam*, *corporis ſubſtantiam.*

Quòd autem locis in objectione laudatis, Patres nomine naturæ, aut ſubſtantiæ panis intellexerint proprietates, probatur ex eorum ſcopo. Sanctus enim Chryſoſtomus agit contra Apollinariſtas, ex quibus poſteà errorem hauſerunt Eutychiani, contra quos pugnant Theodoretus & Gelaſius. Porrò illi Apollinariſtæ, ſeu, Polemiani, ſic dicti ab auctore ſuo Polemio, docebant, Verbum ab æterno habuiſſe carnem, ſeu ſubſtantiam humanam, ſed materiæ expertem, incircumſcriptam, permixtam cum divinitate, & ab ea indiſtinctam; & ita Verbum etiam in humanitate eſſe Patri conſubſtantiale: in Incarnatione verò aſſumpſiſſe formam exteriorem, circumſcriptionem, & omnes humani corporis affectiones & proprietates, in quibus paſſus eſt mortuus, divinitate vices ſupplente animæ humanæ; peracto autem redemtionis myſterio poſt Aſcenſionem, Chriſtum depoſuiſſe illam humanam formam, & circumſcriptionem. Ita refert ex S. Athanaſio ſanctus Epiphanius hæreſi 77. Sanctus Gregorius Nazianzenus epiſt. ad Nectarium, & Facundus lib. 9. cap. 7. Ex quo perſpicuum eſt, nec S. Chryſoſt.

ſoſt. nec alios Patres habuiſſe probandum in Chriſto remanere eſſentiam carnis, cum hæretici illi contenderent, illam à divinitate eſſe inſeparabilem; ſed tota eorum controverſia erat de proprietatibus, de circumſcriptione, & complexione accidentium; negabant illi Hæretici iſta retinere Chriſtum, aſſerebant contra Patres laudati; & ad illud ſuadendum, proferebant exemplum Euchariſtiæ, quæ ita dicitur corpus Chriſti, ut in ea remaneant impermixtæ naturales proprietates panis, quas Patres eo liberiori ſtylo naturam, ſeu ſubſtantiam nuncupabant, quòd cavendos non haberent, ſicut nos hodie, conſubſtantiantes Hæreticos; ſic Scriptores ſecundi & tertii ſæculi durioribus verbis myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſerunt, quibus abſtinendum fuit poſt exortam Arianorum hæreſim.

Confirmatur 1. Hæc reſponſio, quoad ſanctum Chryſoſtomum. 1. Ex ejuſdem S. Doctoris verbis in citata epiſtola; ait enim de natura panis permanente. *Et non ſunt duo corpora ſed unum corpus Chriſti prædicatur; ſic etiam hic divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam perſonam utrumque conſtituit.* Quæro autem à Lutheranis epiſtolam illam objicientibus, quomodo ſubſtantia panis, & corpus ex Virgine natum, non ſint duo corpora? Non reſpondebunt cum impanatoribus, id fieri per unionem hypoſtaticam, propter rationes ſupra allatas, cùm tamen fingi aliter non poſſet ſubſtantiam completam panis evadere unum corpus cum corpore ex Virgine nato. Reſtat ergo ut dicant cum Catholicis, ſolas ſpecies panis remanere, ac ſub iiſdem contineri corpus Chriſti, per modum contenti ſubſtantialis; ſic enim efficitur, ut ſicut

ſicut ante conſecrationem ſpecies illæ, & ſubſtantia panis non erant duo corpora, ſed unum corpus; ita poſt conſecrationem, ſpecies panis & corpus Chriſti gerentes vices contenti ſubſtantialis, evadant unum corpus. 2. Ex Liturgia S. Chryſoſtomi, in qua dicitur panis mutari in corpus Chriſti, quæ verba hactenus intellecta ſunt à Græcis de mutatione ſubſtantiali: & hom. 33. in Matth. *Ipſe eſt*, inquit, *qui hæc dona ſanctificat, tranſmutat.*

Confirmatur 2. quoad Theodoretum. Centuriatores Magdeburgenſes Lutherani ſentiunt Theodoretum ipſis adverſari, monentque ipſum periculosè legi. 2. Niſi conſtans fuiſſet doctrina quinti ſæculi, panem in corpus Domini converti, Eraniſtes ſeu Eutychianus non protuliſſet exemplum Euchariſtiæ ad confirmandum ſuum errorem, quo docebat, ut monuimus, poſt Aſcenſionem deſiiſſe naturam humanam modo ſupra explicato. Eutychianus ergo ſupponit converſionem panis, tanquam dogma à Catholicis receptum, ut ex eo contra ipſos argumentaretur. Enimverò nullus è Scriptoribus ſive antiquis, ſive recentioribus, meminit Eutychianos erraſſe circa Euchariſtiam, quemadmodum S. Ignatius aſſerit de Ebionitis, & poſteriores de Manichæis, quòd ex principiis erroris ſui negaverint Euchariſtiam eſſe veram Domini carnem. Orthodoxus autem in citato Dialogo exemplum Euchariſtiæ, qua parte favet propriæ cauſæ, retorquet in adverſarium, nempe circumſcriptio, ſeu quantitas; & aliæ affectiones exteriores panis manent in ſua natura & ſubſtantia, videntur, tanguntur: ergo à pari Chriſtus Dominus cœlum conſcendens, non dimiſit quæ erant carnis propria in quibus crucifixus eſt: *Corpus*

pus igitur Christi, inquit concludendo ratiocinium, *priorem habet formam & circumscriptionem*, &, *ut semel dicam corporis substantiam*; ubi vides sermonem esse de natura, seu forma exteriori tantùm, non de interiori & essentiali; ultro enim Eutychiani fatebantur hanc semper mansisse unitam Divinitati.

Instabis: Theodoretus ait Dialogo secundo, Christum Dominum non naturam mutasse, sed naturæ gratiam addidisse, & visibilia symbola corporis sui appellatione tantùm honorasse: Ergo.

Distinguo anteced. Ut supra naturam exteriorem, Concedo: Naturam interiorem, Nego anteced. Non dicit autem quam gratiam ei addat, an benedictionem, seu consecrationem, an ipsum Christum Dominum, qui ab Apostolo dicitur per excellentiam gratia Dei, Hebr. 2. vers. 9. In posteriori verò objectionis parte, nulla est difficultas; scribit enim Theodoretus *symbola corporis sui appellatione honoravit*, sine adverbio, *tantùm*.

Urgebis; docet Theodoretus Patriarcham Jacob appositè appellasse vinum sanguinem uvæ, Genes. 49. sicut nos mysticum altaris vinum, sanguinem Christi vocamus & panem, corpus ejus; quia ipse se dixit vitem veram, Joan. 15. & granum frumenti, Joan. 12. Ergo in mente Theodoreti, Eucharistia non est alio modo corpus & sanguis Domini, quàm ipse est vitis; & granum frumenti.

Nego conseq. Eruitur enim manifestè contra Theodoreti mentem verbis ejus expressam: *Post sanctificationem*, inquit Eranistes, *quomodo hæc* (symbola) *appellat?* Orthodoxus, *corpus & sanguinem Christi*. Eranistes, *& credis te corpus Christi & sanguinem*

acci-

accipere? Orthodoxus, *ita credo.* Et cùm negaret Eranistes corpus Christi in cruce pendentis esse nostræ salutis meritum, urget illum Orthodoxus: *Quòd si tibi parvum & vile videtur corpus Christi in cruce, quomodo ejus typum* (Eucharistiam) *venerabilem & salutarem existimas? Cujus autem typus adorandus est salutaris, quomodo archetypum ipsum potes despicere?* Quæro ab Adversariis, utrùm hæc possint intelligi de figura & imagine vacua, præsertim cùm ipsi omnem cultum imaginibus denegent, nec panem in Cœna propositum ulla adoratione dignentur, quantumcumque virtute corporis Christi plenum existiment? Scribit Theodoretus symbola post invocationem mutata esse, & facta aliud, *intelliguntur*, inquit, *ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Et in cap. 11. 1. ad Corinth. sic habet: *Sacratissimam noctem in memoriam revocavit Apostolus, in qua typico Paschæ finem imposuit Dominus, & verum typi archetypum ostendit .... non solùm Apostolis, sed etiam Judæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertiit... significat* (Apostolus) *quod quemadmodum tradidit illum Judas, ita eum ignominia afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt.* Sanè Calvinista non ita scriberet de Eucharistiæ Sacramento; quamquam Theodoretus voluit ex professo obscurè scribere & ea reticere, quæ infidelibus creditu difficiliora viderentur, *apertè dicendum non esse,* inquit Dialogo 2. *verisimile enim est aliquos abesse mysteriis non initiatos.* Respondet Eranistes; *Respondetur ænigmaticè.* Vel ex his posterioribus verbis perspicuum est non satis æquos esse erga Theodoretum, qui arbitrantur ipsum malè sensisse de transubstantiatione; quæ enim æquitas insignem

Docto-

Doctorem, & benè de Ecclesia meritum erroris insimulare, propter verba obscura, ænigmatica, & mentem obvelantia, ne augustissimum Religionis nostræ mysterium indignis propalaretur? quin recta ratio hoc ab unoquoque judicium exigit ipsum corde credidisse, quod præ reverentia, qua affectus erat, non est ausus verbo aut scripto exprimere; nisi sub figuris & ænigmatibus.

Dices 2. Si remanentibus speciebus panis & vini, desineret eorum substantia, Deus homines deciperet, ut probant Patres contra Marcionem docentem, Verbum non assumpsisse substantiam carnis humanæ, sed solùm exteriores ejus species: imò Tertullianus contendit Verbum apparuisse sanctis Patriarchis in vera carne, *non quidem moritura*, inquit, *quia nondum nata*, sed statim dimittenda, aliàs mendacium fuisset in ejus sententia, si solam humani corporis formam oculis exhibuisset: Ergo

Distinguo anteced. Deus homines deciperet, nisi præmoneret non esse panem & vinum, Transeat: si præmoneret, Nego antec. Nam supposita revelatione, nec sensus decipiuntur cùm tale sit objectum, quale renuntiant; est enim verus color, verus sapor panis & vini, vera quantitas & extensio. Ex his quidem signis naturalibus pronum est menti humanæ colligere substantiam; quia secundùm naturalem rerum ordinem ista nunquam separantur: sed cùm possint supernaturaliter separari, vir prudens hìc non ita certo unum ex alio inferet, quin judicet rem extraordinarie posse aliter se habere; sicque Deus non decipiebat Patriarchas, sed locum dabat deceptioni, quod certè

certè non eſt per ſe malum; aliàs incarnatio, per quam in ſpecie humana exhibetur perſona divina, eſſet mera deceptio: peccarentque homines, qui juſta de cauſa ſe occultant ſub aliena veſte, unde contingit alios decipi; ſed illa deceptio eorum imprudentiæ eſt tribuenda.

Porrò cùm Deus revelat rem non eſſe talem, qualis objicitur ſenſibus, jam nulla poteſt eſſe deceptio; omnes enim credere debent Deo loquenti. Hinc ſancti Patres efficaciter revincebant Marcionitas negantes Chriſtum Dominum fuiſſe verum hominem: quia cùm divinitus ſit revelatum, Verbum factum fuiſſe carnem, ſequitur Deum decepiſſe homines, ſi exteriorem ſpeciem carnis tantùm præſetulerit.

Dices 3. ex ſpeciebus Euchariſticis producitur alia ſubſtantia, puta vermes: atqui ſubſtantia non poteſt naturaliter produci, niſi ex alia ſubſtantia. Ergo reverà ſpecies Euchariſtiæ non ſunt ſine aliqua ſubſtantia materiali.

Diſtinguo maj. Producitur alia ſubſtantia ſupernaturaliter, Deo creante de novo materiam ad occultandum myſterium, ne experimentum humanæ rationis tollat fidei meritum, Conc. Naturaliter, & ſine concurſu Dei extraordinario. Nego major.

CAPUT XV.

Utrùm Chriſtus Dominus ſit totus ſub qualibet ſpecie?

Negavit quidam nomine Præpoſitus tempore Alexandri III. hoc eſt, 12. ſæculo. Bohemi pugnan-

pugnantes pro communione ſub utraque ſpecie, 15. ſæculo eundem errorem amplexi ſunt. Calvinus ex falſo principio, quo ſupponit Euchariſtiam non exhibere, niſi virtutem ſubſtantialem corporis Domini, conſequenter deducit Chriſtum totum in ea non contineri : *Sanè*, inquit lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 45. *ſi deſignare ſe totum voluiſſet, dicere poterat Chriſtus : Ego ſum.* Lutherus dubius fuit circa propoſitam quæſtionem, quam dixit inutilem; quæritur tamen ſe falsò culpari, quòd non exiſtimaret totum Chriſtum eſſe ſub utraque ſpecie. Diſcipuli ejus in hac re inter ſe diſſentiunt.

R. De fide eſt totum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecie; ita enim definiit Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. can. 3. *Si quis negaverit in Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie .... totum Chriſtum contineri; anathema ſit.* Præiverat Eugenius IV. in ſuo Decreto, his verbis : *Totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini.* Et ante eum Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 45. ubi vult inquiri à ſuſpecto de hæreſi, num credat & aſſerat quòd peracta conſecratione, ſit vera caro, ſanguis, anima & totus Chriſtus.

Probatur 1. ex Scriptura Joan. 6. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, non ait : *Corpus meum*, ſed, *me.* Chriſtus autem eſt totum conſtans ex duabus naturis, & perſonalitate divina.

Probatur 2. ex Traditione.

S. Ignatius Martyr epiſt. ad Smyrnenſes ſcribit Euchariſtiam eſſe carnem Verbi, quæ paſſa eſt, & quam *Pater ſuſcitavit.* Non vivet autem, niſi adjuncto ſanguine & anima.

S. Ephrem lib. de non scrutanda natura divina cap. 5. ait : *Agnum ipsum integrè comedis.*

S. Hieronymus contra Jovinianum, asserit nos in Eucharistia accipere Christum.

S. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 4. dicit eos, qui communicant, esse Christiferos.

Sanctus Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio sic exclamat : *O miraculum, qui cum Patre sedet sursum, in illa hora omnium manibus pertractatur !*

S. Augustinus supra laudatus docet Christum, cùm instituit Eucharistiam, seipsum manibus portasse.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & Concilium Ephesinum, de quibus supra, asserunt contra Nestorium, Eucharistiam non esse antropophagiam, sed vivificam Verbi carnem.

Huc referri debent, quæ supra de adoratione Eucharistiæ diximus; caro enim non est adoranda, nisi propter unionem cum divinitate. Ergo tota Traditio agnovit divinitatem in Eucharistia; ac proinde Patres Tridentini novam doctrinam non induxerunt, sed antiquam, & ab Apostolis traditam asseruere.

Q. 2. *Quomodo Christus Dominus totus redditur præsens in Eucharistia, cùm verba institutionis & promissionis non indicent, nisi corpus ejus & sanguinem.*

Resp. Patres Tridentini sess. 13. cap. 3. *Existere . . . . corpus . . . . sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quà partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur : divinitatem porrò*

rò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Cùm verò totus ſit in Verbo Pater, ſicut & Spiritus Sanctus propter circuminſeſſionem, de qua in Tract. de Trinitate, ſequitur tres Perſonas SS. Trinitatis præſentes eſſe, adorari & ſumi in Euchariſtia.

Q. 3. *Quare ſolum corpus ex vi verborum ponitur ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini?*

R. Quia ex dictis, ubi de Sacramentis in genere, verba ſeu formæ Sacramentorum in tantum operantur, in quantum ſignificant: atqui hæc verba, *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſignificant, priora quidem corpus, poſteriora verò ſanguinem, & nihil amplius. Ergo reverà ponunt corpus ſub ſpecie panis, ſanguinem verò ſub ſpecie vini, nihil prætereà. Qua propter colligunt Theologi, quòd ſi in triduo mortis conſecraſſent Apoſtoli, corpus fuiſſet ſub ſpecie panis ſine anima & ſanguine; & ſanguis ſub ſpecie vini, ſine corpore & anima; quia tunc nec anima neceſſariam habebat connexionem cum corpore & ſanguine, nec ſanguis cum corpore, & viciſſim; cùm tunc temporis hæc ab invicem eſſent ſeparata. Secus dicendum eſt de Divinitate, quæ corpori etiam mortuo, ſic ut ſanguini fuit ſemper conjuncta.

Q. 4. *Hæc doctrina eſtne credenda fide divina?*

R. Quamvis ſit apud Catholicos certiſſima, de fide tamen non eſt: tum quia Concilium non ita eam definiit, nec in canonibus expreſſit: tum quia nec in Scriptura, nec in Traditione expreſsè habetur, quomodo Chriſtus totus contineatur in Euchariſtia, ſed ſolùm colligitur ex forma quam dixi-

diximus cap. 8. ita reponendam in recenſitis Domini verbis, ut hæreſeos non ſint arguendi, qui preces neceſſariò addendas exiſtimant.

Q. 5. *Eſtne de fide Chriſtum totum contineri in qualibet parte hoſtiæ, ſeu calicis?*

R. De fide eſt totum contineri, facta ſeparatione; ſic enim definiit Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. can. 3. his verbis: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ... partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.* Probatur autem ex conſtanti univerſalis Eccleſiæ Traditione, quæ peracta conſecratione, eundem panem frangere conſuevit in plures diſtribuendum, ſicut & eundem calicem omnibus aſtantibus porrigere, exemplo Chriſti Domini, qui de Calice dixit, *bibite ex hoc omnes*, Matth. 26.

Dixi, *facta ſeparatione*; Nam ante ſeparationem non ita certum eſt contineri totum in qualibet parte, quamvis Theologi communiter id aſſerant; cùm per ſeparationem non fiat nova conſecratio, quæ de novo ſiſtat corpus Chriſti præſens, ſicut per fractionem ſpeculi fit nova reflexio, ex qua apparet duplex imago. Neque propterea erit pluries replicatum corpus Chriſti in unica hoſtia, ſicut nec replicatur anima rationalis in uno corpore, licèt ſit tota in ſingulis ejus partibus; numerus enim ſupponit diviſionem.

Q. 6. *Chriſtus Dominus in Euchariſtia exiſtens, poteſtne agere, v. gr. videre, audire, movere ſe, aut moveri?*

R. Non poteſt elicere ullam actionem, quæ dependeat à ſenſibus; quia hujuſmodi actio requirit aliquam extenſionem in organo, qua caret cor-

corpus Chriſti. Poteſt tamen moveri per accidens ad motum ſpecierum, quemadmodum ad motum navis movetur nauta.

Dixi, *actionem, quæ dependeat à ſenſibus;* Nam actus ſcientiæ infuſæ, & viſio beatifica, cùm non pendeant ab organo corporis, elici poſſunt.

Q. 7. *Peccatores recipiuntne verum Chriſti corpus?*

R. Conſtat tum ex Scriptura, tum ex Traditione, illud verè & realiter recipere, ſed in judicium & condemnationem: *Qui enim manducat & bibit indignè*, ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ad quæ verba S. Auguſtinus contra Creſconium cap. 26. *Ecce quomodo obſunt divina & ſancta malè utentibus; cur non hoc modo & baptiſmus?* Supple, erit verus & bonus, licèt non proſit malè diſpoſitis. Huc revocandi ſunt plures è textibus Patrum laudatis pro præſentia reali & tranſubſtantiatione, qui evincunt conſtantem Eccleſiæ traditionem circa propoſitam quæſtionem.

Dices: S. Cyprianus ſerm. de lapſis, refert quendam idololatriæ crimine pollutum, cùm auſus fuiſſet ad ſacram menſam accedere, non reportaſſe niſi cineres. S. Auguſtinus diſertè ſcribit tract. 26. in cap. 6. Joan. peccatores non manducare corpus Domini; *Hoc eſt*, inquit, *illam manducare carnem .... in Chriſto manere, & illum in ſe manentem habere, ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat carnem ejus .... licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat.* Unde tract. 59. in Joan. ſic loquitur: *Apoſtoli manducabant panem Dominicum, hic* (Judas) *pa-*

nem Domini contra Dominum. Innocentius quoque tertius libro 4. Myster. Missæ cap. 11. negat corpus Domini corrodi à muribus, sed tunc pristinam panis substantiam redire. Eandem sententiam priùs docuerant Guitmondus libro 2. & Magister Sententiarum in 4. dist. 13. & alii apud Estium dist. 9. part. 3.

Respondeo Sigillatim.

Ad S. Cyprianum, textus sancti Doctoris favet doctrinæ Catholicæ; cur enim symbola in manibus sacrilegi conversa sunt in cineres, nisi quia, iis manentibus integris, non recedit corpus Domini? Sacrilegus ergo ille manducasset corpus Domini, si species integras sumpsisset.

Ad S. Augustinum, Distinguo, non manducat spiritualiter carnem Domini, in quo Dominus non manet, Concedo: Non manducat sacramentaliter, Nego: Namque ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8. *Rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc . . . . Sacramentum accipiendi distinxerunt.*

Quidam, ut peccatores, sacramentaliter duntaxat recipiunt: alii spiritualiter tantùm, nimirum qui fide viva, quæ per dilectionem operatur, Christo uniri cupientes, sine sacramentio fructum sacramenti ex parte percipiunt. Tertii sacramentaliter & spiritualiter, qui rectè dispositi ad sacram mensam accedunt. Posset addi quartus modus, sed extraordinarius sumendi hoc Sacramentum, nempe materialiter tantùm: nam infidelis nequidem sacramentaliter ederet Eucháristiam, cùm non sit homini nondum baptizato signum gratiæ, comederet itaque sacra dona sicut corrodi possunt à muribus.

Con-

Confirmatur ſolutio, & quidem ad mentem S. Auguſtini, obſervando tria in manducatione contineri. Primum eſt comminutio cibi, quæ fit in ore, dentium miniſterio. Secundum eſt trajectio cibi in ſtomachum. Tertium, & illud præcipuum, eſt ipſa refectio, ſeu nutricio, quæ fit in naturali manducatione per converſionem cibi materialis in ſubſtantiam comedentis. Hoc poſtremo deficiente, verè & propriè dicimus hominem, cujus ſtomachus exceptum cibum ſtatim rejicit, cibum non capere, manducare non poſſe, quamvis alimenta dentibus conterat, & in ſtomachum trajiciat.

Quemadmodum autem nutritio materialis & animalis fit calore naturali; ſic nutritio ſupernaturalis & ſpiritualis fit fide viva, ſive habituali, ut in infantibus; ſive actuali & habituali ſimul, ut In adultis; per hanc enim unimur Chriſto Domino, & in eum transformamur. Quæ cùm deſit in peccatoribus; verè ſcripſit S. Auguſtinus, peccatores panem Dominicum non manducare, ſed panem Domini: quia licèt ſymbola corpore ejus plena accipiant; ipſo tamen ſpiritualiter non reficiuntur. Illud ipſum diſcrimen exponit S. Doctor in Commentario in Pſal. 21. concione prima, ubi docet juſtos in menſa Domini edere & ſaturari, laudemque Dei eſſe eructationem ſaturitatis eorum; peccatores verò manducare quidem, & adorare idem corpus, ſed minimè ſaturari.

Verum quidem eſt Patres Tridentinos hunc trinum communicandi modum non propoſuiſſe tanquam fide divina credendum, cùm nihil de eo in Canonibus expreſſerint: attamen hæc doctrina tam conſtans eſt apud Catholicos, ut Gregorius

XI. apud Reginaldum prohibuerit, ne quidam Profeſſores Cæſarauguſtani contrarium docerent.

Ad Innocentium III. & alios, non ita clarè eruitur ex Scriptura & Traditione corpus Domini remanere; dum ſpecies ſacramentales corroduntur á muribus, quàm cùm à peccatoribus comeduntur; unde circà illum extraordinarium caſum liberiùs opinati ſunt veteres. Nihilominus cùm fide divina conſtet Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens, ſequitur corpus Chriſti adeſſe ſpeciebus, quamdiu integræ perſeverant; nec ullum eſt fundamentum in Scriptura aut traditione admittendi illam exceptionem, imò S. Bernardus inter errores Abailardi recenſet ipſum negaſſe corpus Domini à muribus corrodi; & Optatus Milevitanus ſcripſit quarto ſæculo Donatiſtas Euchariſtiam à Catholicis conſecratam projeciſſe canibus, qui ſtatim in rabiem converſi, dominos ſuos uti reos corporis Domini, dilaniarunt.

CAPUT XVI.

Quis eſt Miniſter Euchariſtiæ?

Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 9. adversùs hæreſes, refert de quodam Marco hæretico & mago ipſum mulieres adhibuiſſe ad conficiendam Euchariſtiam. Idem teſtatur ſanctus Epiphanius hæreſi 49. de Collyridianis.

Waldenſes tribuebant poteſtatem conſecrandi laico probo, quam negabant Sacerdoti impio, ex Reinerio lib. contra Waldenſes cap. 5. *De Sacramento Euchariſtiæ*, ait ille de Waldenſibus loquens, *dicunt quòd Sacerdotes in mortali non poſſint conficere.*

Luthe-

Lutherus lib. de captiv. Babyl. cap. de Ordinatione contendit omnes Fideles virtute Baptismi habere potestatem consecrandi Eucharistiam, sed neminem eâ potestate uti debere, nisi sit legitimè vocatus.

Contra hujusmodi errores ad quæstionem propositam,

R. Primò solus Sacerdos est Minister conficiendæ Eucharistiæ: est de fide; ita enim definiit Concilium IV. Lateranense cap. *Firmiter*, his verbis: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus*: Concilium Tridentinum quoque sess. 22. cap. 1. de Apostolis loquens, sic habet: *Eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et can. 2. *Si quis dixerit illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba ex concilio Tridentino mox laudato, diriguntur ad solos Sacerdotes.

Probatur 2. ex Traditione Ecclesiæ.

S. Justinus Apol. 2. sic exhibet ordinem cœtuum Christianorum: *Qui fratribus præest, rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti, offert Eucharistiam juxta mandatum, quod Apostolis Christus dedit, cum accepto pane, dixit, hoc facite*, &c.

Tertullianus libro de præscript. cap. 41. arguit Hæreticos, quod laicis Sacerdotalia munia

concederent. Et libro de Corona militis cap. 3. refert ad traditionem Apostolicam, quòd Eucharistiam non *de aliorum manu*, *quàm præsidentium sumimus*.

Concilium Nicænum primum generale, canone 18. vetat ne Presbyteri *ab iis* (Diaconis) *qui potestatem non habent offerendi*, *Christi corpus accipiant*.

S. Epiphanius Epist. ad Joannem Jerosolymitanum, se excusat, quòd in ejus Diœcesi Presbyterum ordinavit, hac ratione: *Ne multitudo sanctorum fratrum ibidem degentium sacris privarentur mysteriis*, *cùm non haberent*, *qui sibi divina Sacramenta conficerent*.

S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos tanquam rem certissimam apud omnes Catholicos supponit solum Sacerdotem posse Eucharistiam conficere: *Hilarius Sardus*, inquit, *cùm Diaconus de Ecclesia recesserit* . . . . . *neque Eucharistiam conficere potest*, *Episcopos & Presbyteros non habens*; *Ecclesia enim non est*, *quæ non habet Sacerdotes*.

Denique à quinto sæculo, quo obiit S. Hieronymus, usque ad præsens tempus, Ecclesia sive Orientalis, sive Occidentalis, credidit solis Sacerdotibus competere potestatem conficiendi Eucharistiam, nec hactenus passa est inferiores Clericos illud munus sibi arrogare.

Dices: Neque ex Scriptura, neque ex Traditione certò colligi potest, potestatem consecrandi corpus Domini ita esse Sacerdotibus propriam, ut aliis, præsertim Diaconis, committi nullatenus possit. Non ex Scriptura, siquidem laudata verba, *hoc facite in meam commemorationem*, S. Paulus 1. ad Cor. 11. intelligit dicta omnibus fidelibus,

bus; ut cum grata recordatione Passionis Christi Domini ad sacram mensam accedant. Deinde etiamsi quis eas extenderet ad Apostolos tanquam Ministros designatos tanti Sacramenti, non continuo excludendi essent ab hoc ministerio cæteri fideles; nonne enim Apostolis dictum est, *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c.? An propterea Diaconi & reliqui fideles, etiam mulieres, non possunt baptizare? Nonne per Baptismum omnes Christiani facti sunt Deo regnum & Sacerdotes, ut habetur Apoc. 1. & 1. Petri cap. 2.? Nonne colligitur quoque ex Traditione? Namque 1. Tertullianus lib. de Castitate cap. 7. potestatem offerendi sicut & baptizandi omnibus communem facit, sic enim scribit: *Nonne & laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit, differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas ...... ubi tres, Ecclesia est, licet laici .... Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est; habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, si necesse sit habere jus Sacerdotis*, nempe ut laicus non sit bigamus, & à secundis nuptiis abstineat; nam Sacerdotes bigami ministrare prohibentur: in necessitate autem laicus tingit & offert: ergo laicus non debet esse bigamus. En ratiocinium Tertulliani secundas nuptias improbantis. 1. Primis Ecclesiæ sæculis Diaconi præficiebantur Parochiis regendis, ut constat ex Concilio Eliberitano can. 77. & ex Epistola 11. sancti Cypriani, 3. Concilium Ancyranum anno 314. de Diaconis lapsis, sic statuit can. 2. *Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare verò ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædi-*

prædicando, *debent*. Ergo tunc temporis oblatio panis & calicis inter munera Diaconalia numerabatur. Sed ubi crevit numerus Sacerdotum, placuit Ecclesiæ ut illorum esset singulare privilegium. Sic enim loquuntur Patres in Concilio I. Arelatensi can. 15. de Diaconis, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere. 4. Ex Theodoreto lib. 1. hist. cap. 22. Frumentius à sancto Athanasio ordinatus Indorum Episcopus, cùm esset adhuc laicus, suasit Mercatoribus in Indiam commeantibus, ut ex more institutoque Romanorum simul convenirent, ad divina mysteria celebranda. Ergo in casu saltem necessitatis, Eucharistia ab aliis, quàm à Sacerdotibus, potest confici.

Nego antec. Et ad singula momenta in ejus confirmationem prolata respondeo.

Ad primum ex Scriptura petitum. Mirum non est si Apostolus verba Domini, *hoc facite in meam commemorationem*, ad communicantes restringat, cùm illos solos alloquatur; omnes enim tam qui participant, quàm qui conficiunt, id debent agere in memoriam Passionis Dominicæ. Cæterum Adversarii non concedent laudata Domini verba de sola Eucharistiæ perceptione esse intelligenda; aliàs nullum in Scriptura haberent præceptum celebrandi suam cœnam. Quod autem *hoc facite*, non extendatur ad laicos in casu necessitatis, sicut, *docete baptizantes*, habemus ex perpetua universalis Ecclesiæ Traditione & praxi; disparitatis verò ratio est sola Domini voluntas; quanquam hæc afferri possit convenientia, quòd Eucharistia non sit tantæ necessitatis, ut omnis homo debeat esse ejus Minister sicut & Baptismi.

Bapti-

Baptizati quidem dicuntur Sacerdotes, ſicut & reges; ſed in ſenſu myſtico quatenus dominantur ſuis affectibus, & offerunt ſpirituales hoſtias, ut loquitur S. Petrus, hoc eſt fructum labiorum ſuorum, orationes, & bona opera: *non utique*, ait ſanctus Auguſtinus lib. 20. de Civ. cap. 1. *De ſolis Epiſcopis dictum eſt*, Apocal. 20. *qui propriè jam vocantur in Eccleſia Sacerdotes: ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma; ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt unius Sacerdotis. De quibus Apoſtolus Petrus inquit, plebs ſancta, regale Sacerdotium.* Igitur ſicut impropriè ſunt reges, ſic & Sacerdotes.

Ad ſecundum, duplex eſt reſponſio, alii contendunt Tertullianum hunc ſcripſiſſe librum, cùm jam ad Montanum defeciſſet, ac proinde nullius eſſe momenti, quæ inde proferuntur: *De Tertulliano nihil reſpondeo*, inquit S. Hieronymus contra Helvidium, *quàm Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Et Vincentius Lirinenſis capite 18. ait, *conſequens error hominis, detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem*, maxime cum videatur retractare in libro de caſtitate, quæ Catholicus antea ſcripſerat libro de præſcript. cap. 41. contra hæreticos pro veritate, quam hic tuemur: *Mulieres hæreticæ*, inquit, *quàm procaces, quæ audeant docere . . . . . forſitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes . . . alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector; hodie Presbyter, qui cras laicus, nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Alii conantur eum conciliare cum ſemetipſo: nempe lib. de præſcript. negat laicos eſſe Sacerdotes ſtrictè & propriè loquendo; libro vero de caſtitate, affirmat ſumpto nomine Sacer-

dotis

dotis in latiori ſignificatione, quatenus laici per Baptiſmum fiunt membra Chriſti Summi Sacerdotis, & in illo offerunt ſpirituales hoſtias, ut loquitur S. Petrus, ſcilicet fructus labiorum, ſeu laudes divinas, & alia bona opera.

Ad tertium, Diaconi præficiebantur Parochiis, ubi deerant Presbyteri, ut obirent ea officia, quæ pertinent ad Diaconos; plebem regerent, docerent, baptizarent: Euchariſtia à Sacerdotibus confecta reficerent, pſalmodia & laudibus divinis recrearent. Sed nulla auctoritate probari poteſt eos conſecraſſe, & peccata remiſiſſe contra univerſalis EccleſiæTraditionem, qualem expoſuimus.

Ad quartum, Patres Ancyrani ſupponunt Diaconorum eſſe offerre, diſtinguo: offerre ſuo modo nempe miniſtrando, & cooperando Sacerdoti, Concedo: modo Sacerdotum proprio, Nego. Nam Diaconi ex can. 4. Concilii IV. Carthaginenſis, non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium conſecrantur. Unde S. Hieronymus Epiſt. 85. ad Evagrium, reprimens audaciam Diaconorum qui cùm haberent curam rerum temporalium, atque ideo impenſius obſervarentur juxta illud proverbium, *pecuniæ obediunt omnia*, ſupra Presbyteros ſeſe extollebant, ſic ſcribit: *Quis patiatur, ut menſarum, & viduarum miniſter* (Diaconus) *ſupra eos ſeſe offerat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* Itaque Diaconi offerunt 1. quia ad ipſorum officium pertinet à populo oblationes accipere, & ex iis ſeligere materiam ſacrificii, quam præparant benedicendo apud Græcos, & in quibusdam Galliæ Eccleſiis, ut Ambianenſi, & Virdunenſi, ubi Diaconus benedicit aquam, quam vino admiſcet, deinde offert calicem Sacerdoti, cum

cum quo pronuntiat consuetam orationem sustentando calicem, *offerimus tibi Domine calicem*, &c. Quo sensu potest admitti lectio actuum passionis S. Laurentii apud Sanctum Ambrosium l. 1. de Officiis cap. 41. ubi sic refert Sanctum Martyrem Xystum alloquentem, *Experire utrum dignum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem;* quamquam editio Romana habeat, *Dominici sanguinis dispensationem.* Hanc oblationem præparatoriam & ministerialem innuere videntur Patres Ancyrani; siquidem de Diaconis lapsis; aliter statuunt, ac de Presbyteris similiter lapsis; de his enim can. 1. simpliciter & absolute pronuntiant debere offerre, de illis vero can. 2. prohibitionem restringunt ad panem & vinum. *Cessent*, inquiunt, *à pane, sive à calice offerendo.* 2. Diaconi offerunt corpus & sanguinem Christi Domini, quatenus populo distribuunt; hoc sensu Cyprianus tract. de lapsis, scribit Diaconum calicem præsentibus offerre.

Quod spectat Concilium Arelatense, Morinus; & nonnulli Theologi existimant Diaconos quidem aliquando præsumpsisse Eucharistiam conficere, atque adversus tantam audaciam Patres Arelatenses insurgere; verùm alii Theologi contendunt non agi de ipsa confectione Eucharistiæ, alias Concilium inultum non reliquisset illud crimen; sed de distributione Eucharistiæ, quam Diaconi sine conscientia Presbyteri, aut Episcopi sibi arrogare non debent, ut habetur can. 18. ejusdem Concilii, & mox dicturi sumus.

Ad quintum, per divina mysteria intelligi debent orationes; Rufinus enim, ex quo Theodoretus historiam mutatus est, sic refert lib. 1. hist.

ut *ritu Romano orationis cauſa confluerent.* Socrates etiam ante Theodoretum ſic ſcripſerat lib. 1. cap. 19. *ut Chriſtianorum more Deum precarentur :* coævus quoque Sozomenus lib. 2. c. 24. *ut orationis cauſa in unum convenirent, ac Romano more collectas celebrarent.*

R. 2. Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſter ordinarius eſt ſolus Sacerdos : extraordinarius vero Diaconus.

Prima pars probatur, tum ex Scriptura jam laudata, *hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba ex dictis ad ſolos Sacerdotes diriguntur, tum ex Traditione. Verba Sancti Juſtini, & Tertulliani ſupra retulimus, quibus teſtantur Euchariſtiam percipi de manibus Præſidentium.

Secunda pars probatur ex conſtanti univerſalis Eccleſiæ Traditione. S. Cyprianus cit. tractatu de lapſis, obſervat Diaconum offerre calicem præſentibus. Concilium Nicænum dum improbat can. 18. quod Diaconi Euchariſtiam porrigerent Presbyteris, ſupponit ſolitos fuiſſe eam omnibus fidelibus diſtribuere. Idipſum teſtantur acta paſſionis Sancti Laurentii, liber octavus Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 28. & Ordo Romanus. Unde Concilium Aquiſgranenſe c. 7. ſic loquitur, *ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in Miniſtro diſpenſatio Sacramenti eſt : ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat*, ſi tamen accedat licentia Epiſcopi aut Presbyteri, quemadmodum de Baptiſmo ſolemni diximus. *Diaconus*, inquit Concil. IV. Carthaginenſe canone 38. *præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti, populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Verum cum apud nos uſus ille amplius non vigeat, & rei novitas ſcandalum movere poſſet, à ſolo Epiſcopo licentia

centia expectanda est, nisi obstet urgens necessitas, qualis censeretur, si Viaticum deferendum esset ad periculose decumbentem, absente Presbytero.

Q. 2. *Clerici Diaconis inferiores possuntne Eucharistiam dispensare?*

R. Non possunt solemniter, & in cœtu publico, possunt in casu necessitatis, utraque responsionis pars probatur ex usu & praxi Ecclesiæ. Pro priori parte habemus S. Cyprianum tract. de lapsis, acta passionis S. Laurentii, Concilium Arelatense I. Nicænum I. & Carthaginense IV. in quibus munus illud non aliis Ministris, quàm Diaconis tribuitur; quin & Concilium Laodicænum sub Sancto Sylvestro sic statuit cap. 25. contra Subdiaconos, *non oportet Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.* Posterior pars probatur, tum ex actis passionis Sancti Tharsici, de quo Martyrologium Romanum ad diem decimam quintam Augusti, & ex Epistola Innocentii I. quibus constat Acolythos olim detulisse Eucharistiam ad absentes: tum ex historia sæpius laudata Eusebii lib. 6. cap. 44. referentis Presbyterum per famulum misisse Eucharistiam ad Serapionem ægrotantem; tum ex dictis cap. 3. ubi fuse ostendimus, fideles primis sæculis solitos fuisse Eucharistiam domum asportare ad spiritualem suam refectionem. Cæterum quamvis usus ille hodie inoleverit, ut Eucharistia per inferiores Ministros, vel etiam laicos dispensetur, potest tamen ea, judicio Episcopi, necessitas occurrere, v. gr. tempore grassantis pestis, ut iis facultas illa concedatur.

Q. 3. *Poteſtne quis ſibi ipſi Euchariſtiam adminiſtrare?*

R. 1. Poteſt Sacerdos celebrans; ita definiit Concilium Tridentinum ſeſſione 13. canone 13. *Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare, anathema ſit.* Probatur, tum exemplo Chriſti Domini, qui ſeipſum communicavit, ex Sancto Chryſoſtomo hom. 83. in Matth. & Sancto Hieronymo quæſt. 2. ad Hebidiam, ubi Chriſtum vocat convivam, & convivium: tum ex uſu conſtanti univerſalis Eccleſiæ, qui ab Apoſtolis deſcendere credendus eſt, cum S. Juſtinus ſecundo ſæculo apol. 2. & Tertullianus tertio ſæculo lib. de corona militis cap. 3. teſtentur, eum, qui præeſt ſacris, Euchariſtiam ita præſentibus diſtribuere, ut eam ab ipſis non accipiat. Debet tamen Sacerdos non celebrans in ægritudine ſeipſum communicare, ſi nullus adſit niſi Diaconus. Ita Durandus in 4. diſt. 14. q. 4. & Suarez, 3. parte q. 32. ſect. 3. idipſum poſſe eundem Sacerdotem diebus ſolemnioribus ibidem docet Suarez, & alii nonnulli Theologi, modo non adſit ſcandalum.

Dices, nullus poteſt ſibi miniſtrare alia Sacramenta: ergo.

Nego conſeq. 1. quia non eſt paritas quærenda in iis, quæ ex mera Dei voluntate pendent. Deinde Chriſtus Dominus ab alio baptiſmum ſuſcepit, non verò Euchariſtiam. 3. alia Sacramenta in uſu conſiſtunt, & ex vi formæ dicunt habitudinem ad perſonam diſtinctam. *Ego te baptizo, Ego te abſolvo.*

R. 2. Licet antiquitus Eccleſia ob graves & urgentes rationes indulgeret laicis, ut Euchariſtiam

ristiam in proprias domos referrent, eamque privatim propriis manibus sumerent; attamen cum à pluribus sæculis eædem rationes non existant, Concilium Trident. sess. 13 cap. 8. declarat retinendum morem, quem dicit ab Apostolis descendere, ùt laici à Sacerdotibus communionem accipiant. Ab hac disciplina dispensatum esse ferunt decimo sexto sæculo cum Maria Scotorum Regina, quæ in carcere detenta, & morti proxima Eucharistiam quam apud se servabat, sibi ministravit.

Q. 4. *Licetne cuilibet Sacerdoti Eucharistiam ministrare?*

R. Cùm Pastorum sit oves pascere, non licet aliis Sacerdotibus sine pastorum licentia Eucharistiam, & alia Sacramenta administrare. Communiter autem præsumitur licentia, primò, cum admittitur Sacerdos ad sacrum faciendum; optat enim Synodus Tridentina sess. 22. cap. 6. ut in singulis Missis fideles astantes sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent. 2. cùm ex privilegio in quibusdam oratoriis conservatur Eucharistia, ibidem distribui potest fidelibus, etiam extra Missæ Sacrificium, ad hoc enim præcipuè conservari permittitur.

Dixi, *communiter;* namquè 1. Viaticum non licet ministrare, nisi Pastori, aut aliis Sacerdotibus ab eo deputatis, hæc exceptio expresè habetur in Regularium privilegiis. Quod si contra præsumpserint, excommunicationem latæ sententiæ summo Pontifici reservatam incurrunt, Clementina *Religiosi* de privilegiis, nisi fortè abessent aut renuerint illi, quorùm interest ministrare. 2. infantes non admittendi sunt prima

 vice

vice ad ſacram Menſam ſine judicio & conſenſu proprii Paſtoris juxta diſciplinam, quæ ubique viget; aliàs multi ignorarent fidei rudimenta, regulas vitæ Chriſtianæ, & diſpoſitiones neceſſarias ad dignam Sacramentorum perceptionem; cùm experientia conſtet plebeios, niſi hujusmodi neceſſaria diſciplina, non poſſe compelli ad iſta perdiſcenda. 3. expreſſe prohibitum eſt privilegiatis Euchariſtiam miniſtrare die Sancto Paſchatis, ut exprimitur in eorum privilegiis. Unde vel fictitia eſt Bulla Nicolai V. qua tollitur talis exceptio, ut multi Theologi contendunt, vel ſaltem uſu reçepta non eſt, ut conſtat ex praxi. Cùm autem multi Epiſcopi hanc extendant prohibitionem à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, dubium non eſt, quin ejusmodi diſciplinæ faveat laudata Clementina contra Regulares, qui ſine juriſdictione Communionem laicis adminiſtrant. Nec excuſandi ſunt, qui illis diebus Euchariſtiam miniſtrant his duntaxat laicis, qui devotionis cauſa accedunt, cùm jam præcepto Communionis Paſchalis ſatisfecerint, aut ſint deinceps ſatisfacturi; ſiquidem non tantum finis, ſed & verba legis, quæ hic abſolute loquitur, attendenda ſunt. Non liceret Clerico verb. gratia contra prohibitionem ingredi tabernas ad manducandum, & bibendum, ſub eo prætextu, quòd ibi ſe gereret absque ſcandalo & intemperantiæ vitio, quæ Legislator ſua lege amovere ſolùm intendit; nam Theologorum effatum eſt legem obligare, etiamſi finis illius reſpectu aliquorum tantum deſinat.

Q. 5. *Nunquid privilegiati possunt tempore Paschali Eucharistiam ministrare vagis & peregrinis, qui nullam habent Parochiam?*

R. Minimè; hi enim eam sortiuntur Parochiam ad quam deveniunt; nec in ægritudine sua Viaticum & Extremam Unctionem accipiunt ab alio, quàm à Parocho, aut ab eo deputatis.

Cùm autem præceptum Communionis Paschalis semper urgeat eos, qui tempore præscripto non satisfecere, ad Parochum remitti debent, si in anni decursu ad extraneum accedunt.

Q. 6. *Quoties tenentur Pastores Eucharistiam ministrare?*

R. Tenentur non solum cùm urget Communionis præceptum, ut tempore Paschali, ægritudinis, pestis, & persecutionis, propter mortis periculum, in quo fideles versantur, sed etiam quoties subditi rationabiliter petunt; 1. quia officium Pastoris est, non solum necessaria, sed & utilia gregi suo subministrare. *In pascuis uberrimis pascam eas*, ait exemplar omnium Pastorum Ezech. 34. . . . . *quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam.* 2. quia cùm ea sit piæ matris Ecclesiæ voluntas, ut fideles panem illum supersubstantialem frequenter petant, dubium non est, quin à Pastoribus exigat, ut spiritualem subditorum famem pietate verè materna expleant, tumque gemat cum Propheta, *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, Thren. 4. cùm audit quosdam ægrè ferre, quòd subditi ad hunc gratiarum fontem sæpe recurrant. 3. quia Eucharistia est medium, etsi non absolutè, ut dicetur infra, saltem secundum quid necessarium ad perseverandum, superandas ten-

tationes, & vitanda peccata, *sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius . . . . . quo liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præserventur.* Concilium Tridentinum sess. 13. c. 2. Hinc quotquot hactenus in Christiana Religione floruerunt probati Pastores, mortis pericula constanter subiere, ut tam potenti subsidio fideles recrearent.

Q. 7. *Cùm desunt minores formulæ, licetne celebranti partem majoris, in qua consecravit, detrahere, ut eam aliis administraret?*

R. Licet, si viaticum sit continuò ministrandum periculose decumbenti, ex S. Thoma in 4. dist. 17. non verò, si ex sola devotione petatur communio, quia est contra praxim.

CAPUT XVII.

Utrùm ex præcepto divino Eucharistia sit omnibus administranda sub utraque specie?

R. Negari non potest, quin communio sub utraque specie communiter, saltem in publicis cœtibus, administrata sit: in Ecclesia quidem Græca usque ad hodiernam diem, in Latina verò usque ad XII. sæculum, à quo tempore faventibus quibusdam Episcopis usus unius speciei, panis scilicet, sensim invaluit. Obstiterunt in Bohemia decimo quarto ineunte sæculo Petrus Dresdensis Ludimagister, & Jacobellus Misnensis, ob concionum elegantiam famosus, docentes, speciem etiam vini esse laicis necessariam,

riam, accusantesque Ecclesiam Romanam ignorantiæ aut negligentiæ, quòd calicem subtrahi passa fuisset, ex Ænea Sylvio lib. hist. Bohemorum cap. 35. Horum sequaces dicti sunt Calixtini, quibus se adjunxit Joannes Hus, à quo Hussitæ.

Constantiense Concilium generale, ut nascentem errorem comprimeret, sanxit anno 1415. sess. 13. consuetudinem communicandi sub una specie, legitime introductam, & diutissime observatam pro lege esse habendam, erroneumque pronuntiavit, si dicatur, hunc communicandi modum esse illicitum, cùm sub qualibet specie Christus totus contineatur. Idipsum paulò post, scilicet anno 1435. Concilium Basileense confirmavit sess. 30. amore tamen unitatis & pacis obtulit Bohemis licentiam communicandi pro more patriæ sub utraque specie, modo agnoscerent talem communionem præcepto divino non esse necessariam.

Lutherus circa præsentem controversiam initio varius fuit, ex Bellarmino lib. 4. de Eucharistia cap. 20. tandem lib. de Captivitate Babyl. cap. de Missa, definit esse impium & tyrannicum, laicis negare utramque speciem. Concinit Calvinus lib. 4. Institut. capite 17. §. 4. his verbis: *Ex diaboli prodiit officina constitutio, quæ dimidiam cœnæ partem meliori populi Dei numero furata est.*

Proposita igitur quæstio duo complectitur capita. Primum, utrum communio sub utraque specie necessaria, etiam non sacrificantibus, vel necessitate Sacramenti, vel necessitate præcepti divini, quæ quæstio ad fidem pertinet.

 Secun-

Secundum, utrùm concedenda vel neganda ſit laicis utraque ſpecies. Quæſtio eſt meræ diſciplinæ, circà quam non una fuit ſententia Patrum Tridentinorum. Nam ex Palavicino ſexaginta novem Epiſcopi, præſertim ex Gallia & Germania, reclamantibus 79. aliis, cenſuerunt laicis concedendum calicem ad vota Imperatoris & Caroli noni Regis Chriſtianiſſimi, & ut viſum fuerat plurimis Antiſtitibus in Colloquio Piſſiaco. Sed Concilium retenta conſuetudine communicandi non ſacrificantes ſub unica panis ſpecie, judicio Summi Pontificis detulit in fine ſeſſ. 22. utrùm uſus calicis alicui nationi vel regno concedendus eſſet, & quibus conditionibus; juxta quod Decretum Pius IV. anno 1564. inſtante Ferdinando Imperatore, uſum calicis quibusdam Germaniæ populis reſtituit; at idipſum contigit apud illos populos, quod dudum apud Bohemos, ut nimirum in errore pertinaciores fierent, teſte eodem Palavicino lib. 24. cap. 14. His compendiosè & hiſtoricè expoſitis, jam ſatisfaciendum quæſtioni propoſitæ, quoad utramque partem. Quare

R. 2. Quoad primam, communio ſub utraque ſpecie fidelibus non conficientibus, neceſſaria non eſt ex neceſſitate Sacramenti, neque ex divino præcepto. Eſt de fide definitum can. primo Concilii Tridentini ſeſſ. 21. his verbis: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Et can. 2. *Si quis dixerit ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit.*

Pro-

Probatur 1. ex Scriptura, 1. negativè, quia nullus afferri poteſt textus, in quo expreſsè præcipiatur hujusmodi communio omnibus fidelibus, ut patebit ex objectionum ſolutione. 2. Poſitivè, quia multi textus innuunt ſumptionem unius ſpeciei ſufficere, Joann. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ubi eadem vita promittitur ſolam carnem manducanti, quæ manducanti carnem, & ſimul bibenti ſanguinem. Ergo ſumptio utriusque ſpeciei non requiritur neceſſitate Sacramenti, ſed in unica ſtat verum Sacramentum, cùm totus ejus effectus ex illa percipiatur: Actorum 2. de primis fidelibus legitur, *erant .... perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Quæ Calviniſtæ, ſicut Catholici, intelligunt de Euchariſtia.

Reſpondent Adverſarii potius divinando, quàm interpretando, hæc ſcripta eſſe per ſinecdochen, qua ſumitur pars pro toto, ſpecies panis pro utraque ſpecie. Verùm hæc reſponſio manifeſtè repugnat Traditioni univerſalis Eccleſiæ, cujus eſt Scripturam interpretari, ubi habet aliquid obſcuritatis. Quare

Probatur 2. conſtanti Traditione, quæ non niſi ab Apoſtolis manare potuit. Namque 1. ex dictis cap. 3. de permanentia Euchariſtiæ, conſtat ſolitos olim fideles Euchariſtiam domi, & in deſertis locis ſervare, & in itinere ſecum deferre ad ſpiritalem refectionem. Quòd autem in unica panis ſpecie ſumerent, colligitur tum ex circunſtantiis, quæ vix admittebant, ut fideles ſecum geſtarent vini ſpeciem: tum ex ſilentio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in qua quidem legitur Chri-

 ſtianos

ſtianos panem Euchariſticum accepiſſe alicubi nudis manibus, alibi verò linteo, quod dominicale & orarium dicebatur, at de vaſe apto ad vini ſpecies ſuſcipiendas, an deberet eſſe argenteum, cupreum, vitreum, teſtaceum, nulla prorsùs mentio, cùm tamen de eo ſpecialiter aliquid fuiſſet præſcribendum. Quid ita? niſi quia ſpecies vini nunquam conceſſa fuit ad hujuſmodi privatas communiones. Sed detur adverſariis aliquando conceſſam, ut contendunt etiam aliqui ex Orthodoxis, ſaltem negari non poteſt, quin identidem privata illa communio in ſola panis ſpecie peracta ſit; illud enim evincitur, tum ex teſtimonio Tertulliani lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Non ſciet maritus*, inquit, *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur.* En communio in ſola panis ſpecie: tum ex Solitariorum exemplo, qui ad annum ſacrum viaticum accipiebant, ex prato Spirituali cap. 79. Porro vinum tamdiu conſervari non potuit, præſertim in calidiſſimis regionibus.

Secundò, mos dandi Euchariſtiam infantibus viguit in Eccleſia Latina uſque ad duodecimum ſæculum; apud Græcos verò etiam nunc viget: atqui hic non una fuit Eccleſiæ diſciplina: aliquando quippe ſub utraque ſpecie; aliquando verò ſub ſola panis aut vini ſpecie Euchariſtiam diſpenſavit. De ſola vini ſpecie teſtes ſunt 1. S. Cyprianus, ſerm. de lapſis, ubi de infantula, quam nutrix, neſcia matre, contaminaverat infundendo ori ejus de idolothytis panem vino mixtum, tum poſtea in Eccleſiam delata, ſic refert: *Solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus ejus*

ejus advenit, faciem ſuam parvulam inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit; tunc ſequitur ſingultus & vomitus, in corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Hic fingi non poteſt priùs ſpeciem panis miniſtratam Sancto Cypriano, qui ſacris præerat, nam ſpeciem illam perinde evomuiſſet. Neque panem vino tinctum accepiſſe, 1. quia illius mixtionis uſus ignotus erat primis ſæculis, nec de ea habetur mentio apud Latinos ante ſeptimum ſæculum, nempe in Concilio ſecundo Braccarenſi canone 2. in quo improbata eſt anno 675. 2. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 20. deſcribit Eccleſiæ diſciplinam ſuo ſæculo, nempe duodecimo, atqui Euchariſtiam in ſpecie vini infantibus miniſtrandam eſſe digito Sacerdotis, quem facilè ſugere poſſunt, & expreſsè Paſchalis II. epiſt. ad Pontium Cluniacenſem Abbatem ann. 1118. præcipit, ut Euchariſtia parvulis & infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt in ſolo ſanguine communicetur, vetatque utramque ſpeciem miſceri, quam mixtionem permiſerat Concilium Claromontanum ſub Urbano II. anno 1095.

Tertiò Euchariſtiam ſub una ſpecie infirmis miniſtratam evincunt, 1. factum Serapionis à S. Dionyſio Alexandrino probatum 3. ſæculo. Euſebius illud refert lib. 6. hiſt. cap. 44. narratque Presbyterum fortè ægrotantem, cùm ad Serapionem in extremis poſitum pergere non poſſet, miſiſſe per puerum exiguam Euchariſtiæ partem, ac juſſiſſe ut in aqua intinctam ſeu madefactam, moribundo porrigeret, qua ille paulatim abſorpta, continuò animam exhalavit. Ubi obſervandum

quòd

quòd non Presbyter ipse intinxerit, puer non in vino, sed in aqua, ne suspicentur Adversarii Presbyterum miscuisse particulam cum sanguine Domini. 2. Concilium XI. Toletanum can. 11. an. 675. concedit infirmis solam speciem vini dispensari, *quia solent tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus possint refici.* 3. Constitutio Paschalis II. mox laudata, & à Baronio relata tom. 12. ad annum 1118. 4. Græci feria quinta majoris hebdomadæ pro infirmis panem consecrant, consecratumque Christi sanguine leviter humectant; sed ut per annum à corruptione immunis servari possit; cunctum humorem exprimunt sacro disco ignem subjicientes, ex Goardo in notis ad Rituale Græcorum, & ex Arcudio lib. 3. de Eucharistia cap. 55. & 56. Fatendum tamen est aliquando utramque speciem infirmis fuisse concessam; nam Sanctus Hieronymus epist. ad Rusticum, laudat S. Exuperium Episcopum Tholosanum, quòd in sublevandis pauperibus ita se spoliasset, ut corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem in vase vitreo portaret.

Quartò, à primis sæculis Eucharistia sub una specie identidem, etiam in conventibus publicis dispensata fuit. 1. S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium, meminit quarumdam Virginum, quæ Romæ ita erant abstemiæ, ut in ipsis mysteriis speciem vini non sumerent, proptereaque à maledicis Manichææ vocitabantur, Manichæi enim hac vana superstitione ducti, quòd vinum esset fel draconum, ab eo etiam in sacris mysteriis abstinebant; unde Sanctus Leo ser. 4. de Quadragesima, ut eos Romæ latitantes detegeret, monuit plebem observandos eos, qui in sacra mensa

mensa sanguinem redemptionis nostræ haurire declinarent. In quo sanè non latuissent, quin imò seipsos prodidissent, si Catholicis liberum non fuisset aliquando unicam speciem sumere. Verùm ut certius esset illud signum; Gelasius Sancti Leonis successor, præmonitus nonnullos, *nescio qua superstitione*, à calice abstinere, sic statuit (si tamen fides habeatur Gratiano de consecratione dist. 2. cap. 12. hæc enim non leguntur apud Gelasium) *aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Hæc de iis, qui superstitione speciem vini declinabant, atque ut faciliùs innotescerent, omnes etiam Catholici ad utramque speciem astringuntur lege generali, quæ mutatis circumstantiis abiit in dissuetudinem, ut liquet ex jam dictis, & mox dicendis de Missa præsanctificatorum, hoc est, in qua Sacerdos omissa consecratione, sumit speciem panis altera die consecratam. Hic mos est perantiquus in ùtraque Ecclesia, observatur in Latina feria sexta Parasceves; sic enim habetur in veteri Ordine Romano, *Pontifex in Officio feriæ quintæ hebdomadæ sanctæ sumat oblatas integras ad servandum usque manè diei Parasceves, de quibus communicent* (fideles eo siquidem die non solus Sacerdos communicabat) *absque sanguine Domini: sanguis verò eadem die* (scilicet feria quinta) *penitus consumatur.* Habemus igitur ex eo libro communionem publicam apud Latinos à sexto sæculo in sola panis specie peragi absque ulla necessitate, sed solùm ad quandam significationem mysticam, quod clarè evincit Ecclesiam nullum agnovisse divinum præceptum sumendi utramque speciem. In Ecclesia verò Græca toto Quadra-

dragesimali tempore celebratur ex præsanctificatis, præter dies exceptos in Synodo Quinisexta, seu Trullana anno 692. can. 52. his verbis: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.* Ubi advertes Concilium non novam legem statuere, sed confirmare veterem, cujus initium multi ducunt à Concilio Laodiceno. Sic enim habet can. 49. *Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & Dominica tantùm.* Quamquam multi interpretentur de pane benedictio, quem Concilium prohibet distribui in Quadragesima, ne solvatur jejunium.

Novatores vim hujus argumenti, quo illorum confoditur error, totis viribus eludere conantur, contenduntque in Missa præsanctificatorum Eucharistiam sub utraque specie sumi tum apud Latinos tum apud Græcos.

Apud Latinos quidem; namque in Ordine Romano loco jam cit. legitur de Sacerdote, *sumit de sancta* (Hostia) *& ponit in calicem .... sanctificatur enim vinum non consecratum per consecratum panem, & communicant omnes cum silentio.* Nec dicas hæc intelligenda de sanctificatione quadam morali, qualis intelligitur in vase ex contactu corporis aut sanguinis Domini, non verò de sanctificatione physica & per transubstantiationem facta. Subdit enim Ordo, *Pontifex confirmatur* (id est sibi ipse administrat sanguinem Christi) *in calice sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia vinum non consecratum, sanguini Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum ......* Et infra. *Archidiaconus*

con-

confirmat omnes Sanguine Dominico, quos communicaverat Pontifex Corpore Dominico. Ubi vinum vocatur sanguis Domini, & dicitur sanctificatum per omnem modum; quod sane non potest intelligi, nisi de sanctificatione per conversionem vini in sanguinem Christi: & ita intellexerunt communiter, qui de Ritibus Ecclesiasticis scripsere, ut Micrologus cap. 19. *In parasceve*, inquit, *vinum non consecratum cum Dominica Oratione, & Dominici Corporis immissione jubet* (Ordo Romanus) *consecrare, ut populus plene possit communicare.*

Amalarius lib. de Officiis Ecclesiasticis, scribit Sacerdotem die Parasceves per commixtionem corporis Christi vinum consecrare juxta Ordinem Romanum. Hanc interpretationem supponunt Theodulphus in suo Capitulari cap. 41. & Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis, ubi testantur die Parasceves populum communicare corpori & sanguini Dominico, Pontificale Remense anno 1500. Noviomense pro communicatione infirmorum volunt dici, cùm de sacrificio mittitur in calicem, *fit consecratio vel commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Missale Suessionense ad diem Parasceves, consecratur vinum per commixtionem factam in calice corporis Christi. Trevirense anno 1547. & Rothomag. anno 1513. *Sumendo calicem* (die Parasceves) *dicat: Sanguis Domini nostri Jesu Christi*, &c. Omitto plura alia Missalia, ut Andegavense ann. 1551. & Virdunense ann. 1554. quæ eandem sententiam exprimunt: ergo publica communio nunquam peracta est apud Latinos, ne quidem die Parasceves, nisi sub duplici specie.

Apud

Apud Græcos verò, vel ex eo liquet quòd constanter credant & doceant communionem ex præcepto divino faciendam sub utraque specie. Unde Dominicis Diebus Quadragesimæ panem consecratum madefaciunt sanguine Christi, ex qua mixtione partem servant ad Missam præsanctificatorum, reliquas verò præsentibus distribuunt cum cochleari ad hunc usum apto; sic enim per annum utramque speciem ministrant, ut effusionis periculum vitetur. Verùm

Refellitur 1. hæc responsio quantùm ad Latinos. Quod enim adducitur ex Ordine Romano, non spectat Missam præsanctificatorum, qualis celebratur die Parasceves, sed Missam plenam, in qua utraque species consecratur, ut legenti patebit. In ea autem Missa Pontifex ex calice consecrato partem refundit in calicem majorem jam vino plenum, ex quo Diaconus ministrat fidelibus, qui propter illam mixtionem verè dicuntur sumere sanguinem Domini, cùm species consecratæ misceantur cum aliis vini partibus; & ita intelligendum Pontificale Remense, & Noviomense; hoc enim modo species vini consecrati ministrabatur fidelibus, tum in Ecclesia, tum in lecto decumbentibus. Amalarius autem, si per verbum, *consecratur*, aliud intellexit quàm, *sanctificatur*, deceptus est, sicut & auctor Micrologii, qui non potuit scribere, nisi undecimo exeunte sæculo, cùm laudet Gregorium VII. qui obiit an. 1085. repugnantque illi Scriptores ipsi Ordini, in quo legitur, *sumat oblatas ad servandum usque manè diei Parasceves, de quibus communicent absque sanguine Domini.* Negandum tamen non est, quin aliqui in hunc errorem inciderint vinum per contactum

cor-

corporis Christi, vel per Orationem Dominicam converti in sanguinem. Sed reclamarunt alii, ut Joannes Beletus, Scholæ Parisiensis lumen, circa annum 1162. cap. 99. de Ritibus Missæ. *Quamvis*, inquit, *complurium scripta illud asserere videantur, nos tamen veritatem magis sequentes, & ea quæ sancti Patres tradiderunt, dicimus vinum illud non esse omninò consecratum ex illo contactu; sed sanctificatum.* Et Durandus libro sexto Rationalis, *dicimus illud non consecrari, sed sanctificari.* Aliàs æquè dici posset, panem profanum transmutari in Corpus Christi, ex contactu specierum consecratarum; & ita Sacramentum Eucharistiæ sine verbis perficeretur, quod est contra communem sententiam Patrum & Catholicorum. Nec refert quòd fideles dicantur recipere die Parasceves corpus & sanguinem Domini; nam in una specie utrumque sumitur. Addo vinum non consecratum alicubi ob repræsentationem sanguinis Christi vocari sanguinem, sic Pontificale Metense anno 1552. *Communicet infantem de simplici vino ter digitum intinctum apponendo ori infantis dicens, corpus & sanguis Domini*, &c. Et vetus Pontificale Ecclesiæ Antissiodorensis de communione infantum, intingit digitum in modico vino, & ponit in ore infantis, dicens, *Sanguis Domini nostri, &c.*

Refellitur 2. responsio quantùm ad Græcos, 1. usus miscendi utramque speciem in Missa præsanctificatorum non est ita apud eos antiquus, ut liquet ex eorum Eucologiis, quæ simpliciter præscribunt asservandam esse speciem panis, ut advertunt Allatius in Dissertatione de Missa præsanctificatorum, Arcudius lib. 3. de Eucharistia cap. 5. & seq. & Goarius ad Eucologium Græcorum,

colligiturque ex Concilio Trullano an.692. canone 101. ubi ſtatuit Euchariſtiam eſſe dandam in manibus fidelium, quod ſanè repugnaret, ſi ſpecies eſſent madidæ Sanguine Domini. Denique Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Schiſmatis inſtaurator undecimo ſæculo, in libro, quem ſcripſit pro defenſione præſanctificatorum, aſſerit nullam in panibus conſecratis infundi guttam ſanguinis. 2. Licèt ex Græcis ſchiſmaticis plures hodie Lutheranis in hac parte conſentiant, ut patet ex reſponſione Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Lutheranos cap. 10. ubi ſic habet, *utriuſque ſpeciei participes eſſe oportere dicitis: & rectè dicitis:* tamen ſic tingunt ſanguine Domini ſpecies panis reſervandas pro Miſſis præſanctificatorum, ut nullus humor poſſit remanere, nam eas exſiccant ſupponendo ignem ſacro diſco. Conſtat itaque ex conſtanti univerſalis Eccleſiæ Traditione, communionem ſub utraque ſpecie non eſſe neceſſariam non conficientibus, ſive neceſſitate Sacramenti, ſive neceſſitate præcepti divini; ac proinde Eccleſiæ eſt judicare an ſit concedenda, an neganda: declarat enim Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

Supereſt autem altera quæſtionis pars, utrùm conveniat ſpeciem vini negare non conficientibus? Ad quam

R. Juſtis de cauſis Eccleſia approbavit conſuetudinem

tudinem distribuendi calicem solis sacrificantibus, eamque pro lege habendam decrevit, donec tanti Sacramenti venerationi, & populorum pietati aliter consulendum judicaverit.

Probatur iisdem ferè rationibus, quas Patres Basileenses attigerunt. Prima est proximum effusionis periculum, adeò ut vix porrigeretur calix, quin aliquæ ex eo sanguinis guttæ deciderent, aut barbæ & vestibus adhærerent, ut retulerunt testes oculati. Secunda est inopia vini non solùm in regionibus Septentrionalibus, & aliis, in quibus vinum non crescit, sed etiam in plerisque pagis, ob tenuitatem & paupertatem incolarum, qua fit, ut etiam hodie vix possit haberi ad sacrificium offerendum, proptereaque identidem moveantur lites, quas non ita facile Episcopi diriment. Quid si vinum in ea copia, quæ omnibus sufficeret, ex locis remotioribus compararetur asservandum ad aliquod tempus? sæpiùs acesceret, aut alio modo corrumperetur. Conquesti sunt nonnunquam fideles hujusmodi vinum sibi ministratum. Tertia multi horrorem concipiebant ex eodem vase, aut eodem calamo cum aliis bibendi, metuentes ne aut contagioso morbo inficerentur, aut sordes à vilibus hominibus contraherent, fœtidosque halitus exciperent. Quod autem hujusmodi incommoda non Oratoris stylo extollantur, sed simpliciter exponantur, colligere licet ex communi fidelium sensu, qui propria sponte, & nulla præeunte Lege Ecclesiastica, à calice abstinuerunt. Id ex benemultis testantur 13. sæculo (hoc est, ducentis ferè annis ante Concilium Constantiense, ubi primum sancita est lex pro communione sub unica specie) Alensis parte 4.

te 4. quæst. 11. sic scribit: *Licet sumere Corpus Christi sub specie panis tantum, sicut ferè ubique fit à Laicis in Ecclesia.* Et Sanctus Thomas in 4. dist. 11. *populo non datur sanguis.* S. quoque Bonaventura eadem hist. *quòd dicitur utramque speciem accipi oportere, hæresis planè est.* Idem ergo contigit circa calicem, quod circa immersionem, in qua diximus Baptismum per duodecim sæcula fuisse administratum; sed propter difficultates & incommoda, sensim abiit in dissuetudinem, & infusio ubique inducta est. Novatores scripturam non prætexerunt, ut immersionem, utpote difficiliorem, restituerent, quemadmodum prætexunt ad restituendum calicem, in quo sanè majora occurrunt incommoda, ut constabit expendenti rationes allatas, propter quas Catholici sensim propria sponte à calice abstinuerunt. Hic enim observare oportet non fideles & Ecclesiæ subditos, sed hæreticos & rebelles armata manu calicem postulasse, Præsulesque Galliæ & Germaniæ, non minùs ad vota Catholicorum explenda, quàm ad hæreticorum motus sedandos, laborasse in Concilio Tridentino pro calice restituendo. Non occlusit aures pia Mater Ecclesia, ut merebantur rebelles, imò semel & iterùm tentavit, num hujusmodi indulgentia ad meliorem frugem reduci possent. Verùm efferatiores & magis contumeliosos experta est, ut jam diximus de Bohemis, & quibusdam Germanis.

Objiciunt illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ibi, inquiunt, Christus expressè præcepit, ut bibamus ejus sanguinem. Ergo.

Respon-

Respondeo 1. immeritò hunc locum objici ab Adversariis, utpote qui contendant hic non agi de Euchariſtia: ubi obſerva hominum levitatem & cæcitatem.

Reſpondeo 2. retorquendo argumentum, ibi præcipitur utriuſque ſpeciei ſumptio: qua ergo auctoritate utramque negatis infantibus contra expreſſum Domini præceptum, & contra univerſalis Eccleſiæ Traditionem, quæ ab Apoſtolis uſque ad duodecimum ſæculum, Euchariſtiam infantibus miniſtravit, & etiam nunc miniſtrat in Oriente? Siccine juxta profeſſionem veſtram Scripturæ inhæretis, quam patenter relinquitis ubi eſt obſervatu difficilior? infantes baptiſmo initiandos non immergitis, quamvis eum Dominus per immerſionem ſuſceperit, & eodem modo Apoſtoli, eorumque ſucceſſores baptizaverint; neque jam initiatos Euchariſtia perficitis contra illud præceptum, *niſi manducaveritis*, &c. Deinde Calviniſtæ cap. 12. art. 7. Diſciplinæ Eccleſiaſt. ſic habet: *Panis cœnæ adminiſtrandus eſt iis, qui vinum bibere nequeunt, modò teſtentur ſe id non facere in defectum.* Et art. 10. dicunt, *poſſe non dari calicem iis, quibus grave eſt poſt alios eum ſumere.* Jure itaque iis applicetur illud Apoſtoli, *eadem agis quæ judicas*, Rom. 2. Sacramentum mutilas, divinum præceptum tranſgrederis in iiſdem circumſtantiis, in quibus Eccleſiæ Catholicæ exprobras.

Reſpondeo 3. cùm una ſpecies contineat corpus & ſanguinem Domini, ſub unica caro ejus manducatur, & ſanguis bibitur; nec exprimitur in eo loco, an duplici ſpecie utrumque ſumendum ſit; imò ſatis colligitur ſufficere alterutram ſume-

re; sicut enim dicitur in illo capite, *qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* sic etiam dicitur, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Enimverò particula conjunctiva (*&*) non rarò sumitur in Scripturis pro particula disjunctiva (*vel.*) Sic Exodi 21. in Hebræo habetur, *qui percusserit patrem & matrem, morte moriatur.* Quæ sanè in sensu disjunctivo accipienda sunt, neque enim necesse est ut quis utrumque parentem percutiat, quò reus mortis censeatur, sic Act. 3. *argentum & aurum non est mihi*, id est, neque argentum, neque aurum. Denique si obscuritas sit in allato textu, à quo interpretatio accipienda est, nisi ab universali Ecclesia?

Instant, locus ille explicatur per verba institutionis, Matth. 26 *accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. En*, inquit Calvinus, *edictum æterni Regis;* quia prævidit futuros, qui fideles calice fraudarent, expressè dixit de calice, *bibite ex hoc omnes.* In Apostolis autem cuncti fideles intelliguntur, quibus æquè bibere præceptum est ex calice, ac manducare ex pane: ergo singuli tenentur ex calice sumere.

Nego conseq. namque 1. *bibite, manducate*, sunt potiùs invitantis, quàm præcipientis. Præceptum verò communicandi habetur Joan. 6. *nisi manducaveritis*, &c. Et Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Cur autem expressiùs ad calicem, quàm ad panem Dominus addiderit vocem (omnes,) ratio in promptu est, nempe quia panem fregit & distribuit in partes, quibus satis significabat, non uni, sed omnibus panem fuisse benedictum & consecratum. At verò calix erat unus ex quo bibendum; ideoque monuit ut omnes ex eo

sumerent. *Dividite inter vos*, ait Luc. 22. 2. Etiamsi verbum (bibite) præceptum contineat, vox (omnes) non se extendit, nisi ad Apostolos, & eorum Successores sacrificantes, quemadmodum verba illa, *docete omnes gentes*, Matth. 28. Sæpe enim Christus solos Apostolos alloquebatur. Unde S. Petrus Luc. 12. *ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Et Christus Dominus, Marci 13. *quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Cùm ergo Christus non expresserit, se aliis omnibus dixisse, *bibite omnes*, restat, ut doceamur ab Ecclesia, *quæ est columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. utrùm singuli hæc sibi dicta intelligere debeant. 3. Supposito, non concesso, verbum, *bibite*, se extendere ad singulos fideles, ut contendit Georgius Cassander in opere de communione sub duplici specie, & nonnulli in Concilio Tridentino, qui ideo suspecti fuere, nihilominus Adversarii non possent Ecclesiam Romanam erroris arguere; nam præceptum divinum, quod non est ad salutem necessarium, non obligat, ubi sine nimia difficultate & cum reverentia sacris mysteriis debita observari nequit: atqui talis est administratio calicis, ut constat ex dictis: Ergo.

Confirmatur ex ipsis Adversariis: Cur enim stante præcepto divino, ut contendunt, à calice liberant eos, qui ægrè ferunt labia post alios ad eundem calicem admovere, & omnes abstemios? neque enim desunt media, quibus odor & sapor vini sensum haurientis effugerent. Cur utramque speciem negant parvulis, & periculosè decumbentibus?

Urgent, saltem Ecclesia Romana liberam vini speciem cuilibet fideli relinquere debuit; potestas

enim inferior ſuperiorem ligare non poteſt: Chriſtus autem cuilibet permiſit ex calice ſumere.

Diſtinguo: liberam debuit relinquere ſpeciem vini, ſi nulla obſit ratio, Concedo: ſi obſit, qualem mox retulimus, Nego. Hanc enim poteſtatem Chriſtus dedit Eccleſiæ, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. Non igitur ligat divinam poteſtatem, ſed ea innititur. Nonne ipſi Adverſarii facultatem ſibi arrogant negandi parvulis utramque ſpeciem, cujus capaces illos effecit Chriſtus, ut capite ſequenti dicetur?

Contra hanc ſolutionem inſtabis. 1. Atqui calix pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti: Ergo.

Diſtinguo antec. calix conſecrandus, Concedo: Diſtribuendus, Nego antec. Verum quidem eſt, utriusque ſpeciei conſecrationem pertinere ad integritatem Sacramenti, ut fusè probavimus cap. 4. ideoque Eccleſia nunquam conſecravit in unica ſpecie. Sed cùm ipſa diſtributio ſupponat Sacrificium jam perfectum, nullatenus pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti. Conſule quæ ibi dicta ſunt ad ea, quæ contra objiciuntur.

At, inquies, ideò Chriſtus Dominus utramque ſpeciem inſtituit, ut repræſentaretur ipſius mors & paſſio, in qua ſanguis ſeparatus eſt à corpore: atqui non ſolùm ſacrificantes, ſed etiam communicantes annuntiant mortem ipſius, ut expreſſè docet Apoſtolos 1. Cor. 11. *Quotieſcunque .... manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domi-*

Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo communicantes debent utramque speciem sumere.

Distinguo min. Communicantes annuntiant mortem Domini, quatenus sumunt corpus ejus sine sanguine repræsentatum, & vi verborum in Sacrificio separatum, Conc. Sanguis enim inest tantùm per concomitantiam sub specie panis: quatenus utramque speciem sumunt, Nego min. Deinde etiamsi demus, communicantes sumendo utramque speciem expressius annuntiare mortem Domini, non sequitur ex præcepto divino utramque ab ipsis esse sumendam, quemadmodum concessimus immersionem in Baptismo distinctius sepulturam Domini repræsentare, quàm infusionem, nec propterea sequitur etiam in sententia Adversariorum, qui initiandos non immergunt, Baptismum non posse celebrari, nisi per immersionem.

Instabis 2. contra allatam solutionem. Ex concessis Ecclesia debet dispensare Sacramenta, prout expedit utilitati suscipientium: atqui suscipientibus esset utilius utramque speciem sumere; Sacramenta enim novæ Legis operantur quatenus significant. Porro species vini significant sanguinem Christi, non vero species panis: ergo species vini habent efficaciam producendæ gratiæ, qua carent species panis.

Respondeo 1. Vera sit sententia Gregorii Cassandri, quam ex Palavicino lib. 12. cap. 2. quidam Theologi, ut Melchior Canus, in Concilio Tridentino propugnarunt, & post Concilium Vasquesius 3. parte disput. 215. cap. 2. & alii ab eo appellati, sine impietate dici nequit præferendam utilitatem communicantium reverentiæ

Sacramento debitæ, contra quam oſtendimus peccari in generali diſtributione ſpecierum vini. Hoc venerationis motivo ducta Eccleſia à primis ſæculis, quoſdam peccatores, quamvis pœnitentes, à ſacra menſa repulit per plures annos, quin & per totam eorum vitam. Nec inficias ire poſſunt Novatores, qui exemplum Eccleſiæ Romanæ ſecuti, parvulis negant Euchariſtiam, quamvis fructus ejus capaces ſint, ut dicturi ſumus. His adde laicos per frequentiorum panis Euchariſtici ſumptionem, damnum quod ex privatione calicis paterentur, facile poſſe reſarcire.

Reſpondeo 2. Cummunem eſſe Catholicorum ſententiam, non plus fructus percipi ex duabus, quam ex unica ſpecie; quia ſub qualibet totus continetur Chriſtus, ratione cujus ſpecies ſignificant & operantur gratiam. Nec refert, quod ſanguis ſit ſolùm per concomitantiam ſub ſpecie panis, neque enim divinitas ſub ulla ſpecie vi verborum continetur, nihilominus tamen ab ea totam efficaciam hauriunt corpus & ſanguis Chriſti, ipſum Sacramentum.

Igitur in forma ad objectionem reſpondendum eſt diſtinguendo; ſpecies vini ſeorſim gratiam ſignificant ratione contenti, Conc. Per ſe ſolas, Nego. Ergo gratiam operantur, Diſtinguo: Si ſeparatim à ſpeciebus panis ſumantur, Conc. Si ſimul cum ſpeciebus panis ſumantur, Nego conſeq. Quia Chriſtus ſub ſpecie vini non aliam gratiam ſignificat, quam ſub ſpecie panis, nempe gratiam nutritivam, quæ eſt animæ cibus, & potus; hæc enim in ſpiritualibus ſunt unum & idem juxta illud, Matth. 5. *Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.*

Ergo,

Ergo, inquies, frustra Christus instituit utramque speciem.

Nego conseq. Utraque enim species est essentialis sacrificio; conducitque ad expressiorem repræsentationem, tum Passionis, tum refectionis spiritalis.

CAPUT XVIII.

Quodnam est Eucharistiæ subjectum?

R. Omnis & solus homo baptizatus, & viator, est capax hujus Sacramenti, fructus verò illius, non nisi qui accedit dispositus.

Dixi 1. *Omnis .... baptizatus*; Quia character baptismalis se habet per modum potentiæ passivæ ad recipienda alia Sacramenta.

Dixi 2. *Solus*; Quia non baptizatus, etiamsi sit catechumenus, caret potentia ex institutione Dei necessario prærequisita ad suscipienda alia Sacramenta. Hinc Baptismus dicitur janua omnium Sacramentorum. Reciperet quidem corpus Christi, qui nondum initiatus est, sed materialiter tantum, quemadmodum in pyxide recipitur.

Dixi 3. *Viator*; Quia Sacramenta non nisi pro viatoribus instituta sunt. Unde Eucharistia vocatur Viaticum, id est, viatorum cibus. Hinc Concilium III. Carthaginense cap. 6. damnans quorumdam abusum, sic habet cap. 6. *Placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: dictum est enim à Domino, accipite & edite: cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Idem prohibetur in Concilio Antissiodorensi anno 563. cap. 12. & in Trullano can. 83.

Dixi

Dixi 4. *Sacramenti;* Non vero fructus Sacramenti; quia ex dicendis de dispositionibus ad Eucharistiam, soli justi sunt illius capaces.

Dices: Eucharistia datur per modum cibi spiritualis: atqui peccatores, utpotè peccato mortui, non sunt capaces cibi spiritualis: ergo neque Eucharistiæ.

Dist. min. Non sunt capaces cibi spiritualis cum fructu recipiendi, Conc. Sine fructu recipiendi, Nego min. Itaque peccatum in eo cum morte naturali convenit, quòd sicut mors privat vita animali, sic peccatum gratia sanctificante, quæ est animæ vita supernaturalis; sed in aliis differt; namque mors naturalis nihil vitale, nullam potentiam animalem in cadavere relinquit. At peccatum non tollit fidem, spem, characterem baptismalem, quæ sunt veluti potentiæ supernaturales. Unde peccator sub eo respectu comparandus est cum homine ægrotante, in quo remanet potentia nutritiva, quæ non adeò malè per morbum afficitur, ut alimenta in stomachum vitaliter trajicere nequeat, etsi inde refici non possit. Similiter peccator charactere baptismi insignitus, tanquam potentia supernaturali, capax est recipiendi sacramentaliter corpus Christi, sed non ad salutem, ut dictum est cap. 15.

Instabis; Peccator obstinatus incapax est Sacramenti pœnitentiæ: Ergo & Eucharistiæ.

Nego conseq. Disparitas est, quòd contritio in Pœnitentia non solùm sit dispositio, sed etiam pars essentialis: quod reperire non est in aliis Sacramentis.

Q. 2. *Estne ministranda Eucharistia his omnibus, quos illius capaces esse diximus?*

R. Mi-

R. Minimè, sed observanda est imprimis quæ sit Ecclesiæ disciplina, quæ dispositiones accedentium, quæve circumstantiæ, in quibus accedunt.

Q. 3. *Quænam est Ecclesiæ disciplina circa infantes?*

R. Per duodecim prima sæcula iis ministravit Eucharistiam; sunt enim capaces non solum Sacramenti, ut jam dictum est, sed & fructus ejus, cùm per Baptismum effecti sint justi. Justis tamen de causis contrariam induxit disciplinam, quam Concilium Trident. probavit, retinendamque sanxit sess. 21. cap. 4. & can. 4. sic habet: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.*

Dices contra priorem responsionis partem, ex Apostolo 1. Cor. 11. v. 29. indigne sumit, qui corpus Christi non dijudicat: atqui parvuli non dijudicant: ergo indigne sumunt, ac proinde iis illicitè administravit Ecclesia.

Dist. maj. Indignè sumit adultus, Concedo: Nam de adultis hic loquitur Apostolus, ut legenti patebit: parvulus, Nego maj. Sicut enim in fide & pietate matris Ecclesiæ accipiunt Baptismum, & Confirmationem, sic & Eucharistiam recipere possunt. Quæ objici solent contra præsentem Ecclesiæ disciplinam, commodius solventur ubi de necessitate hujus Sacramenti.

Q. 4. *Cur Ecclesia mutata disciplina tam antiqua, Eucharistiam parvulis denegat?*

R. Cùm parvulorum Communio vix peragi possit, nisi sub speciebus vini, sensim desiit in Occidente cum usu calicis propter easdem ferè ratio-

rationes cap. præcedenti recensitas, nempe propter difficultatem distribuendi speciem vini, & periculum effusionis & irreverentiæ erga Sacramentum. Fuit & alia specialis ratio mutandi antiquam illam disciplinam, scilicet fidelium remissa devotio & tepescens pristinus ardor manducandi cœlestem illum panem, quo factum est, ut eorum filii adhuc impuberes, & nondum usu rationis plene potiti, Eucharistiam tanquam panem communem sumerent, atque deficientibus domesticis pietatis exemplis, in consueta irreverentia reliquum vitæ tempus percurrerent. Cui malo ut occurreret Ecclesia, pueros à sacra mensa removit, donec annos discretionis attigerint, atque à pastoribus edocti & probati fuerint.

Q. 57. *Quid circa amentes observandum?*

R. Vel amentia est perpetua, & à nativitate, vel non. Si primum, neganda est eis Eucharistia; quia pro infantibus sunt habendi. Si secundum, vel habent lucida intersalla, & hæc spectanda sunt, ut illis Eucharistia ministretur: vel non habent, & his concedendam Eucharistiam præscribunt Concilium Nicænum primum cah. 18. & Carthaginense quartum, anno 398. can. 76. & plerique libri rituales, modo tamen laudabilem vitam duxerint, aut saltem pœnitentiæ signa dederint, nullumque sit irreverentiæ periculum, v. g. vomitus, aut expuitionis. Cùm autem experientia constet, hujusmodi infirmos Eucharistiam recens acceptam plerumque expuere, Pastores reverentiæ securitati Sacramenti prospicient, si prius immittant in os infirmi, qui rationis compos non est, formulam non consecratam.

Dices,

Dices, ex Concilio Eliberitano anno 305. can. 1. & seq. deneganda est Communio etiam in morte graviorum criminum reis, licet pœnitentibus & petentibus. Præiverat sanctus Cyprianus Epistola 52. his gravissimis verbis: *Rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est accipere solatium, qui se non cogitavit moriturum.* Idem statuit Concilium Arelatense I. anno 314.

R. Duplex in hac parte fuit Ecclesiæ disciplinæ observatio: prior durior, inquit Innocentius I. Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum: posterior, interveniente misericordia, inclinatior. In Gallia tamen & Hispania etiam nunc Eucharistia reis ad mortem damnatis non conceditur. Quin eisdem apud nos ante annum 1396. sacramentalis absolutio denegabatur. Hunc morem abrogavit Carolus VI. anno 1396.

Q. 6. *Quid de semifatuis, energumenis, hoc est, à dæmone possessis, de surdis & mutis à nativitate?*

R. 1. Non expedit semifatuos frequenter admittere ad participationem corporis Christi, ne Sacramenti dignitas vilescat; sed urgente præcepto, ut in Paschate, & in mortis articulo denegari non debet; possunt enim habere necessariam dispositionem.

R. 2. Primis Ecclesiæ sæculis Eucharistia non concedebatur energumenis, nisi urgeret mortis periculum, ut patet ex Concilio Eliberitano can. 29. & 37. & ex veteri disciplina, quæ eos oblationis tempore à fidelibus separabat, Diacono clamante, *omnes Catechumeni, omnes possessi discedite.* At subsequentibus sæculis fuere participes Eucharistiæ quoties ad eam cum fructu & reverentia per-

percipiendam visi sunt dispositi. Ita sanctus Thomas 3. part quæst. 80. art. ad secundum.

R. 3. Non est deneganda Eucharistia sicut nec absolutio mutis & surdis à nativitate, qui peccata vitare, atque in virtute proficere satagunt, pœnitentiæ quoque ac devotionis signa non levia præseferunt, quæ ut præstent, invigilare debet parentum & Pastoris pia solicitudo; quamvis enim fides non nisi per auditum soleat suscipi, ut monet Apostolus Rom. 10. Attamen S. Augustinus agnoscit libro de dono persev. cap. 19. quibusdam, licet paucissimis, donatum esse: *Ut nullo homine sibi prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant.* Et sanctus Thomas in 3. Sent. dist. 25. quæst. 4. *in his, quæ sunt necessaria ad salutem, nunquam Deus homini quærenti suam salutem deest vel deficit, nisi ex culpa sua. Unde explicatio eorum, quæ sunt necessaria ad salutem, vel divinitus providetur homini per prædicatorem, sicut patet de Cornelio* Act. 10. *& Eunucho Candacis Reginæ,* Act. 8. *vel per revelationem.* Similia docet de hujusmodi surdis Alexander de Ales part. 3. q. 82. memb. 3. art. 4. Quodsi dubitetur de eorum dispositionibus, consulatur Episcopus.

Q. 7. *Estne deneganda Eucharistia peccatori petenti?*

R. 1. Deneganda est, si peccatur sit publicus, nec egerit pœnitentiam. 1. Quia Christus Dominus sic præscripsit Apostolis Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus.* Ad quæ verba respiciens Ecclesia, canit: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.* 2. Quia non licet cooperari peccato alterius. Unde sanctus Chrysostomus hom. 83. in Matth. sic alloquitur ministrantes, *non .... parva vobis im-*

minet ultio, si quenquam ullius culpæ conscium hujus mensæ participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiritur. Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indigne ne accedat probibe. Majorem illo potestatem habes. Hoc vestra securitas est, hoc omnis corona. Publicus autem esse potest vel evidentia juris, ut si peccatum fuerit confessus, aut per sententiam judicis condemnatus; vel evidentia facti, ita ut nulla possit tergiversatione celari, aut excusari, quales sunt histriones, de quibus sanctus Cyprianus Epistola 61. sic respondet: *Consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrione quodam qui .... magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum? Puto nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Quod si peccator ita laboret infamia, ut tergiversatione crimen excuset, nec privatis consiliis obtemperet Pastoris, consulendus est Episcopus.

R. 2. Peccatori occulto, si secreto & absque ullis testibus petat, deneganda est communio propter rationes in præcedenti responsione allatas. Excipiunt communiter Theologi, nisi Sacerdos ex sacramentali confessione peccatum cognoverit, quanquam nonnulli etiam magni nominis hanc exceptionem non admittant. Saltem monendus videretur, qui minus ex malitia, quàm ex simplicitate Eucharistiam sine teste peteret; constat enim experientia rudiores expleta confessione pro more ad sacram mensam pergere, non attendentes, fuerintne absoluti, necne. In quo

caſu, ubi ſupponitur nullum eſſe periculum infamiæ aut ſcandali, Sacerdos poteſt quærere ab hujusmodi homine, num abſolutionis beneficium fuerit conſecutus?

R. 3. Peccatori occulto publicè petenti concedenda eſt Euchariſtia. 1. Quia Dominus ita nos ſuo exemplo edocuit, dum Judæ proditori corpus ſuum non denegavit. 2. Quia ſic in Eccleſia ſemper fuiſſe obſervatum teſtis eſt S. Auguſtinus hom. 50. in qua hæc habet: *A Communione prohibere quenquem non poſſumus, (quanquam hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis,) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo judicio, ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico nominatum, atque convictum. Quis enim utrumque ſibi audeat aſſumere, ut cuique ipſe ſit accuſator & Judex?* 3. Quia ex ejusmodi repulſa injuſtè læderetur proximi fama, ad quam tuendam jus habet, quamdiu crimen ejus eſt occultum, turbaretur pax Eccleſiæ, & gravia ſequerentur ſcandala, inimicitiæ, rixæ, & lites, & Sacerdos infenſo animo, & ſimultatis cauſa agere crederetur; imo nonnunquam re vera contingeret, aliquos hoc prætextu privatas injurias ulciſci.

Dices; Nunquam licet, quod per ſe malum eſt, v. g. mentiri ad vitanda homicidia: atqui Sacramenta miniſtrare indignis, eſt actio per ſe mala, cum ſit ſacrilega: Ergo.

R. 1. Argumentum nimis probat; Nam ex illo æquè concludi poteſt Sacerdotem, qui ex ſola confeſſione Sacramenti novit crimen, non debere Euchariſtiam miniſtrare, cùm in illa hypotheſi æquè cooperaretur ſacrilegio alterius: itaque,

R. 2

R. 2. Concessa majori, distinguo minorem; Sacramenta publicè ministrare peccatori publico, est actio per se mala, Concedo: Peccatori occulto, Nego minor. Cùm enim non sit dissensionis Deus, sed pacis, 1. Cor. 14. vers. 33. secundum legem æternam, qua ut provisor generalis ita concurrit ad hominum flagitia, ut ipsi imputari non possint, sed ab eo tantum permitti dicantur, decrevit ut Sacerdos in proposita hypothesi tanquam minister publicus, (ne pax societatis turbetur,) agat non ex scientia privata, sed ex publica, ministretque peccatori occulto, sic publicè irruenti ad sacram mensam, ut ministerium alteri Sacerdoti peccatum ignoranti sine scandalo demandare non possit; nec dicendus est communicare peccato alterius, sed illud permittere.

Confirmatur: Ille non peccat, dum indigno tradit corpus Domini, qui sequitur exemplum & voluntatem Domini: atqui talis est Sacerdos, de quo hic sermo: Dominus enim Judæ peccatori occulto porrexit proprium corpus, ut docent sancti Patres, paucis exceptis, ut sancto Hilario: Ergo.

CAPUT XIX.

Quinam sunt Sacramenti Eucharistiæ effectus?

Novatores ex falso suo principio, quo docent peccatorum justificari sola fide, seu fiducia in promissionibus divinis, ad quam excitandam Sacramenta unicè esse instituta existimant; colligunt solam fidem esse præparatio-

nem sufficientem homini gravium peccatorum conscio, ut Sacramentum Eucharistiæ dignè percipiat, sicque interpretantur hæc Apostoli verba: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, 1. Cor. 11. quasi accedentes ibi moneantur solum seipsos tentare, num certo & absque ulla diffidentia credant, se per Corpus Christi consecuturos remissionem peccatorum; ait enim ipse in Evangelio, *non veni vocare justos, sed peccatores*, Matth. 9. item, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Porrò, inquiunt, non datur vita jam viventibus, sed mortuis. Unde Calvinus libro 4. Institut. cap. 17. §. 24. scribit has epulas non prodesse justis. Et Lutherus libro de præparat. ad Eucharistiam, sic habet, *optima dispositio, qua pessimè es dispositus.* Et in tract. de Communione populi, vult non admittendos ad Communionem, nisi qui habent conscientiam peccati mortalis, propterea que eorum discipuli Catholicos, qui à sacra mensa removent peccatores, traducunt quasi essent Pharisæorum sectatores, qui indigne ferebant, quòd Dominus manducaret cum Publicanis & peccatoribus, sineretque se tangi a muliere peccatrice, Luc. 7. Matth. 9.

Contra errorem tam impium, extant duo Canones, quintus & undecimus Concilii Tridentini sess. 13. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea alios effectus non provenire; anathema sit.* Item: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit.* Itaque.

R. De

R. De fide eſt nec unicum, nec primarium Euchariſtiæ effectum eſſe remiſſionem peccatotum.

Probatur 1. ex Scriptura, Joan. 13. Chriſtus Dominus lavit Diſcipulorum pedes, antequam ad Convivium Euchariſticum illos admitteret; quo exemplo edocuit plenam animæ purgationem, & munditiem ad illud prærequiri. Matth. 22. ſeveriſſime punitur, qui ſine veſte nuptiali ad regium convivium intrare præſumpſit. Convivio autem illo adumbratur Euchariſtia, ad quam nemo ſine charitate habituali accedere debet, ut interpretantur communiter SS. Patres. Denique habetur 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Quibus verbis Apoſtolum exigere à communicantibus immunitatem ab omni labe peccati ſaltem mortalis concors eſt SS. Patrum ſententia, ut ex dicendis patebit. Peccatores quidem, imo & infideles Chriſtus vocavit ad pœnitentiam, ad fidem, & ad Baptiſmum, non verò ad Euchariſtiam; aliàs danda eſſet paganis, & cæteris peccatoribus nondum baptizatis, quod non concedent Adverſarii. Euchariſtia eſt ſpiritualis animæ cibus: cibus autem non ordinatur ad mortuos, ſed ad viventes, & quamvis ſupponat vitam, eam tamen conferre dicitur, quia vegetat, roborat, & conſervat viventem.

Probatur 2. ex Traditione, in qua nihil clarius, nihil inculcatius, quàm non niſi munda & purgata conſcientia ad tremendum altaris myſterium accedendum. Prioribus Eccleſiæ ſæculis pœnitentes cum Catechumenis à conſpectu Euchariſtiæ arcebantur. Quotquot hactenus celebrata ſunt Concilia, peccatores à Communio-

ne rejiciunt, nisi prius peracta saltem ex parte pœnitentia, ut Eliberitanum can. 78. & 79. Ancyranum can. 4. 5. & 7. Nicœnum I. can. 11. Arausicanum I. can. 3. Ex innumeris SS. Patrum testimoniis hæc pauca seligimus. Sanctus Justinus Apol. 2. *Nulli alii participare licitum est, quàm ei, qui ita vivit, ut Christus tradidit.* S. Cyprianus Epistol. 9. *nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu ab Episcopo & Clero eis* (peccatoribus) *imposita, cum scriptum sit: Qui ediderit panem, vel biberit indignè*, &c. S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. *nullus itaque Judas assistat, nullus avarus; nam tales mensa non suscipit; ait enim, cum Discipulis meis facio Pascha.* S. Ambrosius lib. 6. in cap. 9. Lucæ, *ubique mysterii ordo, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet.* Sanctus Augustinus Tract. 26. in Joann. num. 11. *innocentiam ad Altare apportate Peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad Altare accedatis, attendite*, &c. S. Gregorius libro 2. in 1. Reg. cap. 1. *qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sint peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ salubritatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Ex quibus colligas, qua fronte, quave impudentia Novatores Scripturam ad suum errorem detorquere ausi fuerint.

Dices: Ecclesia in Liturgia sic precatur: *Hæc nos Communio purget à crimine, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium.* Sanctus Cyprianus Epist. 65. scribit hoc Sacramento fieri, *ut mæ-*

stum

stum pectus & triste, quod prius peccatis ingentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur. Sanctus Chrysostomus quoque homil. 4. in Matth. *Hoc Sacramento omnis morbus extinguitur.* Similia habent sanctus Ambrosius serm. 18. in Psalm. 118. *accedite ad eum, & absolvimini, quia remissio peccatorum est*: & sanctus Joannes Damascenus libro 4. de fide cap. 14. Et quidem juxta Dei promissionem: *Hic est enim sanguis meus* .... ait, Matth. 26. *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo remissio peccatorum est proprius Eucharistiæ effectus.

Distinguo conseq. Remissio peccatorum est proprius Eucharistiæ effectus, ut sacrificium est, Conc. Ut Sacramentum, Subdistinguo: Peccatorum venialium, ut infra dicetur, Concedo: Mortalium, Nego conseq. Iidem enim Patres, qui objiciuntur, disertis verbis pœnitentiam exigunt à peccatoribus, priusquam Eucharistiæ fiant participes. Neque verò Christus dixit Calicem bibi in remissionem peccatorum, sed ex ipso hauriri ipsummet Sanguinem, qui fundendus erat per Passionem in remissionem peccatorum, usus enim est verbo futuri temporis, *qui pro multis effundetur.*

Q. 2. *Nunquid saltem indirecte & secundario Eucharistia remittit peccata mortalia in eo, qui bona fide accedit invincibiliter ignorans se esse reum peccati mortalis, de quo saltem in genere imperfecte contritus est?*

R. Certum est Eucharistiam in allata hypothesi, remota saltem & ex opere operantis, peccatum mortale posse remittere, quatenus scilicet communicans ad præsentiam corporis Domini, perfectum contritionis aut charitatis motum concipit.

Difficultas est utrum per se, immediate, & ex opere operato, in hac hypothesi peccatum mortale remittat. Affirmant S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 12. Durandus, Paludanus in 4. distinct. 9. Soto dist. 12. q. 1. art. 4. Sylvius in 3. p. S. Thomæ, quæst. 79. art. 3. & alii, qui in suam sententiam Doctorem Angelicum trahere conatur: sic enim habet cit. art. 3. *Fortè primò non fuit sufficienter contritus* (communicans) *sed devotè, ac reverenter accedens consequitur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati.* Dubium autem est, an ex opere operato consequatur, an vero ex opere operantis? Primum contendunt, qui stant pro affirmante sententia; secundum vero, qui pro opposita.

Negant, & ut nobis videtur probabilius, Eucharistiam hunc producere effectum immediatè, & ex opere operato, S. Bonaventura, Gabriel, Major in 4. distinct. 9. Vasquesius in 3. part. quæst. 79. disp. 205. cap. 4. & alii quamplurimi. Ratio est, quia Sacramenta non efficiunt id, quod non significant: atqui Eucharistia non significat remissionem peccati mortalis, datur namque sub ratione cibi & potus, qui sanè non significant resurrectionem à morte peccati, sed solùm nutritionem, quæ supponit hominem vivum. Deinde opposita sententia nullum habet fundamentum in Scriptura, neque in Traditione, ex quibus tamen Theologus suas conclusiones deducere debet: ergo non est admittenda illa exceptio.

Dices: Durum est hominem damnandum, qui bona fide particeps sit corporis Domini.

Distinguo: Damnandum propter illam Communionem, Concedo: Quia, ut supponitur, in ea non

non peccat, damnandum propter peccatum mortale, cujus reus eſt, nec curavit eluere per Sacramentum Pœnitentiæ, aut Extramæ-Unctionis ſaltem in voto, Nego. Hanc enim pœnam exigit divina juſtitia.

Q. 3. *Qui ſunt ergo veri effectus Sacramenti Euchariſtiæ?*

R. Cùm Dominus expreſsè dixerit: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*, Joan. 6. dubium non eſt quin idem in anima efficiat Euchariſtia, quod cibus materialis in corpore; Sacramenta enim id præſtant, quod ſignificant: atqui cibus materialis quatuor habet effectus in corpore. 1. Auget ejus vires, eique incrementum tribuit, quamdiu virilem & perfectam ætatem non attigit. 2. Vires per laborem & calorem naturalem deperditas reparat. 3. Vitam conſervat. 4. Delectat, & cum voluptate à rectè valentibus percipitur. Ergo Euchariſtiæ Sacramentum totidem effectus ſignificat, operaturque in anima communicantis, modò non ponat obicem: *Hujus Sacramenti effectus*, inquit Eugenius IV. in ſuo Decreto, *quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum: & quia per gratiam Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quòd per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando; Sacramentum hoc, quoad vitam operetur ſpiritualem.*

Primus itaque Euchariſtiæ effectus, eſt gratia ſanctificans, non quidem prima, qua deletur peccatum mortale, cùm ſit Sacramentum vivorum,

non mortuorum, ut jam dictum eſt; ſed ſecunda, ſeu augmentum gratiæ ſanctificantis, qua homo fit ſanctior, Deo gratior, Deo conjunctior, & arctiori vinculo ei unitus, atque ideò fortior & vegetior, tum ad comprimendos inordinatos concupiſcentiæ motus, qui ſpiritualem animæ vitam corrumpere poſſent: tum ad implenda legis præcepta, & cætera, quæ Deo placent; ait enim Joan. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et verſ. 58. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

Dices: Gratia ſanctificans in omnibus Sacramentis eſt ejusdem ſpeciei. Ergo in quolibet Sacramento habet eosdem effectus.

Diſtinguo anteced. Gratia ſanctificans phyſicè ſumpta, eſt ejusdem ſpeciei & naturæ in omnibus Sacramentis, Conc. Et hoc ſenſu eſt communis omnium Sacramentorum effectus: moraliter ſpectata, & ut eſt res Sacramenti, hoc eſt, ſignificata per ſignum exterius, quod dicitur Sacramentum tantùm, Nego anteced. Gratia enim ſub eo reſpectu eſt propria cujuslibet Sacramenti, diciturque gratia Sacramentalis; quia ut ſic eſt ordinata ad proprium Sacramenti finem, eſtque titulus ſeu arrha, & ſi dicere liceat, jus quoddam ad accipienda auxilia ſpecialia, ut operetur quod per Sacramentum ſignificatur; namque ſine hujusmodi auxiliis & gratiis actualibus, gratia ſanctificans iners remanet. Igitur per Confirmationem, & per Extremam Unctionem augetur gratia ſanctificans, ſicut per Euchariſtiam: & augmentum illud phyſicè ſpectatum, eſt in his tribus

Sacra-

Sacramentis ejuſdem rationis & ſpeciei : ſed quia ſub diverſis ſignis confertur, ad diverſos quoque effectus à Deo ordinatur : in Confirmatione datur ut roborativa contra exteriores fidei & pietatis hoſtes, cujus rei ſignum eſt ſive impoſitio manus, qua adumbratur ſpecialis Dei protectio, ſive unctio, quæ eſt ad roborandum athletam. In Extrema-Unctione, in qua unctio adhibetur ad leniendum dolorem, & perficiendam ſanitatem, ut forma verborum indicat, gratia tribuitur ut lenitiva, & ſanitatis ſpiritualis perfectiva ; ideòque pro diverſitate ſigni exterioris, diverſa auxilia actualia gratiæ ſanctificanti reſpondent.

Cùm ergo in Euchariſtia conferatur gratia ſub ſpeciebus cibi & potus, debet eſſe nutritiva. Porrò in nutritione materiali 1. Fit nova accretio ſubſtantiæ corporis. 2. Ex cibo & potu generantur ſpiritus vitales & animales, in quibus robur animalis conſiſtit, adeò ut, ſi minuantur, ut contingit in ſenibus, debilitentur vires : ſi verò exuberent ex luculentiore cibo, naturalis corporis habitudo evadat robuſtior. Sic anima ſaginata corpore Chriſti, in quo habitat plenitudo Spiritus & divinitatis, ſanctior evadit per augmentum gratiæ ſanctificantis, charitatis & aliarum virtutum. Deinde novo fervore concepto per gratias actuales, ideſt, per inſpirationes & illuſtrationes mentis exquiſitiores, & motiones voluntatis fortiores inardeſcit ad divina, ſpernit terrena, & ei ſordeſcit quidquid oblectamenti ex ſenſibus ſolebat percipere. Namque, ut hic ratiocinatur S. Thomas exemplo appoſito, ſi cera exponatur ad ignem, incaleſcit, & molleſcit ; ſi verò propiùs admoveatur, ampliùs ardet, & omninò liqueſcit ;

quescit; si verò in ignem conjiciatur, protinùs inflammatur, & ignis evadit: atqui per hoc Samentum anima Deo, qui ignis consumens est, Deuteron. 4. intimè conjungitur: necesse est ergo, ut (nisi obicem ponat) tota amore Dei flagret.

Confirmatur hoc S. Thomæ ratiocinium traditione, & auctoritate SS. Patrum.

S. Cyprianus epist. 65. ait: *Calix Dominicus sic bibentes inebriat ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut à sopore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat: & quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis; ita & potato sanguine Domini, expoliatur memoria veteris hominis, & fit oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mæstum pectus ac triste, quod priùs peccatis ingentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur.* Hoc salutari poculo beatus Martyr censuit, sæviente persecutione, inflammandos pœnitentes, etiamsi præscripta pœnitentiæ tempora non decurrissent; *Quia*, inquit, epist. 54. *Non est idoneus ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit & accendit.*

Similia docet auctor Serm. in Cœna Domini inter opera S. Cypriani: *Quàm præclarus est calix iste*, inquit! *quàm Religiosa hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, non habentes sensum hujus mundi.... à sapientibus hujus sæculi judicamur amentes .... vident hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc uno contenti ferculo, omnes hujus mundi delicias aspernantur; & possidere supellectilem dedignantur.* Suprà dixerat, *celebrantes Sacramenta commonemur, quasi ungulam findens & ruminans pecus, revocare ad fauces, & minutatim com-*

commolere divinæ institutionis exemplum, ut semper passio sit in memoria, nec terreant Crucifixi heredes mortis supplicia, sed pascant & reficiant maturatæ resurrectionis lætabunda solemnia. Euchariſtia quippe dicitur à S. Ignatio Epiſtol. ad Smyrnæos, *pharmacum immortalitatis, antydotum ne moriamur, sed vivamus perpetuo per Jesum Christum.*

S. Chryſoſtomus hom. 46. in Joan. *Tanquam leones igitur ignem spirantes; ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.*

S. Bernardus Serm. de Cœna Domini: *Duo,* inquit, *operatur in nobis Sacramentum Dominici corporis, ut scilicet minuat sensum in minimis, & in gravioribus peccatis consensum omninò tollat .... Si quis vestrùm non tam sæpe modò; non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ .... gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramentalis in eo operatur.*

Dices; Hi & ſimiles textus innuunt ſolùm quid operari debeat fides ſuſcipientis, non verò quid per ſe efficiat Sacramentum: Ergo. Probatur anteced. Quia Sacerdotes, paucis exceptis, licèt à pluribus annis quotidiè celebrent, non evadunt ſanctiores iis, qui rarò ſacræ menſæ fiunt participes. Ergo nullum ex Euchariſtia fructum percipiunt.

Nego anteced. Verba præſertim S. Bernardi non patiuntur hanc explicationem.

Reſpondeo ad confirmationem, 1. Multis non immeritò illud diceretur, *nomen habes, quod vivas; & mortuus es,* Apoc. 3. quia licèt gravioris peccati conſcii exterius non appareant, intus tamen cupiditas latens dominatur; minuta enim peccata, ſi negligantur, occidunt, non quidem formaliter,

maliter, quia quantumcunque multiplicentur, non evadunt mortalia, sed dispositivè, quatenus augendo cupiditatem, ad hoc disponunt animam, ut se ipsam & propria commoda plus amet, quàm Deum: *Hoc facit sentina neglecta*, inquit S. Augustinus tract. 12. in Joan. *quod facit fluctus irruens. Paulatim* (aqua) *per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo, mergit navem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, ut non obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo?*

Respondeo 2. supposita gratia sanctificante, seu charitate habituali in hujusmodi communicantibus, quia tamen accedunt sine devotione actuali, ideoque irreverenter, propter peccata venialia, quæ fervorem charitatis impediunt, mentemque distrahunt; plures Theologi magni nominis, ut S. Bonaventura in 4. dist. qu. 12. art. 2. qu. 1. S. Thomas eadem dist. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. Alensis qu. 41. membro 3. art. 2. sanctus Antonius 3. part. tit. 13. cap. 6. Durandus qu. 4. ad 2. Cajetanus in 4. part. S. Thomæ qu. 79. & non pauci ex recentioribus docent Eucharistiam sic perceptam omni fructu carere, tum quia indignè, nec sine peccato saltem veniali percipitur. Absurdum autem videtur hominem eodem actu sanctificari, quo peccat. Tum quia nullum est vestigium in illis hominibus crescentis sanctitatis, charitas enim, si magna sit, magna operatur; & si operari renuit, charitas non est, ait S. Gregorius: tum denique repugnat homines tam tepidos, & tam carnaliter viventes, fore in Cœlo beatiores; beatitudo enim percipitur secundùm gradum sanctitatis & charitatis.

Quòd

Quodsi contra hanc sententiam objicias, ex ea sequi hujusmodi communicantes peccare mortaliter, quia ex omnium consensu, qui fictè, hoc est sine prærequisitis dispositionibus accedit ad aliquod Sacramentum, v. g. Baptismi, reus fit gravioris peccati; verum est: secus si ex solo veniali procedat; nam, inquiunt, qui in Sacramento Pœnitentiæ non nisi peccata venialia declarat sine sufficienti attritione, venialiter tantùm peccat, etiamsi nullum consequatur Sacramenti effectum.

Verùm major pars Theologorum hanc distinctionem non admittit, contenditque reatum peccati mortalis incurrere; quicunque obicem ponit, sive ex mortali, sive ex veniali culpa totali Sacramentorum effectui. Sed durior ipsis videtur, nec satis fundata sententia affirmans irreverentiam venialem esse obicem gratiæ habituali per Eucharistiam producendæ, cùm certum sit eam formaliter non opponi peccatis venialibus. Nec absurdum putant illi Theologi, quòd quis venialiter peccando proficiat in gratia sanctificante; quia profectus ille est ex virtute Sacramenti, quod agit ad modum causarum naturalium, quæ necessariò operantur, ubi non inveniunt obicem. Ratio verò, cur nullum ex Sacramento Pœnitentiæ consequatur effectum, qui cum solis venialibus, sed sine debito dolore accedit, repetenda est ex defectu materiæ essentialis Sacramenti, dolor enim est veluti pars materialis pœnitentiæ, sine qua Sacramentum est omnino irritum, ac proinde sine ullo effectu. Porrò non est levis culpa in eo, qui sciens & volens, sacramenti partem essentialem subtrahit, v. g. qui aquam pro vino subministrat ad Sacrificium.

Cen.

Cenſent itaque illi Theologi irreverentiam venialem ob minuta peccata non retractata, privare communicantem nonnullis quidem Euchariſtiæ fructibus, puta remiſſione peccatorum venialium, & fervore charitatis, ſed non omnibus, præſertim augmento gratiæ habitualis. Hanc ſententiam tandem amplexus eſt S. Thomas 3. part. quæſt.79. art. 8. ubi revocavit quæ Junior ſcripſerat in 4. Sent. *Peccata venialia*, inquit, *non ex toto impediunt bujus Sacramenti effectum, ſed in parte . . . non tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.* Quare juxta hujus ſententiæ principia

Reſpondeo 3. Etſi affectus ad peccatum veniale non ſit obex gratiæ habituali, tamen contrarius eſt fervori charitatis, & ſpirituali nutritioni, quæ ex dictis conſiſtit in auxiliis & gratiis actualibus. Enimverò gratia actualis, ut ſæpe monuimus, eſt illuſtratio mentis, cogitatio divinitus immiſſa, qua mens elevatur ad divina, & obliviſcitur terrena, cui reſpondent pia affectio; & motio, qua voluntas accenditur, & fertur ad cœleſtia, ſpretis mundi & carnis oblectationibus: peccatum verò veniale eſt converſio ad creaturam, hoc eſt, cogitatio, & amor rerum temporalium: quàm autem hæc duo ſint oppoſita, patet ex ipſa terminorum apprehenſione. Porrò gratia, ſeu charitas habitualis ſine gratiis actualibus, eſt omnino otioſa & iners, & qui poſterioribus obicem ponit, priorem in injuſtitia detinet, non habet unde illam conſervet, quin multiplicando peccata venialia, illam facile amittit. Venialia quippe ſunt veluti ægritudines animi, & diſpoſitiones ad peccatum lethale, quemadmodum morbus corporalis ad mortem, niſi curetur. Unde timendum non

non est, ne illi carnales ex frequenti Eucharistiæ perceptione, in æterna beatitudine potiores partes obtineant; Deus enim non irridetur, ait Apostolus Gal. 6. sed justus est & vindex illicitarum cupiditatum: *Qui quotidie non exhaurit, quod delinquit*, ait S. Gregorius, lib. 2. in 1. Reg. cap. 1. *etsi minima sint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. De repletis subdit, qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Ex quibus liquet eundem posse aliquandiu esse habitu sanctiorem, & actu elatum, superbum, ac cupidum.

Instabis: Gratiæ habituali respondent gratiæ actuales: Ergo.

Distinguo anteced. Si subjectum non ponat obicem, nec his auxiliis indignum se præbeat, Conc. Si obicem ponat, & indignum se præbeat, Subdistinguo: Gratiæ sufficientes & remotæ, quibus possit affectum inordinatum deponere, Conc. Gratiæ efficaces, & proximæ, quibus actu & de facto perseveret in gratia habituali, manente illo tempore & affectu inordinato, Nego ant.

Secundus Eucharistiæ effectus est remissio peccatorum venialium. Ita Concilium Trid. sess. 13. cap. 2. ubi sic habet: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc . . . . tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis.*

Probatur 1. ex Traditione. S. Chrysostomus homil. 45. in Joannem: *Hic sanguis*, inquit, *nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hic incenditur; mundat squallorem & sordem.* S. Augustinus epistola 118. cap. 3. vocat Euchari-

ſtiam quotidianam medicinam, quia quotidianis morbis ſanandis deſtinata eſt: *Si peccata*, inquit, *tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici Corporis ſeparare.* Sanctus Ambroſius, ſive auctor operis de Sacramentis lib. 5. cap. 4. de Euchar. ſic ſcribit: *Iſte panis quotidie ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Et lib. 4. cap. 6. *Si quotieſcumque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere, qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Denique S. Joannes Damaſc. lib. 4. orthodoxæ fidei c. 14. *Ignis ejus, quod in nobis eſt*, inquit, *deſiderii, aſſumens eam, quæ ex carbone, id eſt, ex hoc Sacramento, ignitionem, comburet noſtra peccata, & illuminabit corda noſtra, ut participatione divini ignis, igniamur, & deificemur.*

Probatur 2. ratione Theologica. Sacramenta novæ legis operantur quod ſignificant: atqui Euchariſtia ſignificat refectionem ſpiritualem, cùm detur per modum cibi: in refectione autem corporali reparantur vires deperditæ per laborem & calorem naturalem: ergo & in refectione ſpirituali reſarciuntur detrimenta, quæ ex concupiſcentiæ inordinato calore patitur charitatis fervor, in quo conſiſtit robur animæ. Illa autem detrimenta ſpiritualia ſunt peccata venialia, quæ quidem habitum charitatis non minuunt, ſed ejus actum impediunt & fervorem.

Dices: vel Euchariſtia remittit omnia peccata venialia, vel aliqua tantùm, vel nulla: atqui non remittit omnia, aliàs ſuſcipiens Euchariſtiam, poſſet eſſe ſine peccato, contra illud 1. Joan. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Non etiam aliqua, cur enim potiùs

tiùs unum remitteret, quàm aliud? Ergo nulla remittit.

Concessa maj. Nego min. Namque si quis accedat verè contritus, saltem imperfectè de omnibus & singulis peccatis venialibus, omnia delet Eucharistia: si de aliquibus, illa sola remittit: si de nullis, nulla etiam expungit. Tum quia nullum peccatum est remissibile, quandiu ad illud manet affectus, tum quia gratia seu charitas habitualis secundùm se præcisè non expellit peccata venialia, ut jam diximus, utpote quæ cum ea non habeant veram oppositionem, unde potest crescere & augeri per Sacramentum, multiplicatis peccatis venialibus. Delet itaque illa, quatenus infunditur prævio dolore & sincero proposito strenuè, & viriliter contra illa pugnandi.

Ad confirmationem respondet S. Thomas q.79. art. 4. ad 2. mentem Apostoli non esse quòd homo brevi tempore non possit stare sine aliquo veniali peccato; sed docere solùm vitam etiam sanctissimam non esse immunem ab omni labe peccati saltem venialis.

Tertius Eucharistiæ effectus est perseverantia in bono. Est tanquam antidotum, inquit Concilium Trident. sess. 13. cap. 2. *quo & à peccatis mortalibus præservemur.*

Probatur tum ex Scriptura Joan. c. 6. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Item, *qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Tum ex Sanctis Patribus supra laudatis pag. 604. & 605. *in gravioribus consensum omnino tollit*, ait ibidem Sanctus Bernardus: tum ratione Theologica, cibus assumitur ad conservandam vitam animalem: Ergo cùm detur Eucharistia per modum cibi spiritualis, vitam supernaturalem, quæ

in gratia habituali conſiſtit, ſimiliter conſervat, mediantibus ſcilicet gratiis actualibus, ſeu ſacramentalibus, quæ fervorem charitatis excitant, mentem à terrenis retrahunt, & ad pietatis officia applicant. Hunc itaque fructum non ſperent poſt communionem deſides & nugis diſtracti.

Quartus Euchariſtiæ effectus, eſt delectatio ſpiritualis juxta illud, pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus. *In hoc Sacramento*, inquit Clemens V. in Concilio Viennenſi, *habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur.* Ita ut dicère liceat accedentibus: *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*, Pſalm. 33. ut conſtat ex textibus ſupra allatis pag. 604. & 605. Hanc tamen ſuavitatem non percipiunt nauſeantes, & ſenſuum delectione præoccupati. Hinc Sanctus Bernardus ſerm. 5. de Aſcenſ. Domini: *Unde ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cùm aliis copia tanta exuberet .... præoccupatum nempe ſæcularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat: nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, ut pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.*

Cæterum monendi ſunt fideles, hanc dulcedinem plerumque ſenſibus non percipi, quin nonnumquam, tam occultè infundi, ut etiam viri Sancti eam ſibi deeſſe exiſtiment, Deo ita diſponente ad exercitium virtutis, præſertim humilitatis, pœnitentiæ, & patientiæ. Verùm ex effectibus debet colligi. Nam ſancti Auguſtini effatum eſt, *quod ..... magis delectat, ſecundùm illud operemur neceſſe eſt.* Ac proinde qui poſt communionem humilius de ſe ſentiunt, orant frequentius, pœnitentiæ, & aliarum virtutum operibus alacriùs incumbunt,

cumbunt, interiori suavitate delinitos esse oportet; quia anima operatur secundùm quod magis delectatur. Ex eodem verò principio sequitur eos, qui percepto Christi corpore, ea, quæ sunt carnis & mundi sectari non desinunt, spirituali illo sapore privari, licèt forte in ipsa Sacramenti perceptione sensus illorum suaviter afficiantur, ut contingit in mulierculis.

Q. 3. *Eucharistia remittitne temporalem pœnam peccatis debitam?*

R. Ut Sacramentum est, non remittit directe, & ex opere operato; remittit tamen indirectè, & ex opere operantis.

Prima pars probatur; quia Sacramenta in tantum operantur, in quantum significant; atqui Eucharistia, ut Sacramentum est, non significat illum effectum; nam datur per modum cibi spiritualis, qui non datur ad satisfactionem Deo exhibendam.

Dixi, *ut Sacramentum;* nam ut Sacrificium est, offertur in remissionem peccatorum, ut infra dicetur.

Secunda pars probatur 1. quia ex dictis Eucharistia per se remittit peccata venialia: atqui tum tollitur culpa, minuitur pœna peccato debita. Ergo Eucharistiæ Sacramentum indirectè remittit pœnam temporalem. 2. Vi Eucharistiæ producitur fervor charitatis, & incenditur homo ad bona opera, quæ satisfactoria sunt: ergo ex opere operantis valet Eucharistiæ Sacramentum ad remissionem pœnæ temporalis. Ita ferè S. Thomas hic art. 5.

Q. 4. *Eucharistiæ Sacramentum prodestne aliis quàm sumentibus?*

R. Ex opere operato non prodest; quia cibus per se non prodest nisi sumenti: ex opere verò ope-

rantis prodeſſe poteſt aliis; quia bona opera, ut eleemoſynæ, ſunt aliis meritoria de congruo, quando in illorum utilitatem Deo offeruntur. Atqui ſumere Euchariſtiam cum debita devotione eſt opus bonum : ergo utile eſt aliis Euchariſtiam piè ſumere in illorum gratiam ac proinde jure merito ſacra Cardinalium Congregatio eorum ſententiam damnavit ſub Alexandro VIII. qui morem communicandi pro defunctis carpebant.

Q. 5. *Euchariſtia, ut Sacramentum eſt, habetne aliquam efficaciam circa corpus ſumentis?*

R. 1. Certum eſt quòd directè tribuat aliquam ſanctitatem moralem corpori, in quo dignè recipitur. Quia ſi vaſa inanimata ex contactu corporis Chriſti ſacra & veneranda evadunt, à fortiori juſtorum corpora, quæ non ſolùm materialiter, ſed & ſacramentaliter illud recipiunt, *animam & corpus ſanctificat*, inquit S. Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 4.

R. 2. Quamvis cibus Euchariſticus non niſi animam nutriat, tamen indirectè ſaltem operatur in corpus. Ita Sanctus Thomas quæſt. 79. art. 1. ad tertium ubi ſic habet, *licèt corpus non ſit immediatum ſubjectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus*, quatenus nempe ex augmento & fervore charitatis concupiſcentia minuitur. Poteſt etiam dici Euchariſtiam aliquando directè operari circa corpus, in quantum ejus intuitu Deus ſpeciali providentia invigilat, ne recurrant phantaſmata, quibus ſolent acriores tentationes inſurgere.

Probatur autem noſtra reſponſio ex Traditione.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 4 in Matth. ſic loquitur: *Quonam modo ab hac tam noxia peſte* (ira) *liberabi-*

berabimur? si illam utique potionem sumamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesque mortificat.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. & 4. in Joan. *sedat, cùm in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem.*

S. Joannes Damascenus lib. 4. orthod. fidei c. 14. *cedit in anima corporisque præsidium.* Et infrà, *corpus & sanguis Christi est ad animæ & corporis nostri incolumitatem tendens.*

Catechismus Romanus docet, hoc Sacramentum sensum libidinis cohibere, juxta illud Zachariæ 9. *quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? quod S. Hieronymus exponit de Sacramento Eucharistiæ.*

3. Eucharistiæ Sacramentum est causa immortalitatis & gloriæ corporis. *In futuro*, inquit S. Thomas art. 1. ad tertium, *corpus nostrum sortietur incorruptionem & gloriam animæ, scilicet beneficio hujus Sacramenti.*

Probatur 1. ex Scriptura Joan. 6. *patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt ..... qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hoc mysterium adumbrabat lignum vitæ sic dictum, quia vim habebat conservandi vitam animalem hominis innocentis, & reddendi corpus ejus immortale. Hinc Adamus inobediens factus, & in pœnam peccati morti addictus, è paradiso emittitur, *ne fortè*, inquit Scriptura Gen. 3. v. 22. ..... *sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Similiter Deus instituit Eucharistiam, ut immortalitas per peccatum deperdita reparetur. Atque ob eam causam meritò nominatur panis vitæ, à quo publici peccatores arcentur gladio excommunicationis.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Ignatius Epiſt. ad Epheſios vocat Euchariſtiam *pharmacum immortalitatis.*

S. Iræneus lib. 4. *corpora noſtra*, ait, *percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.*

S. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, ſcribit animas eorum, qui hoc Sacramentum in fine vitæ ſuſcipiunt, ab Angelis propter aſſumptum illud Sacramentum, hinc recta via in cœlum educi: eorum verò corpora ab iisdem Angelis ſatellitum more cuſtodiri in vitam æternam.

S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. *eos à quibus ſumitur* (Euchariſtia) *immortales, & incorruptibiles facit.*

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 20. in Joan. *non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatem & vitam perpetuam traduci, niſi naturalis vitæ corpus illi conjungeretur.*

Difficultas eſt, quomodo Euchariſtia hunc præſtet effectum.

Nonnulli exiſtimarunt Euchariſtiam directè id efficere infundendo corpori quasdam qualitates, veluti diſpoſitiones ac dotes glorioſas reſurrectionem ſubſecuturas. Verùm hæc ſententia omni fundamento caret, tum in Scriptura, tum in Traditione, nec ſatis intelligitur, quomodo qualitates illæ maneant incorruptæ in corpore corrupto, & in cineres redacto.

Euchariſtia ergo indirectè tantùm hunc producit effectum, quatenus inſtituta eſt ut medium adultis neceſſarium ſaltem ſecundùm quid, ad perſeverandum uſque in finem, quod præfiguravit cibus Eliæ ab Angelo ſubminiſtratus, in cujus fortitudine ambu-

ambulavit usque ad montem Dei, ut habetur 3. Regum cap. 19. Qui enim perſeveraverit, certò & infallibiliter gloriam conſequetur, Matth. 24. v. 13.

Q. 6. *Quo tempore Euchariſtia producit recenſitos effectus?*

R. 1. Gratiam habitualem producit in ipſa manducatione; Sacramenta enim operantur in ipſa applicatione, ſive in uſu ſigni exterioris, v. g. Baptiſmus in ablutione, Confirmatio in manuum impoſitione: Ergo & Euchariſtia in manducatione, quæ eſt uſus ciborum. Manducatio autem eſt trajectio cibi in ſtomachum, non vero ipſa nutritio, quæ propriè eſt manducationis effectus, neque cibi comminutio, quæ fit dentibus; qui enim comminutum cibum exſpueret, non cenſeretur manducaſſe.

Hinc ſequitur 1. eum, qui ſacras ſpecies in ore detineret, aut exſpueret, nullum ex Sacramento fructum percepturum. 2. vanam eſſe obſervationem, quam inquiſitores fidei damnarunt in Hiſpania, ſi grandiores formulæ ſumantur, vel major vini copia infundatur in calicem ut ſpeciebus diutiùs in ſtomacho permanentibus uberior gratia producatur.

CAPUT XX.

Quæ diſpoſitiones in adultis requiruntur ad Euchariſtiam dignè recipiendam.

R. Aliæ ſpectant animam, aliæ corpus.

Q. 2. *Quæ diſpoſitiones requiruntur ex parte animæ?*

R. 1. Accedens ad ſacram menſam debet ſibi proponere, & ſincero animo intendere finem hujus Sacramenti; namque in celebratione cujuslibet Sacramenti intercedit quoddam pactum inter Deum & initiandum; Deus ex ſua parte offert gratiam & auxilia, quibus finis ad quem ordinatum eſt Sacramentum, attingi poſſit, initiandus verò promittit ſe daturum operam mediantibus illis auxiliis, ut propoſitum finem aſſequatur, aliàs Sacramentum fictè acciperet: ver. gr. in Confirmatione ſignatur ad militiam Chriſtianam, Deus promittit arma ſpiritualia & neceſſaria; ergo in conſignando requiritur propoſitum laborandi, ut decet bonum militem Chriſti, 2. Timoth. cap. 2. Porrò Euchariſtiam eo fine Chriſtus inſtituit, ut vivamus propter ipſum, *ſicut miſit me vivens Pater*, inquit Joan. 6. *& ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Quæ verba ſic interpretatur Sanctus Auguſtinus tractat. 26. in Joan. num. 19. *ut ego vivam propter Patrem, id eſt, ad illum tanquam majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit. Ut autem quisque vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me.*

2. Quemadmodum tria requiruntur, ut quis cibo corporali refici poſſit, 1. debet eſſe vivens. 2. ſanitate gaudere, alimenta enim noxia ſunt febre laborantibus. 3. quieſcere, quia labor diſtrahit ſpiritus vitales ad nutritionem neceſſarios. Similiter ad dignam Euchariſtiæ perceptionem, quæ ſub ſigno cibi ſpiritualis peragitur, triplex diſpoſitio in communicante exigitur.

Prima

Prima est gratia sanctificans, in qua consistit vita spiritualis. Ita Concilium Trid. sess. 13. c. 2. *sumi . . . . . voluit* (Christus) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius.* Et cap. 7. *diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus, qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, &c. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus . . . . hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit.* Probatur autem hujus dispositionis necessitas ex dictis capite præcedenti contra Lutherum, Eucharistiam non esse institutam ad remittendum peccatum mortale.

Specialem legem citato cap. 7. sanxit Concilium pro Sacerdotibus, quibus gravioris peccati consciis instat celebrandi necessitas, deestque copia Confessarii; iis quippe præcipit ut peracto Sacrificio prævia contritione, *quamprimum confiteantur.* Cum verò nonnulli Casuistæ hanc particulam, *quamprimum*, temerè sic interpretati essent, *cùm Sacerdos suo tempore confitebitur*, Alexander septimus & Clerus Gallicanus anno 1700. hanc interpretationem damnarunt.

Sed difficultatem quis movere posset, utrùm in hypothesi, quòd beneficium absolutionis fuerit consecutus, & recordetur se aliquod crimen ex oblivione inculpata non fuisse confessum, teneatur

neatur Confeſſarium convenire ante Communionem, utpotè qui ſit indirectè ab illo peccato abſolutus? Nihilominus eſt communis Theologorum ſententia hujusmodi teneri, ſi absque ſcandalo & infamiæ periculo id poſſit, quale contingeret ſi jam ſacræ menſæ aſtaret. Ratio eſt, quia probatio ab Apoſtolo requiſita debet fieri examine & judicio Sacerdotis. Unde ſi Sacerdos aliquis celebrare coactus eſt non præmiſſa confeſſione illius peccati, debet quamprimum confiteri.

S. Thomas q. 80. art. 4. & 5. expendit quale ſit peccatum ejus, qui cum conſcientia peccati mortalis accedit ad hoc Sacramentum, docetque 1. peccatum illud eſſe mortale, ut colligitur ex verbis Apoſtoli, *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem ... indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini ..... judicium ſibi manducat*, 1. ad Corinthios cap. 11. 2. etſi peccato illo ſint quædam graviora, nimirum ea, quæ Divinitatem impetunt, ut infidelitas, blaſphemia, Chriſto ipſo judice Matthæi cap. 12. *quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei:* & quæ contra humanitatem in propria ſpecie commiſſa ſunt à judæis & militibus tempore Paſſionis, quia fiebant animo nocendi Chriſto: veruntamen longè graviùs delinquere peccatorem percipiendo Euchariſtiam, quàm ſi alia Sacramenta reciperet; quia creſcit ſacrilegium pro dignitate rei ſacræ, quæ violatur. Hinc quia ſanctitas loci ſacri ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet, *gravius peccatum eſt*, inquit S. Doctor 2. 2. quæſt. 99. art. 3. *ſacrilegium*,

quo

quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum .... similiter etiam & tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa Sacramenta, quibus homo sanctificatur: quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quæ continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia.

Duo sibi objicit S. Doctor. Primum, peccator communicans, ab Apostolo comparatur Judæis, qui crucifixerunt Dominum: ergo ejus peccatum est omnium gravissimum, saltem eorum, quæ in Christi humanitatem committi possunt. Secundum, Publicani & peccatores sine peccato Christum Dominum in propria specie contingebant: ergo & in specie Sacramenti licite tangere possunt.

Respondet ad primum, comparari secundum aliquam similitudinem, non verò secundum criminis quantitatem. Ad secundum vero negat consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quòd Sacramentum Eucharistiæ sit signum unionis perficiendæ cum Christo & ejus membris: ergo qui per peccatum mortale est à Christo separatus, falso usurpat illud signum, ac proinde graviter peccat. Nulla verò occurrebat falsitas in peccatoribus, ad Christum, tamquam ad Medicum, à quo sanarentur, concurrentibus.

Secunda dispositio est immunitas ab affectu ad peccata venialia.

1. Quia affectus ille est obex gratiæ sacramentali, ut fuse ostensum est præcedenti cap. hic consu-

consulendo. Namque cibus corporalis, præsertim solidus, non modo non reficit febrientes, ut contra illis noxius sit, & à Medicis interdicatur: febris autem animæ, inquit S. Ambrosius in c. 4. Lucæ, avaritia est, libido est, ambitio est, iracundia est.

2. Quia hujusmodi affectus contrarius est reverentiæ tanto Sacramento debitæ. *Sed dicis*, inquit S. Augustinus, vel potius Sanctus Cæsarius serm 244. nunc in appendice 292. num. 6. *peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est, sed tamen si frequentius exerceatur, nimis immundam animam facit ... Et cùm nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia cum anima, quæ per luxuriam* (scilicet venialem in immoderato usu matrimonii; de quo sermo est) *sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud ... qui ... manducat .... indignè, si erubescimus ... Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere ipsam in anima polluta suscipere.* Et serm. 41. de Sanctis, de levioribus culpis sic habet, *ita animam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, ut eam ad amplexus sponsi cælestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

3. Quia sicut morbus corporalis fastidium parit, ita affectus ad leviora peccata, utpote qui sit animæ ægritudo & febris, extinguit famem spiritualem, hoc est, desiderium perfectioris cum Christo unionis, quæ per hoc Sacramentum significatur & promittitur, fervorem charitatis expellit, teporem immittit, efficitque, ut homo vel cum fastidio, vel saltem perfunctoriè, & quasi ex sola consuetudine ductus ad sacram mensam acce-

accedat, quòd maximè timendum docent Sancti Patres. *Ne torpeamus*, inquit Sanctus Chrysostomus hom 85. in Matth. *tanta digni charitate. Nonne videtis quanto impetu parvuli labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, & unus sit nobis dolor hac esca privari.* Et hom. 46. in Joan. *Aquilarum, non monedularum hæc est mensa.* Homilia quoque 70. ad populum, *nemo accedat cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes, & excitati.* Sanctus Gregorius in cap. 1. lib. Reg. *non saturantur nisi famelici, qui à vitiis perfectè jejunantes divina Sacramenta percipiunt . . . . & quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur . . . hac repletione nos evacuare Paulus insinuans ait ; probet seipsum*, &c. *Multum cavere debet homo*, inquit Sanctus Bonaventura lib. de præparat. ad Missam ; *ne cum tædio ad illud Sacramentum accedat.*

Tertia dispositio est singularis reverentia erga Christum in Sacramento præsentem. *Quia in hoc Sacramento præsens est divina Majestas, debet recipi cum honore*, ait S. Bonaventura tract. de præparatione ad Missam. Reverentia autem illa ex duobus necessariis exurgit, nimirum ex attentione, & ex actuali devotione.

Attentionem exigunt hæc Apostoli verba, 1. Cor. 11. *Qui . . . manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, hoc est, juxta SS. Patrum interpretationem, non attendens, non ponderans doni magnitudinem. *Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini*, inquit S. Basilius lib. 1. de Bapt. cap. 9. *& ad*

memo-

memoriam ejus, qui pro nobis eſt mortuus & ſurrexit, non ſolum purum eſſe à quovis inquinamento carnis & ſpiritus, ne ad judicium edat ac bibat; ſed evidenter oſtendere & exprimere memoriam ejus, qui pro nobis mortuus eſt ac revixit, in eo quod mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibiipſi, & Deo vivit in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Et regul. 21. cap. 7. *qui ad communicationem corporis & ſanguinis Chriſti accedit, neque rationem illam conſiderat, cujus cauſa inſtituta eſt, utilitatis ex ea fructum nullum reportat.*

S. Chryſoſtomus hom. de non contemnendis Eccleſiæ myſteriis, hanc attentionem vehementi ſtylo expoſtulat, *nemo*, inquit, *animo reſoluto ſacras illas & myſticas laudes ineat; nemo rerum ac humanæ vitæ conſilia illo tempore volutet: ſed omni terrena ſorde animo pulſa, in cœlum quiſque ſe transferat, utpote qui propinquus ſolio Dei cum Seraphinis volitet.*

S. Auguſt. tract. 47 in Joan. num. 2. *ſcriptum eſt*, inquit (nempe Proverb. 23.) *ſi ſederis . . . ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ apponuntur tibi & mitte manum tuam, ſciens, quia talia te oportet præparare. Menſa potentis, quæ ſit, noſtis, ubi eſt corpus & ſanguis Chriſti qui accedit ad talem menſam, præparat talia.*

Devotionem cum attentione conjungit S. Bonaventura in Brevil. parte 6. cap. 9. his verbis: *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu . . . & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem & amorem . . . ideò quod aliquis digne accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, & ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat. Propter quod manifeſte colligitur, quod qui tepide, indevotè,*

votè, & inconsideratè accedit; judicium sibi manducat & bibit. Similem regulam tradit S. Thomas quæst. 80. art. 10. *requiritur*, inquit, *ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat.* Quod addit S. Bonaventura tract. de præparatione ad Missam, est notatu dignissimum. *Majorem*, inquit, *efficaciam credo, quòd recipiat homo in una manducatione cum bona præparatione, quàm in multis, si non se præparet diligenter.*

Ex his facilè satisfit nonnullis quæstionibus, quæ solent moveri.

Prima, utrùm qui contritus, ut putat, peccata mortalia in Sacramento pœnitentiæ deposuit, possit statim ad sacram mensam accedere?

Secunda, utrum qui nocturno pollutus est somnio, vel qui actum conjugalem exercuit, debeat die proximè sequenti à sacra Communione abstinere?

Enimverò ex dictis necessaria est reverentia, attentio, & actualis devotio ad dignam Eucharistiæ perceptionem: ergo si ea, de quibus est quæstio, hanc animi dispositionem impediunt, procul dubio a sacra mensa saltem ad tempus retrahere debent. Ita Salazar Societatis Jesu Religiosus in eximio opere, quod Hispanicè edidit de frequenti Communione.

Porrò certum est 1. eum, qui in peccatum mortale lapsus, statim contritus est & confessus, pati quandam mentis hebetudinem (majorem quidem in venereis) quæ tollit fiduciam, de qua 1. Joh. 3. vers. 21. turbat animæ intuitum, ligat quodammodo affectum, quo minus ad divina assurgat. Quamobrem auctor operis de Ecclesiastica Hierarc. testatur c. 3. hanc fuisse Eccle-

ſiæ praxim, ut excluderentur à ſacra ſynaxi illi, quos erratorum quidem ſuorum pœnitebat, quique anteactæ vitæ nuntium remiſerant, ſed nondum perfectè puri erant; *quia*, inquit S. Chryſoſtomus expendens hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. hæc verba Diaconi ad communicantes, ſancta ſanctis, *ſanctum non facit liberatio à peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum copia.* Hinc Petrus Cantor Pariſienſis Theologus hanc certam ſtatuit regulam apud Morinum lib. 9. de Pœnitentia cap. 17. n. 11. *Nullus conſecrare, vel percipere debet Euchariſtiam, qui fuerit in mortali, niſi peracta pœnitentia tota, vel ſaltem ex magna parte, cum ſerenata eſt conſcientia, & homo confidit ſub Deo non caſurum.* Eandem doctrinam tradit S. Thomas in 4. diſt. 9. art. 4. q. 1. *non eſſe*, inquit, *conſulendum alicui, quòd ſtatim poſt peccatum mortale etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accederet; ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere.*

Dices, legitur in vita Sancti Marcelli Epiſcopi Pariſienſis, quendam peccati mortalis conſcium voluiſſe cum aliis ad ſacram menſam accedere, at miraculo prohibitum, fuiſſe crimen confeſſum, à quo ſtatim abſolutus per ſanctum Pontificem, continuò Euchariſtiam accepit: Ergo.

Nego conſeq. namque miracula in exemplum trahi non debent; cum per miraculum converſio illa contigerit, credendum eſt fuiſſe adeo perfectam, ut ſtigmata & cicatrices peccati, quæ reverentiam impediunt, prorſus deleverit.

2. Actus conjugalis, licet in ſe legitimus, quia tamen præter immunditiam quandam corporalem, quæ eum ſemper comitatur, mentem deprimit, ejus-

ejusque evagationem & diſtractionem inducit maximè cùm non ex debito, ſed ex captandæ voluptatis deſiderio, atque ideo cum peccato veniali exercetur (ut declaravit Innocentius XI. anno 1679. damnans opinionem contrariam) à ſacra Communione retrahere debet, niſi obſtet aliqùa neceſſitas.

Confirmatur 1. ex Scriptura, 1. Cor. 7. *nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu . . . ut vacetis orationi.* Et 1. Petri 3. *ut non impediantur orationes veſtræ.* In priorem autem locum ſic ſcribit Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, *quid eſt majus orare, an corpus Chriſti ſumere? . . . . ſi ergo per coitum, quod minus eſt impeditur, multo magis quod majus eſt.* Attamen Sanctus Chryſoſtomus & alii communiter intelligunt Apoſtoli locum de oratione ſacrificii, in quo fidelibus Euchariſtia adminiſtrabatur, contenduntque Apoſtolum monere conjugatos, ut ſe ſeparent ob reverentiam utriusque, tum Sacrificii, tum Communionis. Unde Sanctus Hieronymus cit. loco reprehendit conjuges; quia ita utrumque diſtinguebant, ut continentia non ſervata, ab ingreſſu quidem templi, & oratione publica abſtinerent, ſed Euchariſtiam ad ſe per Diaconum deferri curarent, cùm tamen majus ſit corpus Chriſti ſumere, quàm orare.

Confirmatur 2. ex Traditione. Concilium Eliberitanum ſic habet can. 3. *omnis homo ante ſacram Communionem à propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Refertur diſt. 2. de conſecrat. Sanctus Gregorius in reſponſione ad Aug. Anglorum Epiſcopum, lib. 12. regiſt. referturque 33. quæſt. 4. & 5. inter

 conju-

conjuges diſtinguit his verbis: *Si quis ſua conjuge non cupiditate voluptatis, ſed ſolummodo creandorum filiorum gratia utitur, profectò iſte de ingreſſu Eccleſiæ, ſive de ſumendo Dominici corporis ſanguinisque myſterio, ſuo eſt judicio relinquendus; quia per nos prohiberi non debet, qui in igne poſitus neſcit ardere. Quod de reddente, quàm de exigente debitum facilius creditur. Si verò,* pergit ſanctus Doctor, *non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Sic Nicolaus I. reſpondit c. 6. ad conſulta Bulgarorum. Sic docuerunt Sanctus Thomas quæſt. 80. art. 7. ad ſecundum Sanctus Bonaventura, Scotus, & alii communiter.

3. Nocturna pollutio quandoque ſic accidit in ſomno ut nullatenus mentem afficiat; vixque vigilans meminerit, quid ſibi ſomniando contigerit, in quo caſu videtur omnino contemnenda, quamvis primis Eccleſiæ ſæculis eſſet impedimentum communionis propter immunditiam & fœditatem, quam ex ea corpus ſemper contrahit, idque patet, tum ex reſponſione S. Baſilii ad interrogationem 309. in regulis brevioribus, tum ex ſerm. jam laudato 244. de tempore inter opera Sancti Auguſtini, tum ex Caſſiano collat. 22. cap. 4. ubi excipiendam cenſuerunt Patres, quæ accidit ex aſtutia dæmonis, ut hac occaſione ab Euchariſtia retrahat. Idipſum naturaliter præſtat nimius timor, ne hujusmodi turpia in ſomno recurrant, cùm inſtat dies feſtus ad communionem deſtinatus; quare his, qui juxta prædicta ſunt diſpoſiti, conſulendum eſt, ut confidenter ad Euchariſtiam accedant.

Sed

Sed plerumque ex illa somniorum illusione turbatur anima, lanquet affectus, atque ideò tollitur dispositio tertio loco ad communicandum requisita. *Ex quadam congruentia impedit*, inquit Sanctus Thomas quæst. 80. art. 7. *evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit* . . . . *hoc autem impedimentum postponi debet propter aliquam necessitatem.* Ita ferè omnes Scholæ Principes, Albertus Magnus, Alensis, & alii ad hanc quæstionem. Sed Sanctus Bonaventura præ cæteris distinctionem à nobis allatam confirmat his verbis: *Si sentit inquinationem illam multùm animam inclinasse, quia in illo actu fit homo caro, sive in somnis; sive in vigiliis, consulendum ei esset facere reverentiam Sacramento: si autem sentit naturam magis expeditam, & ulteriùs devotio trahat . . . . . . tunc arbitrarer ipsum sine remorsu posse accedere.*

Idem dicendum de crapula ex hesterno cibo venialiter immoderato: inde enim prævagatur animus, & difficile ad supernaturalia assurgit, ita S. Thomas q. 80. art. 8. ad quintum.

Atque hactenus de dispositionibus animæ ad Eucharistiam requisitis.

Q. 2. *Quæ dispositio ex parte corporis requiritur?*

R. Præter munditiem, de qua mox diximus, Ecclesiastico præcepto requiritur jejunium naturale; *placuit Spiritui Sancto*, inquit Sanctus Augustinus Epist. ad Januarium 118. nunc 54. *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Hanc Ecclesiæ legem agnoscunt, & confirmant Concilia Carthaginense III. can. 5. VII. Toletanum can. 2.

Dixi 1. *præcepto Ecclesiastico; namque ideo*, inquit Sanctus Augustinus cit. Epistola, *non præcepit* (Dominus) *quo deinceps ordine sumeretur*, *ut Apostolis, per quos Ecclesias depositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset.* Attamen S. Doctor non reprehendit morem quorundam Africanorum, qui in memoriam Cœnæ Dominicæ feria quinta majoris hebdomadæ, ad Vesperam post assumptum cibum, corporis Christi fiebant participes; siquidem probatus fuerat in Concilio Carthag. III. canone 29. qui refertur dist. 1. de consecrat. sed consuetudinem illam Ecclesia gravibus de causis postea abrogavit.

Porro S. Augustinus in eadem Epist. docet originem illam sumendi Eucharistiam ante omnem cibum ab Apostolis descendere, colligitque ex cap. 11. 1 ad Cor. ubi Apostolus improbans inordinatas Corinthiorum epulas, scribit, *cætera, cùm venero, disponam.* Quæ verba expendens S. Doctor, sic habet: *Unde intelligi datur . . . . . ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.*

Enimvero quod ubique & semper, nec ab ullo Concilio institutum videtur, ab Apostolis traditum censeri debet, atqui talis est mos sumendi Eucharistiam ante omnem cibum: Ergo.

Minor probatur ex Tertulliano lib. 2. cap. 5. ad uxorem: *non sciet maritus, quid ante omnem cibum gustes.* Ex Sancto Chrysostomo hom. 3. in primam ad Corinth. *priusquam communices, jejunas.* Ex Socrate lib. 5. hist. cap. 22. & ex Sozomeno lib. 7. cap. 19. referentibus in multis urbi-

urbibus ac vicis Ægypti fideles contra receptam omnium consuetudinem, jam pransos, sacra mysteria percipere. Itaque Apostolus, juxta interpretationem Sancti Augustini, ut occurreret corruptelis, quas jam inter Corinthios grassantes deprehenderat, statuit ne deinceps post cœnam Eucharistia distribueretur: *quin autem ita faciendum sit: disputare, insolentissimæ insaniæ est*, idem S. Aug. ibid. Audiant nostri Novatores, qui hanc legem carpere ausi sunt. Liberum quidem Dominus reliquit, an pransi, an jejuni accederent fideles, ut agnoscit S. Doctor, sed Apostolis determinandum reliquit.

Dixi 2. *jejunium naturale*; quo excluditur quidquid per modum cibi in stomachum trajicitur à media nocte per primum horologii pulsum designata, sive illud nutriat, sive non nutriat, ut medicina, nummus, charta, &c. quæ solvunt jejunium naturale non Ecclesiasticum, ut patet ex dictis, præsertim ex Tertulliano & S. Augustino. Quæ vero per modum salivæ, aut respirationis in stomachum decidunt, ut sanguis & pituita è cerebro; reliquiæ vini & aquæ, quibus os abluitur, vel cibi in ore remanentes, floccus nivis, vel culex jejunio naturali non nocent. Secus dicendum de saccharo, & aliis hujusmodi, quæ si post mediam noctem liquefacta in stomachum defluant, communionem debent impedire; quia non sumuntur per modum salivæ, aut respirationis.

Q. 3. *Suntne casus, in quibus liceat non jejunis Eucharistiam sumere?*

R. Licet in duobus casibus.

Primo, in mortis articulo, aut periculo; quia ex dicendis tum urget divinum communicandi

 præce-

præceptum, cui Ecclesiasticum cedere debet. Hinc ubi non obstat contraria consuetudo, ministranda est Eucharistia mortis supplicio plectendis, etiamsi non sunt jejuni, & periculose decumbentibus, quando jejuni sine gravi incommodo Eucharistiam recipere non possunt. Nec deserenda est hora intempestiva, v. gr. immediatè post mediam noctem, ut ante omnem cibum aut potum recipiatur, quia id non fert usus ob nimiam difficultatem, & Sacramenti reverentiam. Si autem infirmitas sit diuturnior & maneat mortis periculum, sacrum Viaticum potest sæpius ministrari non jejuno.

Secundus casus est necessitatis, quæ contingit 1. cùm Sacerdos celebrans loco vini consecrati, aquam hausit, ut notatur in Rubricis. 2. quando Sacerdoti post consecrationem deficienti, non potest substitui, nisi Sacerdos jam pransus. 3. Si reliquiæ consecratæ post ablutionem sumendæ sunt, quod ad formulas integras extendendum est, ubi servari non possunt: quia hæc ad unum Sacrificium pertinent. 4. Si Sacerdos inchoata Missa solemni, meminit se non esse jejunum, nec recedere potest sine gravi scandalo.

Ergo, inquies, Sacerdos, qui nocte Nativitatis ex inadvertentia sumpsit ablutionem, poterit, ad vitandum scandalum, celebrare duas alias Missas, si desit alius Sacerdos, ut in pagis contingit.

Nego conseq. non enim majus erit scandalum in illa hypothesi, quàm si Sacerdos in morbum incidisset, ubi impedimentum plebi innotuerit.

Instabis; ex dictis infirmus non jejunus potest Eucharistiam sumere: Ergo si nullæ sint formulæ

mulæ consecratæ, Pastor non jejunus eas consecrare poterit. Namque ex præcepto divino oves pascere tenetur.

Nego conseq. cujus confirmationem distinguo, tenetur pascere in debitis circunstantiis & salva Sacramenti reverentia, Concedo: secus, Nego: aliàs posset consecrare sine sacris vestibus, & omisso ritu Sacrificii, si morbus urgeret, quod nemo dixerit; honos enim Christo debitus sine dubio anteponendus est hominis utilitati. Porrò si sic liceret consecrare ad subveniendum infirmo, mysteria nostra gravibus exponerentur injuriis, qualis supponi potest, si Sacerdos è ludo vel potatione, vino temulentus festinanter ad altare ascenderet.

CAPUT XXI.

Utrùm sacra Communio debeat esse frequens, aut rarior?

Respondeo cum Salazare in opere jam laudato, si Eucharistia absolutè spectetur, communio debet esse quam frequentissima: si respectivè, pro ratione dispositionis Fidelium communio debet esse rarior vel frequentior: sed reprehensione digni sunt, qui non ita vivunt, ut tanto tamque utili beneficio frequentius licitè frui possint. Tres sunt responsionis partes probandæ.

Prima pars probatur. Eucharistia instituta est sub speciebus panis & vini, per modum cibi spiritualiter nutrientis in vitam æternam, estque in Ecclesia, quod lignum vitæ in medio paradisi terrestris: Ergo ad eam Fideles frequenter accedere debent, juxta intentionem illius auctoris.

Hæc consequentia est ad mentem universalis Ecclesiæ, ut constat ex constanti ejus praxi & Traditione.

Primò, Fideles sub disciplina Apostolorum *erant perseverantes ..... in ..... communicatione fractionis panis & orationibus*, Act. 2. quod Albertus Magnus, Alexander de Hales, S. Thomas, Sanctus Bonaventura & alii intelligunt de Communione Eucharistica; nam & versio Syriaca habet, *in Communione sanctæ Eucharistiæ.*

Secundò, S. Justinus describens mores sæculi, in quo florebat, sic habet Apol. 2. *Et solis qui dicitur, die* (hoc est, die Dominica) .... *in eundem locum conventus fit .... & distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ sunt, cuique præsenti, absenti autem per Diaconos mittitur.* Quin & fideles domum Eucharistiam asportarunt quatuor saltem prioribus sæculis, ut supra docuimus cap. 3. & c. 17. ne scilicet spiritales animæ vires sine Eucharistico cibo deficerent.

Tertiò, Patres communiter usum Eucharistiæ commendant, uti quotidianum panem, Tertull. lib. de Oratione cap. 6. Sanctus Cyprianus in expositione Orationis Dominicæ. Sanctus Chrysostomus hom. 60. ad populum, declarat eum non debere sacris mysteriis adesse, qui à perceptione corporis Domini abstinet, *non es hostia dignus, vel communione: ergo nec oratione.* Sanctus Hieronymus epistola ad Pammachium, *scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper* (id est, quotidie) *Christi corpus accipiant.* Et ad Lucinium: *De Eucharistia, quod quæris an accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ & Hispaniæ observare perhibentur*, &c. Improbat quidem quòd conjugati post actum conjugalem

galem ab ingressu Ecclesiæ abstinerent, & nihilominus domi Eucharistiam perciperent. Sanctus Ambrosius vel auctor operis de Sacramentis, *ille panis quotidie sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*, lib. 5. cap. 4. & lib. 4. cap. 6. *Debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Sanctus Augustinus epist. 118. ad Januarium, vocat Eucharistiam quotidianam medicinam. Et lib. 2. de Sermone Domini in Monte, intelligit per hæc verba Orationis Dominicæ, *panem nostrum quotidianum*, Sacramentum corporis Domini.

Quartò, quæ referuntur dist. 2. de consecratione, quamvis non sint Apostolorum, aut antiquiorum Pontificum secundi sæculi & tertii sæculi, quorum nomina præ se ferunt, attamen testantur tempore mediæ ætatis fideles solitos refici corpore Domini, si non diebus singulis, saltem solemnibus. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Quinam autem fuerint illi dies, quibus fideles ad Ecclesiam convenire tenebantur, atque ideò solemnes dici solebant, explicat Sanctus Epiphanius lib. 3. contra hæreses, his verbis: *Communiones autem, sive synaxes fieri ordinata sunt ab Apostolis quarta feria, Sabbato & Dominica.* Concilium Agathense sexto sæculo canone 18. & Turonense sub Carolo Magno canone 50. præcipiunt, *si non frequentiùs, saltem in anno ter laici homines communicent, nisi fortè quis majoribus criminibus impediatur in Pascha videlicèt, & Pentecoste, & Natali Domini.* Hæc referuntur titulo de consecratione. Nicolaus primus sæculo nono, ad consulta Bulgarorum sic respondet: *Corpori & Sanguini Dominico quotidie in*

Qua-

Quadragesima majori, si debeatis communicare, consulitis. Quod ut fiat, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, & vos omnes vehementissimè exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit.

Quintò, eandem hodie esse Ecclesiæ mentem probant, 1. Concilium Basileense decimo quinto sæculo his verbis: *Quòd autem sæpè accedere dignè & devotè, & cum discussione debita sit utile, & valdè proficuum, imò summe necessarium cupienti & desideranti in via Domini non regredi, sed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent & obsecrant incessanter fidelem populum.* 2. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 8. *Demùm*, inquit .... *paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri ... ut panem illum supersubstantialem frequenter* (fideles) *suscipere possint*, &c. Et sess. 22. cap. 6. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* 3. Catechismus Romanus sub Pio V. editus, multa congerit ad suadendum frequentem Eucharistiæ usum par. 2. ubi inter cætera expendens illud Orationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quærit cur Eucharistia dicatur panis quotidianus? & sic respondet: *Quia quotidie sumendus est, vel certè ita vivendum, ut quotidie quoad fieri possit dignè sumere queamus.* Additque: *Parochi partes erunt, fideles crebrò adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum administrare necessarium putant; ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ curam non abjiciant: neque enim minus spirituali cibo animam, quàm naturali corpus indigere perspicuum est.*

Enim-

Enimverò hic recurrit ratiocinium S. Thomæ quæſt. 79. art. 4. *Hoc Sacramentum*, inquit, *ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidiè deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidiè in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis.* Cùm ergo inſtituta ſit Euchariſtia ad excitandum & conſervandum illum fervorem, in quo conſiſtunt animæ vires, & alacritas, contingit, ut, dum quis à ſacra menſa diutiùs abſtinet, langueat ejus animus tepeſcente charitate, ſitque minùs idoneus ad colligendos affectus, regendos ſenſus, continendum appetitum, comprimendas paſſiones, totusque effluat circa temporalia, æternorum oblitus. Hunc defectum paſſim experiuntur fideles teſtanturque ſe aliquot diebus poſt perceptam Euchariſtiam feliciter inceſſiſſe in viis Domini, ſed de priori ſtudio ſenſim remiſiſſe, tandemque altera ſubſequente hebdomada omninò defeciſſe. Quibus monentur animarum Rectores ſibi incumbendum ut ii, quorum curam gerunt, parati ſint ſingulis diebus Dominicis neceſſarium viaticum accipere ad hebdomadam ſanctè tranſigendam, ut præſcribitur in libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus apud S. Auguſtinum, referturque diſtinct. 2. de conſecratione cap. 7. his verbis : *Euchariſtiæ communionem quotidie percipere, nec laudo, nec vitupero; omnibus autem Dominicis diebus ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.*

Dices ; Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. præcepit Euchariſtiam ſemel in anno, idque tempore Paſchatis accipiendam : Ergo Communio non debet eſſe frequentior.

Diſtin-

Distinguo anteced. Præcepit ad duritiam eorum, qui à cibo Eucharistico per plures annos abstinebant, Conc. Præcepit quasi esset conveniens Dominico instituto, & fidelibus utile semel in anno communicare, Nego anteced. Itaque Patres Lateranenses sua lege cavere intenderunt, idque sub interdicti pœna ferendæ sententiæ, ne Fideles ultra annum communionem differrent. Unde Theologi communiter colligunt hoc esse discrimen inter præceptum illud, & pleraque alia, quale est præceptum audiendi Missam die festo; quòd qui omiserit interesse sacro, tempore ab Ecclesia præfixo, non teneatur die sequenti implere quod pridie fuerat prætermissum; quia lex directè cadit in ipsum diem festivum, quem Ecclesia sanctificari voluit per oblationem sacrificii, uti circumstantiam solemnitatis. At verò tempus Paschatis est terminus Communionis præceptæ, nec ultra annum differendæ. Quare qui non satisfecit tempore Paschatis, similis est ei, qui non solvit debitum, termino per contractum præfinito; sicut enim peccat ille, dum elapso termino, solutionem sine causa differt; sic & ille peccatum auget, & multiplicat, qui post Pascha texit moras: quod animarum Rectores notare & docere oportet.

Secunda pars responsionis, nempe Communionem debere esse rariorem, vel frequentiorem, spectatis fidelium dispositionibus; probatur, quia indigni non sunt admittendi ad Eucharistiæ perceptionem, atqui non dispositi sunt indigni: Ergo

Majorem nullus negaverit: constat enim ex testimoniis SS. Patrum jam laudatis tum in hoc capite,

pite, tum in duobus prioribus, quibus addendus est S. Chrysostomus, qui hom. 66. sic scribit: *Hæc, non ut temere communicetis, dico, sed ut vos dignos reddatis.* Et hom. 67. *Si quis non est sanctus non accedat ...... non peccatorum tantùm liberatio, verùm & Spiritus præsentia sanctum facit, & bonorum operum divitiæ.* Item hom. 28. in 1. ad Cor. *Tempus Adventus, vel Epiphania, vel Quadragesima dignos accedere non facit, sed animæ puritas & sinceritas. Cum hac igitur semper accede, sine hac nunquam.* Eandem doctrinam expressis verbis tradit S. Thomas qu. 80. art. 10. *Ex parte Sacramenti*, inquit, *utile est quotidie sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat.... sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indispositionem corporis vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum.* S. Thomæ concinit S. Bonaventura in 4. dist. 12. part. 2. art. 2. *Si videat se esse in statu primitivæ Ecclesiæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum & tardum, laudandum est quod rarò; si autem medio modo, medio modo debet se habere.*

Confirmatur eadem major propositio ratione duplici. Prima, nullo prætextu cujuscumque utilitatis privatæ, & fructus spiritualis peccare licet contra reverentiam Christo Domino debitam. Hæc propositio sine impietate non potest negari: atqui est contra reverentiam Christo Domino debitam, si indignus ad sacram mensam accedat. Hinc est quod Patres Lateranenses legem suam de Eucharistia tempore Paschatis percipienda, non nisi verbis conditionatis conceperunt: *Nisi fortè*, inquiunt, *de proprii Sacerdotis consilio duxerit abstinendum.*

dum. Secunda ratio, indignus non tam reficitur cibo Eucharistico, quàm gravatur, ut fusè probavimus, cap. 19. pag. 595. & seq. Ergo indignus ne quidem prætextu percipiendi fructus spiritualis ad Eucharistiam accedet. Caveat itaque fidelis, juxta consilium sancti Ambrosii in cap. 9. Lucæ, *ne aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non satient*; memineritque responsionis sancti Bonaventuræ citat. dist. utrùm homo justus recipiat efficaciam Sacramenti: *Dicendum*, inquit, *quòd si se debitè præparet, recipit: alioquin si ex quodam torpore, vel ex distractione non se debite præparet, aut nullam, aut modicam reportat efficaciam, quàmvis non incurrat peccatum mortale.* Atque ne fideles hanc responsionem ægrè ferant, subdit sanctus Doctor: *Majorem efficaciam credo quòd accipiat homo in una manducatione cum bona præparatione, quàm in multis, si non se præparet diligenter.*

Minor syllogismi nostri propositio, nempe, *non dispositi sunt indigni*, patet ex dictis de dispositionibus cap. præced. nam tota dignitas aut indignitas repetitur ex dispositionibus, juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. *probet..... seipsum homo, & sic de pane illo edat..... qui enim manducat & bibit indignè*, &c.

Dices 1. Eucharistia dicitur à sanctis Patribus supra laudatis, Ambrosio & Augustino, medicina ad sanandas animæ infirmitates, inter quas numerandus est ille languor & torpor, quo fidelis censetur minus dispositus. Et revera sæpè contingit eos, qui tepidè accesserant, ferventes recedere. Ergo propter defectum dispositionis Communio non debet esse rarior.

Respon-

Respondeo duplicem hic distinguendam esse devotionem : alia sensum afficit, delinit & quadam suavitate perfundit : alia est interior, quæ mentem in bono firmat contra membrorum inobedientiam, & erratica sensus phantasmata.

Prior, utpotè quæ à voluntate non semper pendeat, absolutè necessaria non est, & sine ea licitè, & cum fructu Eucharistia percipi potest, modò adsit posterior; imò; ea supposita, fidelis, qui orationi & meditationi vacavit quantum necesse erat ad compescendos sensus, qui ex negotiorum tractatione agitari solent, non debet ab Eucharistia abstinere, ex eo quod illum devotionis sensum non experiatur; maximè cùm Deus nonnunquam illum subtrahat ad virtutis exercitium, & ut discamus exercitis viribus regere navem mentis contra fluminis ictum, & sæculi tempestates. Prætereà exterior illa devotio oritur sæpè vel ex corporis temperie, præsertim in mulieribus, vel ex astutia Dæmonis, ut advertit Thomas de Argentina, Ordinis sancti Augustini Præpositus Generalis. Quare nihili facienda est illa devotio, ubi deest interior, cæteræ supradictæ dispositiones.

Duplex quoque distinguenda est animi infirmitas : alia nascitur ex affectu ad peccatum, & hanc non sanat Eucharistia, sed pœnitentia, ut dictum est cap. 19. alia ex peccatis quotidianis, de quibus sincerè dolet; & propter hujusmodi languorem institutum est Sacramentum, ut medicina; delet enim peccata venialia, & excitat fervorem charitatis, qui est animæ robur. Hujusce duplicis infirmitatis exemplum cernere est in corpore humano : namque infirmum quandoque est propter

febrem actu vires exhaurientem, tuncque interdicitur ſolidior cibus: quandoque verò vel ex morbo, ex qua convaleſcit, vel ex nimia defatigatione, quo in caſu validioribus alimentis reficiendum eſt.

Dices 2. ex auctore libri 5. de Sacramentis cap. 4. apud S. Ambroſium, qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Ergo Communio non debet eſſe rarior ſpectatis diſpoſitionibus fidelium.

Diſtinguo anteced. Si perſeveret cupiditatibus indulgere, & per viam latam ambulare, Conc. Si vitam emendare ſtudeat, amplectaturque pœnitentiam, quæ ob quotidiana peccata poſt Baptiſmum, continua eſſe debet; *Maximè in iis*, inquit S. Auguſtinus hom. 50. cap. 7. *qui propter adminiſtrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctiſſima vincula tam multa peccant, ut non tam de illius mundi pulvere aſpergi, quàm luto obliniri videantur*: Nego anteced. Hæc diſtinctio eſt ad mentem S. Hieronymi in Apol. contra Jovinianum, ubi adhortatus conjugatos, ex Apoſtoli verbis, *probet autem ſeipſum homo*, &c. ut per aliquot dies à percipiendo corpore Chriſti abſtineant, ſubdit; *Non quòd dilatæ communionis unus dies aut biduum ſanctiorem efficiat Chriſtianum, ut quod hodie non meruerat, cras mereatur; ſed quòd dum dolet ſe non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineat ſe pauliſper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis amorem Chriſti præferat.*

Tertia reſponſionis pars, nimirum reprehenhenſione dignos eſſe fideles, qui non ſunt ſemper parati ad Euchariſtiam percipiendam, ſequitur ex dictis in confirmationem primæ partis; namque fideles debent eſſe ſemper diſpoſiti ad ſuſcipiendum illud

illud Sacramentum, quod Chriſtus Dominus inſtituit in cibum & remedium quotidianum: atqui ex dictis tale eſt Sacramentum Euchariſtiæ: ergo ad illud ſuſcipiendum fideles debent eſſe ſemper diſpoſiti.

Confirmatur ex S. Cypriano in expoſitione Orationis Dominicæ, ubi ſic ſcribit ad illa verba; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hunc panem dari nobis quotidie poſtulamus ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, à pane cœleſti prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur .... ut manifeſtum eſt eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, communicante ipſo, & dicente:* Niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.

CAPUT XXII.

De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

Duplex eſt neceſſitas, alia medii, alia præcepti.

Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo finis obtineri nequit, ſic ad vitam animalem conſervandam neceſſaria ſunt alimenta, quia ſine iis vivere non poſſumus. Illud verò eſt neceſſarium neceſſitate præcepti tantùm, quod præcipitur, quamvis res præcepta per ſe non ſit neceſſaria, ſed aliquando merè indifferens ad finem

conſequendum : ſic v. gr. abſtinentia à carnibus diebus Veneris, per ſe indifferens eſt; ſed per præceptum Eccleſiæ fit neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Cùm autem præceptum aliud ſit divinum, aliud Eccleſiaſticum ſeu humanum, quædam neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti divini, alia neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, ſeu humani.

Porro advertendum eſt ea, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, eſſe quoque neceſſaria neceſſitate præcepti; namque ratio naturalis dictat iis utendum, ſine quibus ad finem perveniri non poteſt; qui v. g. voluntariè abſtineret ab alimentis abſolutè neceſſariis ad mortem vitandam, vel negligeret Sacramentum Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum conſequendam, procul dubio peccaret; quia eo ipſo, quo media ſunt neceſſaria ad hujusmodi fines obtinendos, eorum uſus cenſetur præceptus. Sed è converſo non ſequitur rem præceptam eſſe neceſſariam neceſſitate medii; quia præceptum ut ſic non obligat, quando obſervari non poteſt. Unde qui non poteſt abſtinere à carnibus diebus Veneris, nihilominus ſalvari poterit; quia abſtinentia illa neceſſaria eſt neceſſitate præcepti duntaxat: contra verò parvulus, cui impoſſibilis eſt Baptiſmus, non ſalvabitur, quia caret medio neceſſario ad ſalutem.

Q. I. *Euchariſtia eſtne neceſſaria neceſſitate medii?*

Græci recentiores aſſerunt. Novatores docent id perſuaſum fuiſſe omnibus ſanctis Patribus, atque ideò univerſali Eccleſiæ, quæ ſolicitè infantibus Euchariſtiam ſubminiſtravit uſque ad duodecimum ſæculum, atque inde concludunt in rebus

bus fidei, solam Scripturam esse consulendam omissa Traditione. Quin & Maldonatus post Concilium Tridentinum scripsit in cap. 6. Joan. opinionem de hac Eucharistiæ necessitate per 600. annos in Ecclesia obtinuisse.

Hunc Græcorum & Novatorum errorem proscripsit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. his verbis: *Denique eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem ..... neque tamen ideò damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* A qua doctrina Maldonatum recessisse credibile non est. Et can. 4. ejusdem sessionis, rem tanquam de fide sic definiunt Patres: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* Quare ad propositam quæstionem

R. De fide est Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ perspicue tribuit Baptismo virtutem delendi omnia peccata, sanctificandi suscipientem, illumque efficiendi membrum Christi & Ecclesiæ, hæredem quoque regni cœlestis, Rom. 8. *Nihil .... damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, Galat. cap. 3. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*, ad Titum. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, 1. Cor. 6. *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

Probatur 2. ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis, qui una voce asserunt Baptismate ablui omnia peccata, ut S. Cyrillus Jerosolymitanus in catech. S. Basilius in exhortatione ad Baptismum, S Gregorius Nazianzenus orat. de Baptismo, Sanctus Chrysostomus hom. ad baptizandos, S. Augustinus pluribus in locis, sed disertissimè lib. 1 de pecc. meritis cap. 19. sic scribit: *Si percepto Baptismate de hac vita migraverit* (parvulus) *soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificator præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum.*

Ex quibus conficitur sequens syllogismus.

Illud Sacramentum absolutè non est necessarium necessitate medii, sine quo fideles a peccatis abluuntur, sanctificantur, Christum induunt, efficiunturque membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum: atqui fideles per Baptismum, & sine Sacramento Eucharistiæ hæc beneficia consequuntur. Ergo.

Frustra Novatores opponunt Ecclesiam secundùm pristinum morem, Baptismum non contulisse sine Eucharistia; namque Sacramentum Confirmationis simul etiam conferebat, nec inde sequitur Ecclesiam credidisse utrumque Sacramentum esse necessarium necessitate medii, aut sine illis Baptismum nullam habere virtutem. Ideò autem Ecclesia simul cum Baptismo duo illa Sacramenta parvulis contulit, quandiu id licuit sine periculo irreverentiæ, & sine nimia difficultate; quia effectum Baptismi perficiunt, maximè verò Eucharistia, in qua fideles perfectiori modo Christo incorporantur, & fiunt ejus membra; unde ab

ab auctore libri de Ecclesiastica Hierarcha, dicitur omnium Sacramentorum perfectivum. Cùm ergo res quælibet tendat ad sui perfectionem, & cætera Sacramenta inchoent quod in Eucharistia perficitur, Ecclesia etiamnunc optat, hortaturque adultos, ut corpori Christi communicent (nisi aliqua obstet ratio) quoties aliquod Sacramentum suscipiunt.

Dices: Christus Dominus iisdem planè verbis præcipit sacram Communionem, quibus Baptismum, & Pœnitentiam; quemadmodum enim ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. 3. Item, *nisi pœnitentiam habueritis: omnes similiter peribitis*, Luc. 13. Sic de Eucharistia; *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. 6. atqui priora verba innuunt Baptismum & Pœnitentiam esse necessaria necessitate medii: ergo & posteriora eandem necessitatem Eucharistiæ exprimunt.

Respondeo 1. retorquendo argumentum contra Novatores, qui parvulis & adultis in periculo mortis constitutis Eucharistiam denegant. Nec ita facile ac Catholici ejusmodi difficultatem solvere possunt, utpotè qui rejiciant Ecclesiæ Traditionem, ex qua haurimus Scripturæ sensum qui ibi obscurior est. Adde quòd mala fide illum textum objiciant, cùm de Eucharistia non esse intelligendum contendant.

Respondeo 2. Distinguendo maj. Iisdem verbis diverso sensu intelligendis, Conc. Eodem sensu intelligendis, Nego maj. Namque eadem verba pro varietate materiæ variam intelligentiam exigunt. Quis v. gr. ex illis verbis Joan. cap. 13.

Si non lavero te, non habebis partem mecum, colliget lotionem pedum eſſe paris neceſſitatis, ac Baptiſmum & Pœnitentiam, adeò ut, ſine illa lotione, ſive in re, ſive in voto, nullus poſſit conſequi ſalutem?

Sicut ergo particula (niſi) in poſtrema propoſitione non denotat neceſſitatem medii; quia lotio pedum non habet virtutem delendi peccata, & primam gratiam conferendi, ſine qua non poteſt obtineri ſalus; nec in iſta propoſitione: *Nec manducaveritis*, &c. quia Euchariſtia perficit ſolùm charitatem, & unionem cum Chriſto, quam Baptiſmus & Pœnitentia inchoant. Porrò ſine illa perfectione poteſt quis ſalvari.

Inſtabis; Sine perſeverantia nullus ſalvatur: atqui Euchariſtia inſtituta eſt ut medium neceſſarium ad perſeverandum; ideò enim datur ſub ratione cibi & potus, ſine quibus vita conſervari non poteſt. Ergo.

Nego min. Namque 1. parvuli (de quibus præſertim eſt controverſia) gratiam, quam in Baptiſmo conſecuti ſunt, amittere nequeunt, ac proinde actu & de facto perſeverant ſine Euchariſtia. 2. Adulti innumeri ſtatim poſt perceptum Sacramentum vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ deceſſerunt, etiam ſine voto ſaltem explicito Euchariſtiæ, de qua non cogitabant, neque propterea Eccleſia de eorum ſalute unquam deſperavit, aut dubitavit. 3. Adulti ſine Euchariſtia abſolutè perſeverare poſſunt. Dico, abſolutè, nam capite præcedenti fusè probavimus adultos ſine frequentiori uſu tanti Sacramenti diu gratiam difficilè conſervare. Ex quo ſequitur Euchariſtiam eſſe iiſdem medium ad perſeverandum ſecundùm quid neceſ-

necessarium; cùm contra cibus materialis sit absolutè necessarius ad conservandam vitam animalem, etiam in parvulis; quia defectum cibi materialis nihil omnino supplet: at verò, ubi Eucharistia haberi non potest, multa alia suppetunt auxilia.

Instabis iterum, S. Augustinus cit. lib. 1. de pecc. mer. cap. 20. ut astruat existentiam peccati originalis contra Pelagianos illud negantes, expresse probat verba illa: *Nisi manducaveritis*, &c. non esse intelligenda de præcepto solos adultos spectante, uti contendebant illi hæretici, sed de medio absolutè necessario, sine quo etiam parvuli vitam æternam consequi non possunt. Ita etiam Innocentius primus epist. ad Patres Concilii Milevitani inter Augustinianas 182. aliàs 93. quam Innocentii sententiam laudat S. Augustinus, quasi sit fides totius Ecclesiæ libro 1. contra Julianum: *Vide*, inquit, *quid respondeas .... qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille Antistes usus est testimonio.* His concinit Gelasius Summus Pontifex, qui sedit anno 492. epist. 7. ad Episcopos per Picenum, his verbis: *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat, qui non manducaverit carnem Filii hominis*, &c. *ubi utique neminem videmus exceptum, nec ausus est aliquis dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci.* Ergo.

Respondeo 1. Quidam Theologi ex allatis textibus colligunt S. Augustinum, & laudatos Summos Pontifices fuisse in sententia, quam impugnamus. Sed immerito, quoad S. Augustinum, qui clare & constanter docet salvari parvulos, qui præcepto Baptismo decedunt. Ex pluribus

in hanc rem ejus textibus, unum ex cap. 19. libro 1. de pecc. meritis selegimus in confirmationem Doctrinæ Catholicæ, cui addere liceat interpretationem S. Fulgentii ejus Discipuli, qui ante mille annos in epist. ad Ferrandum Diaconum, sic respondit ad testimonia, quæ ex S. Augustino nobis objiciuntur: *Arbitror, sancte Frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quicquam aliquatenus esse ambigendam, tunc ununquemque fidelium participem corporis & sanguinis fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus discedat.*

Sanctus itaque Augustinus, interprete sancto Fulgentio, vult parvulos eo ipso manducare carnem Christi in vitam æternam, quo in Baptismo membra ejus efficiuntur & corpori ejus mystico sociantur; & ad confirmandam hanc explicationem, Discipulus appellat sermonem Magistri ad infantes, nunc 272. aliàs 16. de diversis, ubi sanctus Doctor quærenti, quomodo panis est corpus Christi, sic respondet: *Apostolum audi dicentem fidelibus, vos estis corpus Christi, & membra,* 1. Corinth. 12. *Si ergo vos estis corpus Christi, & membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est, mysterium vestrum accipitis.* Ergo in sententia Sancti Augustini, juxta S. Fulgentium, fideles spiritualiter manducant corpus Christi, cùm ejus membra efficiuntur, quod inchoatur in Baptismo, perficiturque in sacra mensa. Hæc explicatio pluribus sæculis præcessit controversiam, quam Græci, & Pseudo-Reformati moverunt, valetque ad intelligendos allatos textus Innocentii & Gelasii. Quare in forma Re-

Respondeo 2. Distinguendo anteced. Parvuli vitam æternam consequi non possunt sine Eucharistiæ perceptione spirituali, & in voto implicito, seu interpretativo, Concedo: Sine Eucharistiæ perceptione Sacramentali, vel in voto expresso, Nego antec. Porro parvuli, quamvis carnem Christi sacramentaliter non manducent, tamen eo ipso, quod baptizantur, spiritualiter manducant; quia fructum Eucharistiæ percipiunt; per Baptismum enim Christo uniuntur, fiuntque membra corporis ejus: atque ideò Baptismus est quoddam votum interpretativum Sacramenti Eucharistiæ quatenus unio ad Christum in Baptismo inchoata tendit ad sui perfectionem, quæ per Eucharistiam habetur. Hinc primis Ecclesiæ sæculis duo illa Sacramenta simul conferebantur.

Confirmatur hæc solutio ex statu controversiæ, quæ calamum S. Augustini, & aliorum Patrum movebat contra Pelagianos negantes peccatum originale. Cum hæretici illi premerentur argumento ducto ex necessitate Baptismi, sine quo nullus, Domino contestante Joan. 3. potest introire in regnum Dei, ex fictione quadam distinguebant inter regnum Dei, & vitam æternam, contendebantque parvulos sine Baptismo decedentes, non ingressuros quidem regnum Dei, quod in eorum mente est quædam gloria eximia, & non baptizatis indebita, sed habituros, utpote innocentes, vitam æternam. S. Augustinus cum Innocentio I. supposita, non admissa fictitia illa distinctione, urget illos ex capite 6. Joan. aitque parvulos non baptizatos, privandos etiam vita æterna; ait enim Dominus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis . . . non habebitis vitam in vobis*,

quod

quod præceptum S. Doctor cit. lib. de pecc. mer. cap. 20. probat extendendum ad parvulos: atqui parvuli, nisi baptizentur, non possunt fieri participes corporis Domini: Ergo parvuli sine baptismo defuncti, privantur & regno Dei, & vita æterna. Ex quibus evincitur existentia peccati originalis; absit enim ut sub justo Deo creatura innocens misera credatur. Itaque ad elucidandum quod obscurum inesse potest textibus in objectione allatis, diligenter observare necesse est S. Augustinum, & alios Patres agere de solis parvulis nondum baptizatis, & in hypothesi quod vita æterna sit aliquid distinctum à regno cælorum, ut somniabant Pelagiani; namque 1. nusquam in scriptis sancti Doctoris reperietur parvulum damnari, aut carere vita æterna, qui post Baptismum mox decessit, cùm deesset tempus aut facultas ministrandæ Eucharistiæ, quod prioribus sæculis nonnunquam contingebat. 2. Quia S. Augustinus postea scribens contra Semipelagianos (qui admisso peccato originali: & rejecta distinctione inter regnum Dei & vitam æternam, cum Pelagianis tamen sentiebant prædestinationem Sanctorum, & perseverantiam esse ex meritis) eos imprimis refellit exemplo parvulorum, qui licet nulla habeant propria merita, aut demerita, sed æqualiter peccatum originale trahant, alii tamen perseverant, & salvantur, cæteris rejectis; ad quod demonstrandum nullatenus urget necessitatem Eucharistiæ, quemadmodum contra Pelagianos, sed solius Baptismi, quo prædestinatis antequam exeant, subvenitur, non casu, sed Deo miserante: *Absit*, inquit libro de dono persever. cap. 12. *ut causam parvulorum sic relinquamus,*

ut

ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati: ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalutem: non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam. Et infra: *Quid etiam quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit Baptiſmate ſubveniri? Ubi certe oſtendit quod perſonarum apud Deum non ſit acceptio, alioquin cultorum ſuorum potius, quam inimicorum filios liberaret.* Ex quibus nullum poteſt ſupereſſe dubium, quin S. Auguſtinus cum aliis Catholicis agnoverit ſolum Baptiſmum parvulis ſufficere, nec in Scriptis contra Pelagianos neceſſitatem Euchariſtiæ commendaſſe, niſi in eorum hypotheſi, & in eo ſenſu, quem diximus.

Q. 2. *Euchariſtia eſtne neceſſaria neceſſitate præcepti?*

R. Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti tum Divini, tum Eccleſiaſtici.

Prima pars conſtat ex cap. 6. Joan. ſæpius laudato, *niſi manducaveritis*, &c. Secunda verò ex Concilio IV. Lateranenſi ſub Innocentio III. Can. *Omnis utriusque ſexus*, qui refertur tit. de Pœnitentiis & remiſſionibus. Confirmaturque ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. can. 9. his verbis: *Si quis negaverit omnes & ſingulos fideles utriusque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit.*

Q. 3. *Quinam tenentur præcepto divino?*

R. Primò, non tenentur parvuli, quia præcepti capaces non ſunt.

R. Secundo, tenentur omnes adulti, ſive baptizati, ſive non; quia præceptum illud, *niſi manducaveritis*, &c. univerſaliſſimum eſt, & tam latè

late patet, quam præceptum Baptiſmi, *niſi quis renatus fuerit*, &c.

Dices 1. Non baptizati capaces non ſunt Sacramenti Euchariſtiæ: ergo ad illud non tenentur.

Nego conſeq. Poſſunt enim, & debent baptizari, peccantque contra utrumque præceptum, ſi neglexerint. Quemadmodum fidelis, qui defectu ſufficientis diſpoſitionis arcetur à ſacra menſa tempore Paſchatis, peccavit contra Eccleſiæ præceptum, ſi cum advertentia noluit diſponere.

Inſtabis; Qui baptizati non ſunt, minimè tenentur peccata ſacramentaliter confiteri: ergo nec Euchariſtiam ſumere.

Nego paritatem; Quia Confeſſio Sacramentalis non præcipitur, niſi pro peccatis gravioribus poſt Baptiſmum commiſſis.

Dices 2 Si Communio eſſet neceſſaria Præcepto Divino omnibus adultis, peccaret Eccleſia, quæ eam non adminiſtrat pueris jam ætatem adultam ingreſſis, reis ad mortem damnatis: falſum conſequens, ergo & antecedens.

Nego ſequelam majoris; Namque ex Conc. Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. ſæpius laudato, hanc Chriſtus poteſtatem Eccleſiæ conceſſit, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, quæ Sacramentorum venerationi expedire judicaret. Hac poteſtate fretus Sanctus Cyprianus in Concilio Epiſcoporum ſtatuit, peccatorem, qui in periculo mortis cœpiſſet veniam deprecari omnino à communione in morte repellendum, indignum eum pronuntians accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit moriturum.

rum. Idem sanxit quarto sæculo Concilium Arelatense I. cap. 23. quantò magis hæc servanda est disciplina erga damnatos ad mortem, & usque ad illud extremum impœnitentes; nec pueris Ecclesia Eucharistiam concedit, donec juxta præceptum Apostoli, corpus Domini dijudicare possint, quod de ipsis non præsumitur in primo rationis crepusculo, sed expectandum censuit, (nisi ea ætate periculoso morbo corripiantur) quoadusque judicium maturescat. Differendum tamen non est ultra annum decimum quartum, modo sint sufficienter dispositi. Peccant vero parentes & Pastores, nisi curent, ut in pueris crescente rationis lumine, crescat & reverentia & devotio erga tantum Sacramentum.

Q. 4. *Quo tempore obligat divinum communicandi præceptum?*

R. Primo obligat in probabili mortis periculo. Constat ex universalis Ecclesiæ Traditione, quæ solicite hoc salutare & necessarium Viaticum infirmis hactenus administravit, atque in hanc rem Eucharistiam servare consuevit, ut supra cap. 3. probatum est. Hinc qui prævidet se non habiturum opportunitatem Eucharistiæ sumendæ ob probabile mortis periculum, tenetur eam sumere.

Quid si aliquis communicasset paulo antequam in morbum incideret?

R. Ex Theologis quidam, ut Sotus & Suarez, negant hujusmodi teneri iterum communicare, alii affirmant, & quidem probabilius, ut nobis videtur; namque præcepto non satisfit per opus non præceptum, ut videre est in eo, qui sacræ mensæ particeps factus est Sabbato Domi-

nicam

nicam Palmarum præcedente, forte quia in illud incidebat feſtum Annuntiationis Dominicæ: debet enim ille iterum accedere, ut ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto communicandi in Paſchate. Si tamen eodem die communicaſſet, quo morbo correptus eſt ſtatim moriturus non videtur obligatio rurſus communicandi, maximè cùm ſit contra Eccleſiæ praxim bis in die Euchariſtiam ſumere, niſi in caſibus exceptis, inter quos iſte non numeratur. Idem dicendum de infirmo, qui poſt acceptum Viaticum, in grave peccatum lapſus eſt; aliàs daretur occaſio de eo malè ſuſpicandi. At ſi aliquot diebus ſupervixerit, manente eodem mortis periculo, expedit iterum Viaticum ad illum deferre; quia, ut diximus capite præcedenti, licet ſæpius in eodem morbo lethifero illud miniſtrare, etiam non jejunis.

R. Secundo, præceptum divinum ſumendi Euchariſtiam, aliquoties obligat extra mortis periculum; quia ex dictis capite præcedenti, ideo Chriſtus Dominus eam inſtituit ſub ſignis cibi & potus, ut identidem ſumeretur.


Q. 5. *Qui prævideret ſibi defuturam opportunitatem communicandi in Paſchate, teneretur ne prævenire tempus?*

R. Teneretur, ſi ab anno abſtinuit. Duo enim includuntur in præcepto Eccleſiæ. Primum ut ſemel in anno adulti participes fiant corporis Domini. Secundum, ut in feſtis Paſchalibus huic debito ſatisfaciant. Porrò quemadmodum is, qui die feſto non poterit audire Miſſam poſt horam decimam, tenetur eam prius audire, Sic qui per annum à ſacra menſa abſtinuit, nec poterit accedere in ſolemnitate Paſchali, tempus præveniat neceſſe eſt.

Q. 6.

Q. 6. *Satisfitne præcepto communionis annuæ per communionem sacrilegam?*

R. Communiter affirmarunt Casuistæ hac ratione ducti, quòd modus præcepti non cadat sub præceptum. Verum hanc doctrinam Innocentius XI. uti scandalosam proscripsit anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. illam pronuntiavit erroneam, impietati & sacrilegio faventem, & præcepto Ecclesiæ illudentem. Enimvero modus præcepti in ipso præcepto expressus pertinet ad substantiam præcepti: atqui Ecclesia disertis verbis præcipit, ut omnis fidelis adultus corpus Domini semel in anno, idque in Paschate devote & reverenter accipiat: ergo ipsa reverentia & devotio pertinet ad substantiam hujus præcepti. Quin & Dominus ipse Joan. 6. explicat quomodo observandum sit suum præceptum: *Nisi manducaveritis*, &c. subdit enim: *qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Adeo ut ex Sancto Augustino, manducare carnem Christi, sit in illo manere.







SECUNDA PARS.

De Euchariſtia, ut Sacrificium eſt.

Sacrificium Euchariſticum dicitur Miſſa à verbo *Mitto*, ſive quia, ut vult ſanctus Thomas quæſt. 83. art. 4. ad nonum, *per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per Sacerdotem: ſive quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa à Deo. Unde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtivis diebus populum licentiat dicens, Ite, Miſſa eſt; ſcilicet, hoſtia ad Deum per Angelum; ut ſcilicet, ſit Deo accepta*, ſive quia peracto Sacrificio populus dimittitur; hinc prima pars liturgiæ, quæ ad offertorium protenditur, Miſſa Catechumenorum vocatur, ex eo quòd ea parte expleta, olim catechumeni, & pœnitentes foras mitterentur, remanentibus fidelibus per Baptiſmum, vel per Pœnitentiam purgatis, quam ob cauſam, quod ſupererat liturgiæ, dicebatur Miſſa fidelium, qua abſoluta, exibant fideles intonante Diacono, *Ite, Miſſa eſt*, exceptis tamen Quadrageſimæ diebus, & aliis feriis, tum maximè, cùm in iis indictum erat jejunium; in iis enim Sacrificium ſerò offerebatur, & continuo officium veſpertinum peragebatur, ad quod decurrendum Diaconus aſtantes hortabatur, dicens, *Benedicamus Domino*, loco, *Ite, Miſſa eſt*.

Quòd autem Miſſæ nomen ſit perantiquum, patet ex veteribus Scriptoribus, apud quos eſt frequens, aut apud ſanctum Gregorium, homil. 8. in

in Nativit. Domini, sanctum Augustinum serm. 91. de tempore, si tamen Opus illius sit. Et sanctum Ambrosium libro 5. Epistola 33. ad Sororem.

Frustra objiciunt Novatores Missæ nomen non reperiri in Scripturis; satis enim est rem eo nomine significatam in iis contineri, quemadmodum Catholici demonstrarunt contra Arianos, qui eo prætextu Concilium Nicænum primum rejiciebant, quòd identias substantiæ Patris & Filii per nomen, *consubstantiale*, Apostolis incognitum exprimeretur. Porrò Missæ nomine significant Catholici preces, benedictiones, præsertimque consecrationem corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & vini, quæ in Scripturis Apostolorum leguntur, & exhibent verum & propriè dictum Sacrificium, quod demonstrandum nobis incumbit. Sed præmittendum est quid sit Sacrificium, & quæ ejus necessitas. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

Quid est Sacrificium.

R. Sacrificium tripliciter sumitur: 1. Latissimè pro omni actione, quæ in Dei gloriam cedit, ut erogatio eleemosinæ, psalmodia, &c. *Sacrificium laudis honorificabit me*, Psal. 49. *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate*, Eccl. 35. Unde S. Augustinus libro X. de Civitate Dei cap 9. scribit, *verum Sacrificium est omne opus, quod agitur ut sancta societate in-*

hæreamus Deo, relatum scilicet, ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.

2. Sacrificium pressius sumitur pro oblationibus, quæ fiunt in usum sive templi, sive ministrorum ejus. Quo sensu primitiæ & decimæ nonnunquam Sacrificia vocantur.

3. Propriè pro oblatione soli Dei facta cum destructione, seu immutatione victimæ. De Sacrificio in hac tertia acceptione solum hic agimus, alia enim impropriè dicuntur Sacrificia.

Dices, ex S. Augustino mox laudato, omne opus bonum est verum Sacrificium: atqui verum Sacrificium est Sacrificium proprie dictum: ergo bona opera sunt Sacrificia propriè dicta, ac proinde sola in Religione Christiana retinenda. Ita Novatores.

Distinguo major. Est verum Sacrificium, hoc est, præcipue à Deo intentum, & sine quo per Sacrificia exteriora non placatur, Conc. Est Sacrificium propriè dictum, ad quod offerendum consecrantur Sacerdotes, Nego maj. Itaque licet bona opera, quibus inhæretur Deo, metaphoricè sint Sacrificia, possunt tamen dici vera Sacrificia; quia ut cap. 2. explicabitur, pertinent ad Sacrificium interius, quod Deus in Sacrificio exteriori requirit; *Spiritus enim est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare,* Joan. 4. Sic Christus Dominus, quamvis non sit, nisi impropriè & metaphoricè vitis, de seipso tamen dicit: *Ego sum vitis vera,* Joan. 15. Quia excellentiori modo influit in fideles sibi charitate conjunctos, quàm vitis in suos palmites. Quod autem Sanctus Augustinus agnoverit in Religione Christiana aliquod speciale Sacrificium, ab omnibus

bus aliis bonis operibus distinctum quod à nullo licet offerri, nisi à Sacerdotibus, patet tum ex cap. 16. primæ partis, pag. 552. & seq. tum ex iis, quæ infra dicentur cap. 4.

Q. 2. *Quomodo definitur Sacrificium propriè dictum?*

R. Definitur Oblatio rei sensibilis cum ejus destructione, seu immutatione, soli Deo facta per legitimum Ministrum, ad recognoscendum ejus supremum dominium in omnes creaturas.

Dicitur 1. *Oblatio*, quæ est veluti genus, in quo Sacrificium convenit cum aliis oblationibus primitiarum & bonorum operum, quæ ad Deum referuntur; differtque à Sacramentis, quæ ut talia sunt, ad hominum sanctificationem diriguntur. Eucharistia v. g. ut Sacramentum est, tendit ad homines sanctificandos; ut Sacrificium vero respicit Deum colendum. Uno verbo, Deus in Sacramento gratiam nobis offert: nos verò in Sacrificio supremum cultum Deo exhibemus.

Dices; Deus per Sacrificium nobis confert peccatorum remissionem, & innumera alia beneficia. Ergo.

Distinguo antec. Confert consequenter & secundario, Concedo: Sacrificium enim est propitiatorium, & impetratorium: confert directè & primario, Nego antec. Namque directè & primario Sacrificium ordinatur ad supremum cultum Deo exhibendum, ex quo nobis eum conciliamus; namque reus eo ipso, quod plenam & perfectam satisfactionem exhibet personæ læsæ, eam placat: amicus quoque, dum amico dona largitur, illum amplius sibi devincit, quamvis ista primario fiant in illius honorem, & commodum.

Dicitur 2. *Rei sensibilis*; quia homines per Sacrificia in unius ejusdemque Religionis cultum coadunantur. Porrò homines non communicant inter se, nisi signis sensibilibus manifestent, quod intus in animo gerunt. Sacrificium itaque propriè dictum, quatenus est rei sensibilis, distinguitur à Sacrificio contriti cordis, & interiorum animæ affectuum, quibus Deo inhæretur.

Dicitur 3. *Cum ejus destructione*; quibus vocibus Sacrificium differt à cæteris oblationibus, in quibus res oblata non est necessario destruenda. Additur, *seu immutatione;* quia ad rationem Sacrificii propriè dicti sufficit, quod in victima fiat aliqua immutatio, ut patet ex Sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in desertum ejiciebatur, Levit. 16.

Dicitur 4. *Soli Deo; quis enim sacrificandum esse censuit*, ait S. Augustinus lib. 29. de Civ. Dei cap. 19. *nisi ei, quem Deum aut scivit aut putavit, aut finxit? . . . sed nec ob aliud fallaces illi* (spiritus) *superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.* Et libro 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria, quis Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

Quare oblatio Sacrificii propriè dicti soli Deo fieri potest, cùm cæteræ oblationes licite fiant hominibus? v. g. offertur theca argentea ad recludendas reliquias Martyrum, decimæ sunt quædam oblationes in sustentationem Clericorum.

R. Quia per victimæ mactationem, sive physicam, sive moralem, agnoscimus Deum esse re-

rum

rum omnium auctorem & dominum, profitemurque nos totos divinæ Majestati devovere cum victima, cujus sanguinem in hujusce nostri affectus signum offerimus. Qui sane honos creaturæ non potest deferri : *illo cultu, qui græcè latria dicitur*, ait S. Augustinus cit. cap. 21. contra Faustum, *cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc idolis exhibent, nulli tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam sancto Angelo.* Sed hæc pars definitionis fusius explicabitur capite sequenti.

Dicitur 5. *per legitimum Ministrum* ; cùm enim Sacrificium sit actio publica & in Religione excellentissima, requirit personas specialiter deputatas. Hoc videtur à natura hominibus inditum, nam pagani semper se habuerunt ut Sacerdotes. In lege naturæ illud munus competebat patribusfamilias, & eorum primogenitis juxta communiorem sententiam, utpote qui essent in sua familia veluti Principes, Noe, Abraham, Job, & alii deinceps sacrificia obtulerunt. Nec obstat quod Cain & Abel victimas incenderint; etenim fratres illi jaciebant fundamenta distinctarum familiarum, rei familiari separatim consulebant, aliàs locus non fuisset invidiæ, qua Cain exarsit in fratrem. In lege scripta prohibuit Deus, ne quisquam, nisi ex stirpe Aaronica oriundus, ad altare ascenderet. Et c. 16. primæ partis probavimus solos Sacerdotes in lege Evangelica habere potestatem conficiendæ Eucharistiæ, ac proinde offerendi Sacrificii ; solvimusque momenta, quæ solent contra proferri.

Difficultas hic naſcitur, cujus Miniſtri ſint in hac parte Sacerdotes, an Chriſti Domini, an Eccleſiæ, & populi Chriſtiani?

R. Miniſtri ſunt utriuſque; 1. Chriſti Domini qui eſt principalis offerens in Miſſæ Sacrificio, ut infra dicetur; quia cùm maneat in æternum, *ſempiternum habet ſacerdotium*, Heb. 7, verſ. 24. Aaron idcirco habuit ſucceſſores, quòd morte prohiberetur permanere, ut habetur ibidem. At Chriſto ſemper viventi ad interpellandum pro nobis, nullus ſuccedit; habet ſolùm Miniſtros, quibus tanquam inſtrumentis utitur, ipſe Princeps Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ad offerendum corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini. 2. Sacerdotes licèt divinitus inſtituti & conſecrati, ſunt tamen fidelium Miniſtri; *omnis namque Pontifex*, inquit Apoſtolus Hebr. 5. *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum ut offerat dona & ſacrificia.* Ratio eſt, quia fidelis quiſque ſicut tenetur ore confiteri ad ſalutem, quod corde credit ad juſtitiam, Rom. 10. ſic & ſigno externo profiteri debet ſuam erga Deum ſervitutem, quæ latria dicitur: atqui Sacrificium proprie dictum eſt illud ſignum a natura veluti inditum, & apud omnes gentes determinatum: ergo quilibet fidelis debet illud offerre. Non poteſt autem per ſeipſum id præſtare, præſertim in Lege Evangelica: neceſſe eſt itaque ut alterius miniſterio utatur, nempe Sacerdotis ad illud officium divinitus deputati. Hinc ipſe Sacerdos ſtans ad altare ait, *Orate fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat.* Tum ad Deum converſus, ſubdit, *Memento, Domine, famulorum...pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, &c.

Et

Et infra, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, &c. quibus verbis agnoscit se esse Ministrum Ecclesiæ, & per suum ministerium fideles vota sua Deo reddere. Nam quod specialiter agitur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium, inquit Innocentius III. lib. 3. cap. 6. de Missæ Sacrificio.

Dicitur 6. *ad recognoscendum supremum Dei dominium*, quod ex dictis satis intelligitur.

Q. 3. *Quotuplex est Sacrificium proprie dictum?*

R. Quadruplex vulgo distinguitur, primum dicitur latreuticum, quia specialiter offertur ad testandam omnimodam nostram dependentiam à Deo omnium rerum auctore, & supremo Domino. In hoc Sacrificio victima apud Judæos igne prorsus consumebatur, ideoque dicebatur holocaustum, omnium sacrificiorum præstantissimum. Secundum est Eucharisticum pro gratiarum actione. Tertium propitiatorium pro peccatorum remissione. Quartum impetratorium & pacificum pro novis beneficiis à Deo obtinendis.

Q. 4. *Unde nascitur illa Sacrificiorum multiplicitas?*

R. Ex quatuor Dei perfectionibus, quæ nos specialiter ipsi obstringunt.

Prima est suprema ejus Majestas, sub cujus dominio cuncta sunt tam absolutè posita, ut possit absque injuria & auferre concessa, & negare expetita, quantumcunque nobis necessaria; totum enim quod sumus, ipsius est. Hoc testamur per holocaustum in quo sincero affectu exinanimur tanquam victima igne charitatis totaliter flagrans; memores scriptum esse. Is. 61. *Ego Dominus ....*

odio habens rapinam in holocauſto : rapina autem eſt, ſi quid veluti proprium retinemus, nec ad Deum referimus.

Secunda eſt immenſa Dei erga nos bonitas, qua 1. nos immeritos eduxit è nihilo, & hactenus conſervavit innumera inter pericula. 2. ſi nos dilexit, ut Unigenitum ſuum daret, in quo habemus propitiationem, & nova quotidie beneficia conſequimur. Hoc grato animo recolentes ſingulis diebus Sacrificium Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis offerimus, præcipua enim Religionis cura eſt, ſecundùm S. Auguſt. ut Deo non ſit ingrata. Unde Sacerdos ad populum ſic præfatur, *gratias agamus Domino Deo noſtro :* ad Deum verò converſus, *dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere. Semper & ubique*, ait, quia omnia, etiam quæ videntur adverſa, diligentibus Deum convertuntur in bonum, Rom. 8. ſolaque cupiditas in malum ea tranſvertit.

Tertia eſt juſtitia infinita, quam ingrati inceſſanter offendimus. Hinc continuus animi noſtri dolor, hinc ſincerum deſiderium plene ſatisfaciendi Sacrificio propitiatorio expreſſum, in quo confitemur nos vita indignos, paratoſque cum exteriore victima immolari.

Quarta eſt perfecta beatitudo, qua Deus in plenitudine divinarum ſuarum perfectionum quieſcit infinitè beatus, & cujus nos participes eſſe voluit, præſtituens illam, tanquam noſtrum ultimum finem. Huic divinæ perfectioni reſpondet Sacrificium impetratorium, in quo, anhelantes ad tantam felicitatem, poſtulamus quæcunque utilia ad illam conſequendam. Hæc igitur quarta

ſpecies

ſpecies Sacrificii non inſervit fovendæ cupiditati, ut carnales Judæi exiſtimant, ſed extinguendæ, utpote quæ beatitudini noſtræ adverſetur. Offertur quidem illud Sacrificium ad impetranda quælibet bona etiam temporalia, ſed quatenus ea nobis Chriſtus Dominus promeritus eſt, hoc eſt, in hypotheſi; quòd Deus per proſpera ad beatitudinem nos deducere præelegerit.

Q. 5. *Quatuor illæ Sacrificii ſpecies exiſtuntne in Religione Chriſtiana?*

R. Exiſtunt eminentiori modo in Miſſæ Sacrificio, quod eſt unicum Chriſtianorum Sacrificium, quod offerunt ob quatuor illos recenſitos fines, eſt enim latreutícum & holocauſtum, Euchariſticum, propitiatorium, & impetratorium. *Hujus Sacrificii* .... inquit Sanctus Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 20. *multiplicia variaque ſigna erant Sacrificia priſca ſanctorum: cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut ſine faſtidio multùm commendaretur.* Et in Pſal. 39. nu. 12. *cùm .... datum eſt, quod promiſſum eſt, ablata ſunt verba promiſſiva, data ſunt completiva .... quid eſt, quod datum eſt completivum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis* (propter Cathecumenos, quibus hoc myſterium celabatur) *quod utinam, qui noſtis, omnes non ad judicium noveritis.*

Licèt ex dictis jam innoteſcat, qua mente, & quo fine fideles Sacrificium offerre debeant, hoc eſt, ad Miſſam audiendam convenire, expedit tamen præcipuum iſtud ſervitutis noſtræ debitum accuratiùs explicare. Quamobrem ſit

CAPUT

CAPUT II.

Quæ spectanda sunt in Sacrificio?

R. Duo in Sacrificio spectari debent. Primum, id quod significat tantùm. Secundum, quod significatur.

Quod significat tantùm, est oblatio exterior rei sensibilis, quæ à S. Augustino lib. 10. de Civit. c. 5. dicitur S*acrificium .... visibile*] *invisibilis scrificii Sacramentum, id est, sacrum signum.* Sacrificium ergo est in genere signi, sicut suo loco diximus de Sacramento. Sed diversa sunt illa signa; quia diversa significant.

Quod significatur in Sacramento, est gratia sanctificans: quod verò significatur in Sacrificio, quodque vocari potest res Sacrificii, est cor contritum, charitas, qua Deus plus omnibus diligitur. Ita S. August cit loco, *nec quod ab antiquis Patribus talia Sacrificia facta sunt in victimis .... quæ nunc .... populus legit, & non facit aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc tantum, ut inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus ..... quod ab omnibus appellatur Sacrificium, signum est veri sacrificii; porro ..... misericordia verum Sacrificium est*, id est res Sacrificii, res significata & expectata & expetita per signum visibile, seu sacrificium exterius. Subdit S. Doctor de charitate Dei, *quæcunque... in ministerio tabernaculi, sive templi multis modis de sacrificiis leguntur divinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur*: quod probat Epist. 120. & in Psal. 87. *Pietas*, inquit, *cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Hoc enim colitur, quod diligi-*

diligitur; quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur. Hic est Dei cultus, ait lib. 10. de Civit. c.4. *hæc vera Religio, hæc vera pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.* Atque ex his concludit in Psal. 77. eum, qui ad Deum per Sacrificium recurrit, ut consequatur bona terrena, quibus adhæret cupiditate, Deum non colere. *Anima ipsa; cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili forma subdita reformetur, fit sacrificium,* lib. 10. de Civ. cap. 6.

Ex his sequitur

1. Sacrificium exterius sine interiori esse signum falsum; significat enim quod non est, nempe cor contritum, humiliatum, Deo totaliter deditum, & ex amore serviens, cùm tamen in superbis & peccatoribus longè sit à Deo. In quo differt sacrificium à Sacramento: utrumque, ut diximus, signum est; Sacramentum signum, quo Deus significat se gratiam conferre obicem non ponenti, atque ideo semper verum & infallibile; est enim Deus verax, nec falli nec fallere potest. Sacrificium verò est signum, quo homo exteriùs significat, profiteturque Deo se totum mancipatum esse illius servituti, in quo falsitas & mandacium esse potest; est enim omnis homo mendax, & ita contingit in omnibus peccatoribus, qui cupiditatibus suis serviunt, non Deo, atque ita sacrificia eorum derisionis speciem præ se ferunt. Hinc sequitur

2. Sacrificia carnalium Judæorum, quamvis à Deo instituta & præcepta, meritò fuisse rejecta, tanquam Deo ingrata. *Quo mihi multitudinem*

victi-

victimarum vestrarum, ait If. 1. . . . . . *quis quæsivit hæc de manibus vestris?* . . . . *incensum abominatio est mihi* . . . *Sabbatum & festivitates alias non feram. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Psal. 49. *Misericordiam volui & non sacrificium*, Oseæ cap. 6. Quæ expendens S. Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. sic scribit: *Intueamur, quemadmodum ubi Deum dixit* (Propheta Ps. 50.) *nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Ille igitur, quod eum nolle dixit, hoc significatur, quod eum velle subjecit* . . . *In hujus Prophetæ verbis utrumque distinctum est, satisque declaratum, illa sacrificia non requirere Deum, quibus significantur hæc sacrificia quæ requirit Deus* . . Et l. 3. de Doctr. Chr. *ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere: & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.*

Dixi, *Sacrificia carnalium Judæorum*, namque sacrificium Christianorum etiam carnalium, per se & ratione principalis offerentis, nempe Christi Domini, semper est acceptabile; quia semper verum; Christum verum sub signis externis panis & vini, verè & ex charitate eximia se totum offert. Sed peccatores illud exteriùs offerentes imitantur ludum, quo milites illuserunt Domino, Matth. 27. Nesciunt re vera, quid faciunt, ac propterea minus sunt rei; sed quis excusabit Pastores, quorum negligentia hæc necessaria communiter ignorantur?

CAPUT III.

Utrùm in vera Religione debeat esse Sacrificium proprie dictum?

Quotquot ex hæreticis realem Christi præsentiam in Eucharistia negavere, ut Petrobrussiani, Albigenses, Zwingliani, & Calvinistæ, ii sacrificium ab Ecclesia Catholica amoverunt.

Lutheranis, qui corpus & sanguinem Domini realiter in Eucharistia contineri confitentur, difficilius visum fuit non admittere verum sacrificium; nam ex Hospiniano par. 2. Missæ Sacramentariæ *Corporalis præsentia fons est Missæ Pontificiæ.* Lutherus non erubuit scribere anno 1534. in lib. de Missa privata tandem sibi à dæmone persuasum Missæ Sacrificium esse abrogandum. Philippus Melancton Lutheri assecla existimavit se invenisse medium efficax ad expungendum Missæ sacrificium, salva reali præsentia, nempe si negaretur ejus permanentia, uti eam negant Lutherani, asserentes Christum non esse realiter præsentem in Eucharistia, nisi cùm actu sumitur. Quod ubi rescivit Lutherus in Collatione Ratisbonensi anno 1541. sic exclamavit: *Macte virtute & pietate, mi Philippe, tibi debetur gratia, qui Pontificiæ Missæ potuisti Sacramentum adimere, quod ego tentavi, & aggredi non fui ausus*, ex eodem Hospiniano cit. opere. Hujusmodi itaque Pseudo-Reformatores verè dixeris esse cum Antiocho præcessores Antichristi, qui ablaturus est juge sacrificium, Dan. 8. 11. & 12.

Capite sequenti perpendemus, utrùm Eucharistia sit verum & proprie dictum Ecclesiæ Catholicæ

licæ ſacrificium ; nunc reſpondendum generatim ad propoſitam quæſtionem. Itaque

R. In vera Religione debet eſſe Sacrificium proprie dictum.

Probatur ; quia in vera Religione debent obſervari, quæ ſunt legis naturalis : atqui Sacrificium proprie dictum eſt juris naturalis : ergo. Major eſt evidens.

Minorem probat S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. *Sicut in rebus naturalibus*, inquit, *naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur, etiam naturalis ratio dictat homini ſecundùm naturalem inclinationem, ut ei, quod eſt ſupra hominem, ſubjectionem & honorem exhibeat ſecundùm ſuum modum. Eſt autem modus conveniens homini, ut ſenſibilibus ſignis utatur ad aliqua exprimenda. Et ideo ex naturali ratione procedit, quòd homo quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur, offerens Deo in ſignum debitæ ſubjectionis & honoris, ſecundùm ſimilitudinem eorum, qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem dominii.*

Præterea in omni Republica ſpecialis exterior honos ſupremo Principi ita determinatus eſt, ut nulli alteri abſque crimine læſæ majeſtatis exhiberi poſſit. Cùm ergo Religio ad hoc ſit inſtituta, ut cultus Deo debitus reddatur, neceſſe eſt, ut in omni Religione reperiatur Sacrificium propriè dictum, utpote unicus exterioris latriæ cultus.

Nec dicas per interiorem perfectæ charitatis motum, quo homo ſe totum, & cætera ad Deum refert, exhiberi ſupremum cultum, qui dicitur latriæ. Namque ſpectato agendi hominis modo, actus charitatis, aut alterius virtutis non cenſetur perfectus & conſummatus, niſi per opus externum ſe prodat ; neque enim perfectè miſericordem,

cordem, fortem, & humilem dicimus, qui data occasione, contentus voluntatis affectu miserum non sublevat, mortis pericula declinat, & illatas calumnias diluit. Cruentas quidem victimas cædit charitas, quando usque ad sanguinem pro veritate certamus ex Sancto Augustino lib. 10. de civit. cap. 4. Verùm cùm opus illud sit speciale Dei donum, nec dispositioni Ecclesiæ subjaceat, necesse est, ut societas fidelium intimum illum animi sui sensum sanguine alieno, victimæ scilicet immolatione testetur, cùm non possit suo.

Confirmatur; quia quod observatum est apud omnes gentes, ad legem naturalem est revocandum: atqui *in qualibet ætate*, ait S. Thomas cit. art. *& apud quaslibet hominum nationes, semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio.* De statu quidem innocentiæ nihil legitur, quia brevissimus fuit, quanquam S. Doctor non dubitat quin Adam Sacrificium obtulerit, atque exemplo præiverat filiis suis, de quibus S. August. cit. cap. 4. lib. 10. de civit. sic scribit: *Quàm antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant.* Et cap. 19. *sed nec ob aliud fallaces illi spiritus* (dæmones) *sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo debere sciunt.*

In sanam ergo mentem nunquam venerit Christum Dominum, qui non venit legem naturalem solvere, sed adimplere & perficere, Matth. 5. Religionemque cæteris longè præstantiorem instituere, ab ea expunxisse quæ sunt juris naturalis, quale est Sacrificium propriè dictum, adeo ut in Religione Christiana nullus exterior cultus Dei proprius, & ipsi soli debitus reperiatur. Contra eos, qui ita desipiunt, clamat Apostolus, *habemus altare, de quo edere non habent pote-*

statem, qui tabernaculo deserviunt. Heb. 13. Porrò altare non est, nisi propter Sacrificium, *nonne qui edunt hostias*, inquit idem Apostolus 1. Cor. 10. *participes sunt altaris?* Ubi vult hæc duo, scilicet hostiam & altare esse correlata, & necessariò connexa, unde subdit, *non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Mensa demoniorum hic est altare propriè dictum: ergo & mensa Domini. Ergo in eo offertur hostia propriè dicta; quæ autem sit illa hostia, explicat, *non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, ibid.

Altaria à temporibus Apostolorum in Religione Christiana permansisse constanter docent SS. Patres. S. Cyprianus Epist. 66. *ne quid Sacerdotes & Ministros Dei, altari ejus & Ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias revocet:* S. Cyrillus Jerosolymitanus cap. 5. S. August. lib. 10. Confess. cap. 11. & lib. de cura pro mortuis. Quis verò esset usus altarium, patet tum ex Sacerdotibus, qui in iis soli offerebant, ut dictum est cap. 16. primæ partis: tum ex Liturgiis perantiquis, in quibus ipsi Novatores agnoscunt ritum Sacrificii propriè dicti. Calvinus lib. 4. Instit. c. 18. fatetur à SS. Patribus non tantùm Sacrificii nomen fuisse usurpatum, sed etiam ad actionis rationem accessisse. Lutherus in lib. de abroganda Missa, ait se contra omnes SS. Patres scribere; & lib. contra Regem Angliæ non curat, si mille Augustini contra se stent. Ex qua confessione reos illos habemus manifesti schismatis.

Dices 1. quod est pœna peccati, non est à natura inditum: atqui est pœna peccati, quòd homo rebus inferioribus subjiciatur, & signis quibusdam exterioribus indigeat ad Deum promeren-

rendum. Unde Apoſtolus Galat. 4. docet Chriſtum Dominum nos ab hac ſervitute liberaſſe, quemadmodum prædixerat mulieri Samaritanæ, Joan. 4. *venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*, non in ſignis & ſymbolis: Sic Adam & Eva in ſtatu innocentiæ Deum colebant: *Primi homines*, inquit S. Auguſtinus cit. lib. 10. de civitate, *in Paradiſo puri atque integri ab omni ſorde ac labe peccati, ſeipſos Deo mundiſſimas hoſtias offerebant.* Nulla pro illo ſtatu inſtituta ſunt Sacramenta, ut in tractatu de Sacramentis in genere probatum eſt. Ergo Sacrificium non eſt à natura inditum.

Nego conſeq. non enim ſequitur ex præmiſſis, in quibus nihil de Sacrificio. Ut ergo argumentum ſit in forma, ſic concludendum eſt: Ergo quòd homo rebus inferioribus ſubjiciatur, non eſt à natura inditum, quod verum eſt, ſed non pugnat contra doctrinam noſtram; neque enim homo per Sacrificium externum ſervit rebus inferioribus, ſed iis utitur ad ſignificandam ſuam erga Deum reverentiam; naturale autem eſt homini cordis intima ſignis exterioribus exprimere, v. g. ſuam animi propenſionem erga amicum beneficiis, ſuam commiſerationem erga pauperem eleemoſynis, ſuam erga Deum devotionem pſalmodia & aliis canticis. In eo itaque Sacrificium differt à Sacramento, quòd in Sacramento gratiam & inferioribus ſignis hauriat, quod ipſi non eſt naturale, ſed præſupponit peccatum, in cujus remedium inſtituta ſunt Sacramenta; æquum enim erat, ut qui per ſuperbiam à Deo receſſerat, per humilitatem revocaretur. Pleraque autem Sacrificia in veteri lege erant etiam Sacramenta,

ut diximus in tractatu de Sacramentis in genere, utpote quæ essent ordinata ad sanctificationem hominum legalem & exteriorem quidem ex opere operato, interiorem verò & propriè dictam ex opere operantis; unde meritò dicit Apostolus homines in iis serviisse vacuis & egenis elementis. At per Sacrificia, tanquam per signa & voces homo significat qua sit affectus erga Deum pietate & reverentia, quod est ipsi naturale. Fuissent ergo sacrificia in statu innocentiæ, si perseverasset, non verò Sacramenta. Nec S. Augustinus in allato textu à sacrificio interiori excludit sacrificium exterius. Namque in ejus mente, *ea tantùm animæ est miserabilis servitus signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse*, lib. 3. de doctr. Christ. cap. 1. Hac servitute laborabant carnales Judæi, à qua brevi liberandos Christus præmonet mulierem Samaritanam, *adorabunt*, inquit, *Patrem in spiritu & veritate.* Quibus verbis Christus non eliminat à nova lege omne signum sensibile; alias nec Adversariis liceret laudes divinas ore decantare, aut Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ celebrare; hæc enim sunt signa sensibilia. Sed quemadmodum qui non verborum sono, sed eorum sensu delectatur, spiritualiter intelligit, sic qui non signis sacrificiorum, sed veritate significata afficitur, Patrem in spiritu & veritate adorat. Sacrificia Judæorum, ex S. Augustino lib. 10. de Civit. cap. 20. erant tanquam verba significantia, quæ Dominus completurus erat: verba, quibus serviebant Judæi tanquam infantes sine intelligentia, transierunt; veritas significata per Christum facta est, Joan. 2. hanc

Chri-

Christiani possident sub Sacramentorum tamen involucris. Hinc Patres Religionem Christianam spectant in statu veluti medio Synagogam inter & Ecclesiam triumphantem. In Synagoga tantummodò erant signa & figuræ; in Religione Christiana habentur res significatæ & promissæ, sed signis & symbolis obvolutæ: in patria verò cœlesti omnia nuda & aperta erunt, flagrans charitas, qua singuli totos se ad Deum referrent omnibus patebit.

Instabis: ex Apostolo Hebr. 10. *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel .... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ergo, inquiunt Pseudo-Reformati, in Religione Christiana præter sacrificium crucis non est aliud agnoscendum, nisi fortè sacrificium cordis, & impropriè dictum, de quo idem Apostolus v. 16. *hoc autem testimonium, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum ..... & peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato.* Ecce quo tendebant multiplices leges sacrificiorum Judæis impositæ, nempe ad interius cordis sacrificium, per cruentam Christi oblationem præparatum. Jam ea peracta, non est alia pro peccato, atque in eo ponit Apostolus discrimen inter legem veterem, & novam; quòd in illa sæpiùs repeteretur oblatio, in hac verò Christus semel fuerit oblatus. *Et omnis quidem Sacerdos*, inquit v. 11. *præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpe offerens hostias ..... hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Et cap. 9. docet Christum introisse in cælum, non ut sæpe offerat semetipsum; quia

semel in consummationem sæculorum per hostiam suam apparuit. Ergo contra doctrinam Apostoli, nec sine injuria sacrificii crucis, Sacerdotes in Religione Christiana quotidie offerunt eandem hostiam, scilicet corpus & sanguinem Domini.

R. 1. Retorquendo argumentum contra Adversarios. Ex Apostolo per unicam Christi oblationem in cruce cruenta sanctificati sumus, & consummati, vetus Testamentum ablatum est, & novum sancitum in cordibus scriptum in remissionem peccatorum: ergo non sine injuria sacrificii crucis baptizantur, & cœnam celebrant in remissionem peccatorum. Ipsimet sternent nobis viam ad solvendam objectionem quæ similiter eos impetit.

Respondent itaque Christum Dominum re vera per cruentem crucis sacrificium, plenam Deo satisfactionem pro peccatis obtulisse, novum testamentum confirmasse, & omnia bona nobis promeruisse; sed inutilem fore fructum tanti sacrificii, nisi nobis applicetur: nobis autem applicari per fidem, & certam fiduciam, ad quam excitandam instituta sunt Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ. Quod illustrari potest exemplo eorum, quæ in humanis contingunt: aliquis virum potentem gravibus injuriis sibi infensum reddiderit, mediator verò pro eo intercedat, atque satisfactionem ex propriis condignam offerat, reus propterea non reconciliabitur, nisi peccatum retractat pœnitens, atque supplicem se cum mediatore adjungat. Sic Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, in sanguine suo redemptionis nostræ pretium plusquam sufficiens obtulit, sed ut ad peccatores usque copiosa illa redemptio

per-

perveniat, necesse est ut uniantur Christo sive per solam fidem, seu fiduciam in Sacramento, ut falsò docent Adversarii, sive juxta Catholicos per sinceræ pœnitentiæ motum, Sacramentorum virtutem & efficaciam, sacrificiique oblationem. Itaque

R. 2 directè ad singula.

Ad primum, distinguo: una oblatione consummavit, in hypothesi quòd meritum ejus mediis ab ipso præscriptis fuerit applicatum, Concedo; secus, nego. Nam peccatores obstinatos non sanctificavit, neque consummavit.

Ad secundum Christus Dominus in cruce sanxit quidem novum testamentum, in quo nobis concessit jus ad immensa gratiæ & gloriæ dona, sed illam hæreditatem non capessimus nisi per infusionem Spiritus sancti, & donorum ejus ad quam instituta sunt Sacramenta, & Sacrificium.

Ad tertium, distinguo: ubi horum (peccatorum) remissio, jam non est oblatio pro peccato, non est oblatio novi sacrificii, Concedo: non est oblatio ejusdem Sacrificii, nego. Namque ex eodem Apostolo Hebr. 7. Christus est *semper vivens, ad interpellandum pro nobis, ut appareat nunc vultui Dei*, c. 9. non quidem ut iterum se offerat cruento modo, quemadmodum in veteri lege Sacerdotes quotidie easdem hostias, agnos scilicet non quidem numero, quod erat impossibile, sed specie eosdem offerebant, sed ut sacrificium crucis semel oblatum, intercedendo pro nobis, Deo exhibeat. Porrò in Religione Christiana idem sacrificium offertur, quod Christus in cruce obtulit, ut dicetur c. 5. & sic patet solutio ad quartum & quintum.

Dices 2. apud Minutium Felicem Ethnicus Christianis exprobrat, quòd nec aras, nec simulachra, nec templa haberent. Ergo iis Ecclesiæ sæculis, non erant altaria apud Christianos.

Nego conseq. namque S. Cyprianus Minutio coætaneus Epist. jam laudata meminit oblationum, quæ fiebant ad altare. Potuit autem id ignorare Ethnicus: tum quia Christiani mysteria sua occultabant, tum quia propter persecutiones in domibus rem sacram furtivè faciebant. Nonne etiamnunc in Anglia idem posset objici Catholicis ibi degentibus? An propterea rectè concluderetur illos esse sine altari & sacrificio?

CAPUT IV.

Utrùm Eucharistia sit Sacrificium propriè dictum?

R. De fide est Eucharistiam esse Sacrificium propriè dictum. Ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 22. canone 1. his verbis: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium . . . . . anathema sit.* Can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium,* &c. *anathema sit.* Et Canone 4. *si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.*

Probatur 1. ex dictis cap. præcedenti de sacrificio in genere, ex quo sic argumentari licet; In vera Religione necessariò existit aliquod sacrificium

crificium propriè dictum: atqui Religio Chriſtiana eſt vera Religio: ergo in Religione Chriſtiana exiſtit ſacrificium propriè dictum. Porrò nullum tale ſacrificium in ea aſſignari poteſt præter Euchariſtiam: ergo Euchariſtia eſt revera ſacrificium propriè dictum.

Probatur 2. ex Scriptura & Traditione ſimul.

1. Chriſtus in ultima cœna, Luc. 22. poſtquam benedixit panem, & gratias egit, ſic alloquitur Apoſtolos, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Non ait, vobis datur, ſed, pro vobis datur, id eſt offertur. Similiter & de calice dixit, *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funditur*, ut habet græcus textus. Addit S. Matthæus c. 26. *pro multis effunditur.* Pro vobis nunc funditur, pro multis vero in cruce effundetur.

Apoſtolus 1. Cor. 10. hac inſtitutione Domini nixus ſic ſcribit, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* &c. Quòd autem in illa benedictione ſacrificium propriè dictum intelligat, patet ex ſequentibus ejus verbis, *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Ubi opponit altare Chriſtianorum altari Gentilium, in eo quod in altari Chriſtianorum oblationes fiant vero Deo, in altari verò Gentilium immoletur dæmoniis. Quæ autem fiat oblatio in altari Chriſtianorum aperit Apoſtolus, nempe panis & calicis. Ergo in mente Apoſtoli Chriſtus conſecrans in ultima cœna corpus & ſanguinem ſuum obtulit, inſtituitque verum ſacrificium.

Hanc Apoſtoli interpretationem ſecuti ſunt Patres tum Græci, tum Latini. S. Ignatius Epiſtola ad Smyrnenſes contra hæreticos, ſic ſcribit, *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* S. Gregorius Nyſſenus oratione 1. de Reſurrectione, *pro ineffabili arcanoque ſacrificii modo præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem & victimam offerre pro nobis Sacerdos ſimul & Agnus Dei . . . . . . cùm corpus ſuum ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum familiaribus præbuit.* S. Chryſoſtomus hom. 24. in 1. ad Cor. *pro brutorum cæde* (Sacerdotio Aaronico) *ſeipſum offerendum præcepit.* S. Leo ſerm. 7. de Paſſione, *Dominus corporis & ſanguinis ſui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hoſtia deberet offerri.*

Scio quibusdam Theologis in Concilio Trid. primùm non conſtitiſſe, num Dominus ſeipſum obtulerit in ultima cœna, ut refert Cardinalis Palavicinus in lib. 18. hiſt. Concil. cap. 2. At omnes tandem eandem iniere ſententiam tum exemplo Melchiſedech, de quo poſtea; tum iſto Chriſti præcepto, *hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis conſtituit illos Sacerdotes ad celebrandum idipſum, quod præmiſit. Omnis autem Sacerdos aſſumitur ad offerendum dona & ſacrificia; hæc enim ſunt correlata, & ita inter ſe connexa, ut Sacerdos non ſit, qui nihil habet offerendum, ut fusè probat Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. cap. 8. & ſeq. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur; unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat.* Ergo Chriſtus Dominus verum inſtituerat ſacrificium. Vix itaque alia diſceptatio fuit inter Patres Tridenti-

dentinos, quàm de fine oblationis Christi in ultima cœna, num scilicet fuerit propitiatoria, an Eucharistica tantum, & gratiarum actionis, cùm nondum esset peractum cruentum sacrificium Crucis. Concilium quidem tanquam de fide definit can. 3. Missæ sacrificium esse propitiatorium. Utrum autem tale fuerit à Christo Domino oblatum, quæstionem non attigit, verba illius sunt. *In cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur; Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite,* &c. *nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum,* &c. sess. 22. cap. 1.

2. Apostolus cap. 7. & sequentibus epistolæ ad Hebr. probat Christum Dominum esse Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech, sicut prædictum est Psal. 109. ex quo sic argumentari licet. Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech debet offerre sacrificium eo ritu, quo Melchisedech obtulit, quemadmodum Sacerdotes secundùm Ordinem Aaron offerebant sacrificia ritu Aaronico; nam ex dictis, omnis Sacerdos

cerdos primario instituitur ad offerenda dona & Sacrificia: atqui Melchisedech obtulit sacrificium in pane & vino, Gen. 14. v. 18. Ergo & Christus Dominus.

Respondent Novatores negando min. scilicet Melchisedech sacrificium obtulisse in pane & vino: namque, inquiunt, ex Philone lib. 1. Allegoriarum, Josepho l. 1. Antiquit. c. 11. Melchisedech tanquam Rex protulit panem & vinum ad reficiendum exercitium Abrahæ, quibus astipulatur Ambrosiaster, seu Auctor Commentariorum in Epistol. S. Pauli, inter opera S. Ambr. tanquam verus Sacerdos benedixit Abrahæ. Ad Sacerdotes enim maximè pertinet benedicere, quamvis & alii id possint. Unde in textu Hebraico non legitur, *erat enim Sacerdos*; quasi ea esset causa cur panem protulerit; sed, *& erat Sacerdos Altissimi*, atque ideo benedixit Abrahæ.

Confirmatur responsio ex Apostolo, qui laudata epist. probat 1. Christum Dominum verè fuisse Sacerdotem, ex eo quod obtulerit sacrificium, quo cætera fuerunt consummata: ubi autem oblatum fuit illud sacrificium? In ultima cœna; ne verbum quidem de pane & vino, sed meminit solummodo cruenti sacrificii in Cruce oblati. Deinde quærit Apostolus, secundùm quem ordinem Christus fuerit Sacerdos? An secundùm Aaron? Minimè, quia Sacerdos secundùm ordinem Aaron debet esse oriundus ex tribu Levi, & ex familia Aaron. Christus verò ortus est ex tribu Juda. Ergo secundùm ordinem Aaron non potest dici Sacerdos; unde Psalmista cecinit eum surrecturum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, Psal. 109. Tum expendit Apo-

Apostolus in quo Melchisedech fuerit assimilatus Filio Dei. Hic sanè non erat prætermittendum sacrificium panis & vini, si tale obtulisset Melchisedech, & in eo præsertim ritu adumbrasset Christum Sacerdotem : nihilominus omissa illa analogia, in qua constituimus Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, Apostolus aliàs prosequitur, nempe quod non solum esset Sacerdos, sed etiam Rex justitiæ : quod major fuerit Abrahamo, ac proinde Aarone ejus pronepote, cùm ei benedixerit, decimasque ab eo acceperit; quòd ejus genealogia non retexatur, prodeatque quasi nec initium, nec finem dierum habens, quamvis re vera omnium hominum legem sortitus sit, suspicenturque multi eum fuisse Sem primogenitum Noe. Ergo ex Sacerdotio Melchisedech nihil prorsus concludi potest pro sacrificio Missæ.

Contra 1. cibo non indigebant copiæ ingenti præda ditatæ, & satiatæ, ut habetur cit. cap. 14. v. 24. 2. Melchisedech oblato sacrificio panis & vini, in gratiarum actionem ob victoriam potuit dividere reliquias inter astantes, juxta morem; nam in sacrificiis gratiarum actionis veteres epulabantur, ut patet ex 1. Reg. c. 9. v. 13. & 1. Paral. cap. 16. v. 3. nec resistit Ambrosiaster : sic enim scribit cit. Commentario de Melchisedecho : *Hujus ordinem sacrificii justissimus Rex per similitudinem instituit quando panis & vini fructus Domino obtulit.* 3. Particula, &, apud Hebræos nonnumquam sumitur pro, *nam*, &, *quia*, sic Gen. 20. *en morieris*, inquit Deus ad Abimelech Regem Geraræ, *propter mulierem quam tulisti, & ipsa* (id est, *quia ipsa*) *habet virum.* Psalm. 42. *non avertas faciem*

faciem tuam à me, & similis, (id est, *quia similis*) *ero descendentibus in lacum.* 4. Apostolus expressè monet cap. 5. ad Hebræos, se grandiora & difficiliora de Melchisedecho prætermittere: *de quo*, inquit vers. 11. *nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Cap. tamen 13. v. 10. subobscure perstringit quæ pertinent ad sacrificium incruentum, quæque reservavit Corinthiis laudato cap. 10. epist. 1. *habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* 5. Denique omnes veteres tam unanimi consensu agnoscunt Christum Dominum in eo fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, quod, sicut ille, panem & vinum obtulerit, ut dubitare non liceat eos tradere quod ab Apostolis acceperant. Ex innumeris paucos appellabimus.

S. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum circa finem, sic habet: *Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.*

S. Cyprianus epist 63. expendens illud Psal. *tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, ait, *qui ordo utique hic est de sacrificio descendens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi panem & vinum obtulit . . . nam qui magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.*

Eusebius Cæsariensis, qui sedit in Concilio Nicæno ann. 325. l. 5. Demonstrationis Evangelicæ cap. 3. *Christus*, inquit, *Melchisedech ritu ea, quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos*

suos ministros perfecit. Nam quemadmodum ille, qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, vino solo & pane, dum ipsi Abrahæ benedixit; ita primus Salvator, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus spirituale Sacerdotii munus obeuntes vino ac pane corporis illius, ac salutaris sanguinis mysteria repræsentant. Quid clarius? Quare in hanc rem

S. Augustinus lib. 1. contra Adversarium legis cap. 2. ad illud Psalmi, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm*, &c. ait, *Noverunt qui legerunt quid protulerit Melchisedech. Vident nunc tale sacrificium offerri Deo toto orbe terrarum; Dei autem juratio est incredulorum increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutavit quippe Sacerdotium secùndum Ordinem Aaron.* Similia tradit lib. 16. de Civitate Dei cap. 22. & lib. 17. cap. 17. Animadvertant autem Adversarii ex textu Eusebii, Patres ita asserere sacrificium Christianæ Religionis esse spirituale, ut non excludant signa corporalia, & proprietatem sacrificii strictè sumpti.

S. Hieronymus epist. 26. eadem docet, additque hanc fuisse sententiam Martyris Hyppoliti, S. Irenæi, Apollinarii.

3. Malachias cap. 1. sacrificium Missæ clarè prædixit his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.*

Frustra Novatores tam apertum vaticinium detorquere conantur, vel ad eleemosynas, & alia bona

bona opera, vel ad cruentum Crucis sacrificium, namque Patriarcharum bona opera semper Deo placuerunt, nec abrogata sunt, ut alia succederent: præterquamquod in principiis Adversariorum, bona opera non possint etiamnunc dici oblatio munda, utpote qui doceant omnia esse peccato infecta, & reputari coram Deo quasi pannum menstruatæ. Deinde oblatio, de qua Malachias, frequentanda est in omni loco apud gentes, sacrificium verò Crucis semel tantùm Jerosolymis est peractum. Deinde Traditio Apostolica hanc Prophetiam constanter retulit ad Missæ sacrificium.

S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, *de nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ jam tum locutus Malachias prædixit.* A quo verò S. Justinus hanc doctrinam didicit, nisi ab Apostolis? qui, si non cum ipsis, saltem cum eorum discipulis conversatus est; scripsit enim circa annum 150.

S. Irenæus S. Polycarpi Discipulus, l. 4. c. 32. *eum, qui ex creatura est, panem accepit, & novi Testamenti docuit novam oblationem, de quo & in duodecim Prophetis Malachias sic præsignavit, non est mihi voluntas in vobis.* Ibi panis est nova oblatio novi Testamenti, non preces, non incensum, licèt illam comitentur, dicanturque à Tertulliano lib. 4. contra Marcionem cap. 1. Sacrificium mundum. Offertur ab omnibus, quia ex dictis sacrificium fit nomine totius Ecclesiæ, sed per Ministrum deputatum & consecratum.

S. Chrysostomus in Psal. 39. locum Malachiæ tractans ait, *vide quàm luculenter atque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.*

Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 35. sic habet: *hoc sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech in omni loco, à Solis ortu usque ad occasum Deo jam videant offerri: sacrificium Judæorum, de quibus dictum est mihi voluntas in vobis, jam cessasse negare non possunt.*

Mitto alios Patres, ut Hieronymum, Theodoretum in 1. Malachiæ, & Joannem Damascenum lib. 4. de fide cap. 14. qui eodem sensu prophetiam intelligunt.

Dices, in vero sacrificio debet fieri immolatio, seu destructio victimæ: atqui in Missæ sacrificio nulla est immolatio: Ergo.

Nego minor. Ejus autem falsitas patebit ex capite sequenti.

CAPUT V.

In quo sita est Sacrificii Missæ essentia?

Imprimis notandum est litem propriè nullam hic esse Catholicos inter & Novatores, sed gravem controversiam existere in Schola, in qua parte Missæ sita sit Sacrificii essentia.

Certum est Missæ Sacrificium non consistere in Liturgiæ parte, quæ est ab Ecclesia instituta; quia Sacrificium Missæ ex dictis est divinitus institutum. Ergo ejus essentia non est reponenda in iis, quæ sunt institutionis humanæ, qualis est Missa Catechumenorum.

Controversia itaque solum esse potest inter Theologos circa ea quæ in Missa sunt institutionis divinæ, talis est consecratio, &, ut multis videtur, Communio Sacerdotis.

Circa consecrationem autem plura quæri possunt. Primum, utrum conversio panis & vini præcise sumpta, habeat rationem veri Sacrificii; est enim realis mutatio, & quædam destructio panis & vini, ad quam Ecclesia videtur respicere, cùm per celebrantem ita precatur, *suscipe, sancte Pater . . . hanc immaculatam hostiam*, &c. quæ non nisi de pane transmutando, quem offert Sacerdos, intelligi videntur. Secundum, utrum consecratio, quatenus ponit corpus & sanguinem Domini sub speciebus panis & vini, sola habeat rationem sacrificii? an Communio, in qua Christus amittit esse sacramentale, sit ei necessario adjungenda? Tertium, an salvetur ratio sacrificii in consecratione unius speciei? quæ quidem Scholæ quæstiones, diversas inter Theologos, & oppositas pariunt sententias.

Nec dicant Novatores, vel ex ipsa opinionum veritate, qua inter se pugnant Catholici, certò colligi Missæ sacrificium esse figmentum humanum. Namque 1. si valeret consequentia, rectè concluderent Ariani & Sociniani, processionem Filii in divinis non esse veram regenerationem ex substantia Patris; quia Catholici non conveniunt in explicanda ineffabili illa generatione: Baptismum & Eucharistiam non habenda à Novatoribus pro veris Sacramentis, utpotè qui variè opinentur, & circa materiam Baptismi, & circa naturam Eucharistiæ, affirmantibus aliis esse meram figuram corporis Domini, aliis virtutem ejus spiritualem, aliis ipsummet corpus. 2. Duo certissima sunt apud Catholicos, quæ evincunt dogma de existentia Sacrificii Missæ apud eos esse firmum & inconcussum.

Primum,

Primum, in Liturgia, ſeu in ordine Miſſæ contineri & obſervari omnia, quæ neceſſaria ſunt ad rationem Sacrificii propriè dicti, quod nec ipſi Adverſarii diſſitentur. Unde Lutherus cenſuit non retinendam, niſi Miſſam Catechumenorum. Sic in ritu adminiſtrandi Sacramenta Confirmationis, Ordinis, & Matrimonii, Catholici adhibent quidquid pertinet ad eſſentiam Sacramenti, quamvis diſſentiant, ubi deſignandum eſt quid in quolibet ritu ſit eſſentiale, quid verò accidentale. Secundum, conſecrationem eſſe Sacrificio eſſentialem: de ea enim potiſſimum intelligenda Chriſti verba ad Apoſtolos: *Hoc facite in meam commemorationem*, & alia momenta, quæ capite præcedenti protulimus pro exiſtentia Miſſæ Sacrificii. Sed ubi explicandum eſt, quo ſenſu conſecratio habeat rationem ſacrificii; quia id non fuit expreſſe revelatum, ſed ex aliis revelatis, cum quadam obſcuritate colligendum: hinc in Schola naſcitur ſententiarum diverſitas: quæ autem ſit præferenda, quæſtio eſt, cui nunc ſatisfaciendum ſequentibus reſponſionibus. Itaque

R. Primo, neque in oblatione panis & vini, neque in eorum immutatione præciſe ſumpta, conſiſtit eſſentia Sacrificii Miſſæ.

Probatur: Eſſentia ſacrificii Miſſæ in hujusce rei oblatione & immutatione reponi debet, quæ eſt ſacrificii victima: atqui panis & vinum nullatenus ſunt victima Sacrificii Miſſæ: ergo in eorum oblatione & immutatione nullatenus reponi debet eſſentia Sacrificii Miſſæ.

Major certa eſt; quia tota ratio & eſſentia Sacrificii conſiſtit in oblatione, & immutatione victimæ.

Minor probatur tum ex Scriptura, 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, quod extendendum ad Sacrificium incruentum docent S. Chrysostomus, Beda, & alii in cap. 22. Lucæ ad illa verba, *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur:* tum ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *in divino hoc Sacrificio ...... idem ille Christus continetur, & incruente immolatur.* Tum ex sanctis Patribus, S. Ambrosio c. 1. Lucæ, *cum sanctificamus, Christus adest, Christus immolatur:* S. Gregorio Nysseno orat. 1. Paschali, *arcano Sacrificii modo idem est Sacerdos & Agnus.* Tum denique quia vel panis & vinum essent tota sacrificii victima, seu hostia, vel pars illius: atqui neutrum dici potest. Non primum, tum quia certum est ex dictis Christum esse Sacrificii victimam: tum quia Sacrificium Religionis Christianæ non esset præstantius Sacrificiis veteris legis, in quibus Deo offerebantur agni & boves, qui sunt aliquid præstantius pane & vino. Non secundum, quia sancti Patres, ut Chrysostomus hom. 7. in Epistola ad Hebræos, & Augustinus Epistola 120. docent sacrificii cruenti & incruenti esse eandem hostiam: atqui panis & vinum non sunt in Cruce oblata, nec immolata: Ergo.

Nunquid saltem species panis & vini pertinent ad hostiam Sacrificii Missæ?

R. Pertinent per modum conditionis, ut scilicet sit victima sensibilis, & offeratur secundùm ordinem Melchisedech, hoc est, sub symbolis panis & vini, non verò per modum partis; quia ex dictis Christus est tota sacrificii victima.

Dices, species panis & vini ex dictis in prima parte, pertinent ad rationem Sacramenti: ergo ad rationem Sacrificii.

Nego

Nego conseq. Disparitas est, quod Sacramentum essentialiter est signum sensibile gratiæ producendæ, & quidem per se efficaciter, si sit Sacramentum novæ legis : atqui species panis & vini, ut diximus, significant, (non quidem sine corpore & sanguine Christi) gratiam nutritivam : ergo & eam producunt, ac proinde pertinent ad substantiam Sacramenti. At sacrificium non consistit nisi in oblatione & immolatione victimæ sensibilis in signum supremi Dei dominii, & nostræ ab eo dependentiæ. Porrò species nec offeruntur, nec immolantur : ergo non sunt de substantia victimæ, nec proinde sacrificii : sed meræ sunt conditiones, sine quibus victima non esset sensibilis, nec sacrificium posset sensibiliter offerri. Oblatio itaque consecrationem præcedens, est solummodo præparatoria remotæ sacrificii materiæ, quam Sacerdos vocat immaculatam hostiam, quia sub illius speciebus ponendus est Christus, ad quem Sacerdos respicit.

Instabis : Illud est de essentia alicujus rei, sine quo res illa nec esse, nec concipi potest : atqui sine speciebus exterioribus victimæ, sacrificium propriè dictum nec esse, nec concipi potest : Ergo.

Distinguo maj. Sine quo tanquam parte essentiali, & primo principio ejus operationis, Conc. Sine quo tanquam conditione, sine qua non, Nego major. Namque homo nec esse, nec concipi potest sine unione animæ & corporis. Et tamen illa unio non est pars naturæ & essentiæ hominis ; quia unio non est in homine primum principium ejus operationum : porrò nec accidentia agni in veteri lege, nec species panis & vini in nova censeri possunt consecratio,

 in

in qua consistit supremus Dei cultus: quod evidentius cernitur in speciebus Eucharisticis, quæ nec sunt pars victimæ, nec offeruntur, nec ullatenus immutantur.

R. Secundò, communio Sacerdotis non est pars essentialis sacrificii Missæ, sed solum integrans.

Prima pars probatur, tum quia ex dictis cap. præcedenti, certum est Christum Dominum obtulisse sacrificium in ultima cœna: at non ita certum est ipsum sacramentaliter communicasse, quamvis communis sit sententia quòd fuerit in illa cœna cibus & conviva: tum quia actio sacrificativa est propria Sacerdotis: atqui communio talis non est; nam & laici communicant, & Diaconi tanquam Ministri extraordinarii Eucharistiam distribuunt: ergo.

Dices: Ad sacrificium necesse est ut Sacerdos de victima participet. Hinc dicitur cap. *Relatum*, de consecr. dist. 2. *quale erit sacrificium, cujus neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et S. Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. docet sacrificium Christianorum esse manducare panem.

Nego antec. Nam holocaustum erat apud Judæos præstantissimum sacrificium, cum tamen hostia integra igne absumeretur. Ex cap. autem *Relatum*, ad summum colligitur communionem esse integrantem sacrificii partem; unde potuit dici à S. Augustino sacrificium Christianorum.

Instabis 1. Sacrificium Missæ est holocaustum: ergo hostia in eo totaliter debet consumi. Hoc autem non fit, nisi in communione: Ergo.

Respondeo 1. Alius contra sic concluderet. In holocausto nulla pars victimæ cedebat in usum Sacerdotis: ergo in Sacrificio Missæ Sacerdos non debet hostiam sumere.

Respon-

Respondeo 2. Distinguendo anteced. Holocaustum, secundùm etymologiam & vim nominis Græci, quod significat totalem combustionem, item secundùm ritum Aaronicum, est totalis victimæ consumptio, Conc. Secundùm acceptionem & usum nominis, Nego antecedens: Namque sacrificium crucis fuit perfectum holocaustum, quamvis in eo corpus Christi non fuerit penitus igne consumptum. In eo itaque holocaustum præcisè distinguitur ab aliis sacrificiis, quod offeratur in signum supremæ Dei Majestatis & dominationis, perfectæque ab ea nostræ dependentiæ: alia vero sacrificia sint ad colenda ejus attributa, scilicet misericordiam, seu beneficentiam, justitiam, & bonitatem. Beneficentiæ respondet sacrificium Eucharisticum: justitiæ placandæ propitiatorium: bonitati à qua beatitudinem speramus, impetratorium. Hæc omnia Religionis officia perfectè implentur per sacrificium cruentum & incruentum novi Sacerdotis, qui surrexit secundum ordinem Melchisedech. Ex quo sequitur Sacrificium Eucharistiæ complecti quatuor species distinctorum sacrificiorum apud Judæos, esseque holocaustum seu latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium, ut observat sanctus Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 20. ubi sic scribit: *Id Sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, propter quod etiam vocem illam ejusdem Mediatoris agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti: Corpus autem perfecisti mihi: quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.* Hinc à Trident. Concil. sess. 22. cap. 1. dicitur omnium sacrificiorum naturæ & Legis consummatio, & perfectio.

Instabis 2. Post consecrationem fit commemoratio, seu oblatio pro defunctis. Ergo tunc nondum perfectum est sacrificium, sed solum inchoatum.

Distinguo conseq. Nondum perfectum integraliter, Transeat: Nondum perfectum essentialiter, Nego conseq. Namque fit commemoratio æque pro vivis ac defunctis; & ante consecrationem, & post consecrationem. Omnes igitur illæ orationes vim habent tantum ex opere operantis, & per modum impetrationis; consecratio vero ex opere operato.

Quod objicitur, solam communionem repræsentare sepulturam Domini, ac proinde essentialem esse partem sacrificii, nullius est momenti; nam sepultura nullatenus fuit pars sacrificii cruenti. Unde concesso anteced. Neganda est conseq.

Secunda pars responsionis, nempe communionem pertinere ad integritatem sacrificii, probatur, quia in veteri lege sacrificia ab holocausto distincta, quæ pacifica dicebantur, sic fuerunt à Deo instituta, ut offerentes deberent fieri hostiæ participes. Quòd autem Christus Dominus tale instituerit suum incruentum sacrificium, patet tum ex verbis ipsius, *hoc facite in meam commemorationem*, quæ Apostolus 1. Cor. 11. extendit ad communionem; tum ex Traditione Ecclesiæ, quæ vult, ut, si contingat celebrantem repentino morbo corripi ante sumptionem utriusque speciei, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramque speciem sumat, ut perficiatur sacrificium, ait S. Thomas quæst. 83. art. 3. ad 6. quod arguit communionem celebrantis non solum esse præcepti divini, sed etiam pertinere ad integritatem sacrificii;

nam

nam ad administrandum viaticum, quod est præcepti divini, in periculo mortis, Ecclesia non permittit Sacerdotem non jejunum conficere. Hinc capite *Comperimus*, de consecratione distinct. 2. dicitur immane esse sacrilegium, si celebrans utramque non sumat speciem. Et capite *Relatum*, *quale erit sacrificium, cujus neque sacrificans particeps esse dignoscitur?* Quæ verba innuunt celebrantem alterius sacrificii hostiam sumere non posse, servata, quam recens obtulit: quod si appareret veneno infecta, monent Rubricæ aliam esse consecrandam. Propterea novis Sacerdotibus, qui in die Ordinationis suæ cum Episcopo concelebrant, communio juxta Pontificale distribui debet ex præsenti sacrificio, non ex pyxide, in qua asservantur hostiæ olim consecratæ.

Fideles, qui præsentes adsunt Missæ Sacrificio, tenenturne jure divino oblationis participes fieri? namque & illi offerunt per Sacerdotem, tanquam per Ministrum publicum.

R. Affirmant Lutherus & ejus asseclæ, probantque 1. ex Scriptura Lucæ 22. ait Dominus, *hoc facite in meam commemorationem:* atqui distribuit astantibus, ne quidem Juda excepto: Ergo. Unde Apostolus 1. Corinth. 11. reprehendens Corinthios, qui non communiter Cœnam celebrabant, *jam*, inquit, *non est Dominicam Cœnam manducare. Hic certè locus*, ait Kemnitius, *tanquam fulmen prosternit privatas Pontificiorum Missas, in quibus solus Sacerdos celebrans sacramentaliter communicat.* 2. Ex S. Chrysostomo, qui homil. 3. in epist. ad Ephes. Fideles, qui mysteriorum non sunt participes, increpat his gravissimis verbis: *Quisquis mysteriorum consors non est, impudens & improbus astat ....*

annon satius fuerit, eum qui talis est, prorsus non comparuisse?

Verùm contra ejusmodi fulmina, non ex Scripturis, sed è Kemnitii cerebro emissa veritas Catholica stat inconcussa, nempe Fdeles Missæ assistentes, non teneri præcepto Divino sacramentaliter communicare; nec proinde illicitas esse Missas, in quibus solus Sacerdos sit hostiæ sacramentaliter particeps. quod ultimum fide credendum sanxit Concil. Trident. can. 8. sess. 22. his verbis: *Si quis dixerit, Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.*

Probatur. Præceptum divinum extat vel in Scripturis, vel in Traditione divina: atqui præceptum, de quo agitur, neque in Scripturis, neque in Traditione extat: ergo merè fictitium est.

Minor probatur,

Quoad Scripturas, siquidem nullam hactenus proferre potuerunt Adversarii. Namque, ut demus illis Lucæ 22. præcipi Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, ex victima non solùm comedere, sed etiam aliis distribuere, an propterea ministrabunt indignis contra Domini præceptum Matth. 7. *Nolite dare Sanctam canibus*, vel etiam (si S. Hilario credamus,) contra Domini exemplum, qui Judam proditorem ad convivium Eucharisticum non admisit? Scio alios Patres contrarium docere: saltem habemus sanctum Hilarium, (cujus scripta inoffenso pede percurri posse testatur Hieronymus,) non existimasse sacrificium illicitè offerri, nisi astantes sacramentaliter communicent. Quid si nolint communicare? an ex illo Lucæ textu Sacerdotes à sacrificio debent absti-

abſtinere ? Ridicula eſt illa conſequentia. Ad ſummum colligere licet Sacerdotum eſſe hortari & urgere Fideles, ut altaris fiant participes, quod hodie præſtant Paſtores verbis iiſdem, quibus olim S. Chryſoſtomus ab Adverſariis laudatus. Sed in hypotheſi quòd non audiuntur, non ceſſant offerre, ſicut nec Adverſarii probare præſument S. Chryſoſtomum ceſſaſſe : *Rogo vos*, inquit, *non ut non adſitis, ſed ut præſentiæ & habitu vos reddatis dignos*; cùm vix ſemel aut bis per annum communicarent, ut ipſe advertit.

Textus Apoſtoli, quo ambitiosè gloriatur Kemnitius, nullatenus attingit Euchariſtiam, ſed cœnam communem, in qua omnes fideles ſimul accumbebant pauperes cum divitibus, atque ideò Agape, hoc eſt, convivium charitatis nuncupabatur. Cùm autem Corinthii divites ſeorſim lautè epularentur, excluſis pauperibus, hunc abuſum reprehendit Apoſtolus, dicitque, jam non eſſe Dominicam Cœnam manducare, id eſt, Dominum imitari, qui præter cœnam legalem & Euchariſticam, aliam communem cum Apoſtolis celebravit. Hic ſenſus planus eſt, & legenti obvius. Unde videas quàm impudenter Pſeudo-Reformati Scripturis abutantur ad incautos decipiendos.

Quoad Traditionem, eadem minor probatur, non ſolùm negativè, ſed etiam poſitivè; multa ſiquidem tradunt ſancti Patres, & Concilia, quæ fulciunt doctrinam Catholicam, nihil verò quod patrocinetur Pſeudo-Reformatorum errori. Canon 9. eorum, qui ſub nomine Apoſtolorum circumferuntur, ſtatuit Clericos excommunicandos, ita tamen ut qui facta oblatione, non communicaverint,

caverint, si causam non communicandi dixerint, *quæ rationabilis fuerit, veniam consequantur.* Ex S. Chrysostomo hom. 67. ad populum, Diaconus Communionis tempore, *terribili clamore, quasi quidam præco, manum in altum tollens, clamabat, Sancta Sanctis; si quis non sanctus, non accedat.* Ergo non omnes urgebantur ad Communionem. Concilium Agathense anno 511. vult omnes Fideles adesse Missæ Sacrificio singulis diebus Dominicis, communicare verò ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste. Denique semper licitum fuit pluribus interesse Sacris eodem die, atque in eam rem idem Sacerdos in Natali Domini ter Missarum solemnia celebrabat, ut testatur S. Gregorius, qui sedit sexto sæculo; prohibitum vero fuit laicis sæpiùs eodem die Sacramentum sumere. Ergo ex Traditione constat Fideles, qui in Ecclesiam conveniunt, præcepto divino non teneri Eucharistiam percipere, nec illicitas esse Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat.

Cæterum ponderanda sunt hæc Concilii Tridentini verba cit. sess. 22. cap. 6. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Hoc Ecclesiæ votum Eucharistiæ institutioni convenire docuimus cap. 21. primæ partis hujus Tractatus. Sed & illud prætereundum non est, Concilium ibi supponere fideles astantes teneri saltem spiritualiter communicare, hoc est; amore sic affici ad Christum, ut in illo maneant, & propter illum vivant, quemadmodum supra dictum est.

Enim-

Enimverò ad sacrificium non conveniunt Fideles, quasi ad spectaculum, sed ut suas partes agant. Quæ autem debet esse eorum actio, nisi ut per Sacerdotem, tanquam Ministrum publicum, Christum offerant sub speciebus panis & vini? Porrò sacrificium visibile signum est veri sacrificii, ex S. Augustino supra, hoc est, sacrificii interioris, quo anima mundo moritur, ut Deo vivat. Fideles ergo fictè visibile & tremendum Religionis Christianæ sacrificium offerunt, nisi per amorem una hostia cum Christo effecti se se Deo spiritualiter immolent. Hæc est necessaria sacrificii integritas, & spiritualis communio. Sed adhuc insoluta manet proposita quæstio, in qua Missæ parte sita sit essentia sacrificii. Quare

R. Tertiò, tota Sacrificii incruenti essentia in sola consecratione consistit. Hæc responsio sequitur ex præcedentibus; namque ex dictis sacrificii essentia non consistit in aliis Missæ partibus: ergo tota est in consecratione. Sed ulterius

Probatur 1. ex sanctis Patribus, S. Irenæo lib. 4. cap. 32. *Christus dicendo, hoc est, corpus meum, docuit novam novi Testamenti oblationem.* S. Chrysostomo hom. de proditione Judæ, *Verbum Domini, hoc est corpus meum, usque ad mundi consummationem præstat sacrificio firmitatem.* S. Gregorio lib. 4. Dial. *Quis nescit ipsa immolationis hora ad vocem Sacerdotis cælum aperiri?*

Probatur 2. ratione: in ea actione perficitur sacrificium, quæ est Sacerdotis propria, in qua & Sacerdos agit nomine Christi, qui est principalis offerens, ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & fit repræsentatio cruenti sacrificii: atqui talis est consecratio; nam ex omnibus Missæ partibus

tibus sola jure divino est propria Sacerdotis, in ea sola Sacerdos, tanquam Christi minister, loquitur in ejus persona, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*; quæ verba tanquam à Christo proferri intelliguntur: in ea denique sola passio repræsentatur: ergo in ea sola sita est sacrificii essentia.

Utrùm verò consecratio utriusque speciei ad essentiam sacrificii pertineat? non conveniunt Theologi.

Negant alii, nituntur que 1. auctoritate sancti Bernardi, qui in epist. 69. respondet Sacerdotem, qui post consecrationem in decursu Liturgiæ, advertit aquam solam infusam fuisse in calice, non teneri infundere vinum, & consecrare. 2. Quia vera est consecratio panis sine consecratione calicis: atqui in vera consecratione panis Christus offertur; nam ponitur in altari tanquam victima, immolatur quoque, & cruentum Crucis sacrificium repræsentatur, cùm vi verborum corpus ejus sistatur sine sanguine, ac proinde mortuo modo, & quale erat, cùm in Cruce expiravit. Ergo consecratio calicis non pertinet ad essentiam sacrificii, sed tantùm ad ejus integritatem.

Communior tamen sententia est consecrationem utriusque speciei esse de sacrificii essentia: tum quia utramque Christus instituit: tum quia sicut in Baptismo debet fieri expressa Trinitatis professio; quamvis baptizando in nomine Dei aut Jesu Christi, tres personæ intelligantur; sic in sacrificio Missæ requiritur clarissima Passionis repræsentatio, qualis non est si repræsentetur solum Christi corpus exangue. Nec mirum quòd S. Bernardus sic responderit, cùm res nondum esset elucidata

cidata ab Ecclesia, quæ tandem præscripsit in illa hypothesi calicem, infuso vino, esse consecrandum. Quod verò refert Vollateranus, Innocentium VIII. cum Norvegis dispensasse, ut calix absque vino consecraretur, fictitium est; qualis enim consecratio calicis absque vino?

CAPUT VI.

Quomodo in consecratione intelligitur veri Sacrificii essentia?

Duo ad sacrificii propriè dicti essentiam requiruntur, oblatio scilicet, & immolatio victimæ sensibilis.

Certum est apud omnes Theologos in consecratione esse veram oblationem; quia eo ipso victima Deo offertur & consecratur, quod ad altare immolanda adducitur. Atqui per consecrationem Christus Dominus, tamquam verus Agnus & victima per species panis & vini sensibilis sistitur in altari: Ergo per consecrationem verè offertur.

Sed non conveniunt Theologi, qua ratione dici possit Christum in consecratione immolari. Etenim *jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*, Rom. 6.

Alii benemulti docent Christum hoc ipso immolari, non quidem cruentè, sed mysticè, quo vi verborum consecrationis corpus ejus sine sanguine ponitur sub speciebus panis, & sanguis sine corpore sub speciebus vini, licèt per concomitantiam utrumque sub qualibet specie actu & de facto contineatur, ut supra demonstravimus; namque ajunt illi, in hypothesi quòd durante lege

ge veteri, Agnus per Sacerdotem accepiſſet vulnus lethale, & per ſe efficax ad fundendum ejus ſanguinem, verè immolatus fuiſſet Agnus, quamvis Deus per miraculum ſanguinem in venis hoſtiæ continuiſſet, vitamque ejus conſervaſſet: atqui ita res ſe habet in hoc myſterio; nam Sacerdos per verba conſecrationis tanquam per glaudium ſpiritualem ſeparet ſanguinem à corpore & viciſſim (verba enim id tantùm operantur, quod ſignificant) licèt Deus per ſuam omnipotentiam impediat, ne iſta ſeparatio actu & de facto contingat: ergo in conſecratione vera fit immolatio, ſed myſtica.

Nec dicas, conſecrationem eſſe actionem productivam, ſeu adductivam corporis & ſanguinis Chriſti Domini, ac proinde non eſſe deſtructivam, cùm contradictorium ſit eandem actionem eſſe productivam ſimul & deſtructivam. Diſtinguendum enim eſt conſequens. Ergo non eſt deſtructiva rei jam præexiſtentis, Conc. Rei ponendæ, Nego conſeq. Nam ex Tertulliano, homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, id eſt, abortum procurare. Ergo hoc ipſo, quo Sacerdos, quantùm in ſe eſt, ponit corpus exangue, cenſetur deſtruere aliquod eſſe quod erat ponendum, nempe corpus vivens.

Hic explicandi modus exhibet quidem veram immolationem myſticam, quæ ſufficit ad ſacrificium propriè dictum. Sed aliis Theologis videtur ſubtilior, nec ſatis fundata in Scriptura, aut Traditione, ut dicatur Chriſtum in ea repoſuiſſe incruenti eſſentiam Sacrificii. Quare

Altera ſententia negat ullam fieri immolationem in conſecratione, ſed contendit in ea offerri, ſub

ſub ſpeciebus panis & vini Chriſtum Dominum jam in Cruce immolatum, idque ſufficere ad perfectam rationem ſacrificii commemorativi. Ut autem probetur illa ſententia,

Advertendum eſt, cùm ſacrificium non habeat, niſi eſſe morale, ad ejus eſſentiam & exiſtentiam non requiri, ut partes ejus, ſcil. oblatio & immolatio phyſicè conjungantur; ſed ſufficere unionem moralem, quæ fit per intentionem offerentis. Hoc cernere eſt in ſacrificiis veteris legis, in quibus mactatio aliquo tempore interdum præcedebat oblationem, alias ſubſequebatur; nam Levitici 16. duo hirci ad expianda populi peccata aſſumuntur, quorum unus primo loco mactatur, dehinc Summus Pontifex oblaturus ejus ſanguinem, ingreditur Sanctuarium. Alter verò priùs offertur vivens, tum emittitur periturus in deſerto. Similiter Chriſtus Dominus ingrediens mundum, ſeipſum Deo obtulit his Pſalmiſtæ verbis: *Quia hoſtias .... & holocautomata pro peccato noluiſti..., tunc dixi, ecce venio*, Hebr. c.10. In ultima quoque cœna, oblato agno legali, ſeipſum verum Agnum ſub ſpeciebus panis & vini Deo exhibuit, in Paſſione paulò poſt immolandum, ac denique poſt Reſurrectionem, ſervatis plagarum cicatricibus, aſſiſtens Summus Pontifex, per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta; id eſt, in cœlum, Hebr. 9. unamque pro peccatis offerens hoſtiam, ſedet in ſempiternum in dextera Dei, Heb. 10. verſ. 12. Ex his autem ſic argumentari licet.

In Sanctuario per Sacerdotes Aaronicos nulla fiebat immolatio, & nihilominus in figura Sacrificii Chriſtianorum verum offerebatur Sacrificium, quia oblatio ſanguinis victimæ præſupponebat, &

sensibiliter repræsentabat immolationem jam præteritam, & extra Sanctuarium factam: ergo ut apud Christianos veritas figuræ respondeat, quærenda non est in consecratione nova immolatio, sed sufficit oblatio victimæ, jam in Cruce immolatæ, & in altari sensibiliter positæ sub separatis speciebus panis & vini, in quibus repræsentatur effusio & separatio sanguinis à corpore, quæ in reali mactatione Agni immaculati præcessit.

Prætereà Christus Dominus, ex dictis, tam in Ecclesia, quàm in cœlo manet in æternum Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; quatenus utrobique non cessabit seipsum offerre. Ergo cùm in cœlo, quò ingressus est in proprio sanguine, (quemadmodum Aaron ingrediebatur Sanctuarium in sanguine alieno,) non iterum immolet seipsum, sequitur ad officium hujusce Sacerdotii necesse non esse, ut semper fiat nova immolatio; sed satis esse, si victima semel in cruce mactata, semper offeratur, sive in cœlo, sive in terra.

Confirmatur: Sacrificium crucis, & sacrificium altaris sunt unum & idem sacrificium, differuntque solùm in modo offerendi: atqui non esset unum & idem sacrificium, nisi esset eadem immolatio: ergo in sacrificio Missæ nova non est immolatio.

Major probatur tum ex sanctis Patribus, tum ex Concilio Tridentino.

S. Cyprianus epistol. 63. sic scribit: *Passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus: Passio enim Domini, sacrificium quod offerimus.*

S. Chrysostomus homil. 17. in Epist. ad Hebr. probat sacrificium Christianorum non esse diversum

sum à sacrificio crucis, quemadmodum Judæorum sacrificia; sed esse planè idem.

S. Ambrosius in Psal. 38. *Etsi*, inquit, *nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imò ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.*

Concil. Tridentiuum sess. 22. c. 2. sic docet: *Una .... eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa:* non ait mactatione, sed oblatione diversa.

Minor declaratur. Ad sacrificium propriè dictum, tria requiruntur ex dictis. Primum est mactatio victimæ sensibilis: Secundum, oblatio ejus exterior: Tertium, oblatio interior in offerente. Tertium illud requiritur quidem, ut sacrificium exterius sit acceptabile, sed non pertinet ad essentiam sacrificii: deestque nonnunquam ex parte Ministri, qui est minùs principalis offerens, sed semper adest, & quidem perfectissimè in Christo principali offerente. Unde Missæ sacrificium per se placet, & est semper Deo acceptissimum, *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, ex Conc. Tridentino cit. sess. c. 1. At duo priora adeò necessaria sunt ad rationem Sacrificii propriè dicti, ut sine alterutro stare non possit; sed primum & præcipuum locum obtinet immolatio victimæ: tum quia est differentia essentialis, per quam sacrificium essentialiter distinguitur ab aliis oblationibus: tum quia per eam præcisè significatur supremum Dei dominium, nostraque ab eo omnimoda dependentia, & eatenus est signum determinatum supremi cultus, qui latria dicitur.

Porrò ex iis deducitur unitatem sacrificii repetendam, non ex unitate oblationis exterioris, quæ pluries in eodem sacrificio potest iterari, sed ex unitate immolationis ejusdem victimæ; namque si eadem victima semel mactata divinitus reviviseret, ut iterum mactaretur, in illa hypothesi non esset unum sacrificium, sed duplex; quia esset duplex mactatio, & duplex signum exterius nostræ à Deo dependentiæ. Hinc Apostolus Hebr. 9. v. 25. & seqq. concludit Christum uno sacrificio consummasse sanctificatos, ex eo quòd semel sit mortuus & mactatus, *alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, nempe si pluries immolandus fuisset, quemadmodum in veteri lege nova quotidie fiebat victimarum immolatio.

Dices 1. Ergo sacrificia Judæorum eadem fuerunt cum sacrificio Crucis, quod in illis exprimebatur; unde Christus dicitur Apocal. 13. Agnus occisus ab origine mundi.

Nego conseq. Quia in illis sacrificiis victimæ aliæ mactabantur in signum quidem futuri sacrificii, tum cruenti, tum incruenti.

Dices 2. ex S. August. epist. 23. *Christus semel immolatus est in seipso: in Sacramento omni die populis immolatur.* Ergo in sacrificio Missæ est alia immolatio ab immolatione Crucis.

Distinguo conseq. Alia immolatio mystica, quæ dicitur à sancto Doctore immolatio in Sacramento, hoc est, in signo, nam Sacramentum, inquit sacrum signum est, Conc. Immolatio realis ad sacrificium propriè dictum necessaria, Nego conseq. Itaque omnes Theologi agnoscunt in consecratione immolationem mysticam, sine qua

Missa

Missa non esset sacrificium propriè dictum, qualis qui ex præsanctificatis celebratur die Parasceves. Sed quæstio est utrùm illa immolatio mystica per se, & sine ordine ad cruentam Crucis immolationem sufficiat ad rationem veri Sacrificii. Et hoc negat posterior sententia.

CAPUT VII.

De causa finali Sacrificii Missæ.

Q. *Cum Missæ sacrificium sit idem cum sacrificio crucis, cur debuit institui?*

R. Quadruplici de causa, ut colligere est ex Conc. Tridentino sess. 22. cap. 1.

Prima ducitur à necessitate sacrificii exterioris in hominum societate, ut probavimus cap. 3.

Secunda ab imperfectione sacrificiorum legis, tum naturæ, tum scriptæ, per Religionem Christianam expungenda.

Tertia, à grata memoria, quæ inter Christianos debet esset continua passionis & mortis Redemptoris nostri.

Quarta, ab uberrimo Passionis fructu, qui per Missæ sacrificium, tanquam per canalem ad nos defluit. Gravissimæ autem ejusmodi causæ hic breviter sunt exponendæ.

Circa primam, multa diximus c. 3. ubi ex professo demonstravimus sacrificium esse juris naturalis, ideoque veram Religionem sine eo non posse consistere. Sacrificium quidem Crucis tanquam proprium sibi vindicat Religio Christiana, utpotè quæ ex latere novi Adam in cruce dormientis educta sit; nova viventium verè mater. Sed

præter illud sacrificium, quod redemptionis meritò nuncupatur, cùm in eo Mediator Dei & hominum Christus Jesus pretium solverit plusquam sufficiens ad redimendum genus humanum; necesse fuit institui sacrificium Religionis, in quo fidelium pietas sese exerceret, exteriusque profiteretur latriæ cultum erga supremam Dei Majestatem, aliasque divinas perfectiones, sicut fusè exposuimus cit. cap.

Altera causa Missæ instituendæ, ab excellentia Christianæ Religionis ducta, sic declaratur. Quamdiu Christus Dominus egit in terris, id sibi potissimùm proposuit: *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam; quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus*, Ephes. cap. 5. v. 27. & c. 1. v. 23. Atqui Religionis excellentia petitur ex perfectione cultus, quæ in ea exhibetur Deo. Hinc rejecta est Synagoga, propter inutilitatem sacrificiorum ejus; *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*, Hebr. 7. Idipsum prædixerat Malachias cap. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Si ergo*, subsumit Apostolus cit. cap. 7. *consummatio per Sacerdotium leviticum erat .... quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem? .... Translato enim Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat.* Finis siquidem legis est cultus Dei, qui oblatione sacrificii consummatur. Ergo summa Christianæ Religionis excellentia requirit sacrificium præstantissimum, & superma Dei Majestate dignum.

Jam

Jam verò honos & cultus æstimantur, tum ex dignitate offerentis, tum ex magnitudine rei oblatæ: atqui omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, Isaiæ 40. v. 17. à fortiori quæcunque possunt offerre, cùm illa sint ipsis inferiora. Ergo necesse fuit ut surgeret Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui utrique defectui occurrit per sacrificium Missæ, in quo ipse est offerens & hostia. Sed audiatur S. Augustinus in Psalm. 109. ubi sic loquitur: *Quid inveniret homo quod daret? mundam victimam? quid mundum potest offerre peccator? ò inique! ò impie! quidquid attuleris, immundum est. Et si aliquid mundum pro te offerendum est; quære apud te, non invenies; quære extra te quod offeras; non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris. Offerat ergo seipsum mundus Sacerdos* (Christus Dominus) *ut mundet hoc quod Deus fecit. Felix victima, vera victima, munda victima, hostia immaculata.* De offerente verò talem victimam scribit lib. 10. de Civ. Dei cap. 20. *Sacerdos*, inquit, *est ipse offerens, ipse & oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit caput, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.* Nimirum, quia secundùm, doctrinam sancti Doctoris, quam in eo libro fusius explicat, sacrificium exterius est signum sacrificii interioris; ideoque fideles offerendo exterius sacrificium corporis & sanguinis Domini, seipsos cum Christo offerunt, tanquam unam & totalem hostiam Deo dignam, utpote infinitam, & quidem per ipsum, & in ipso, quia est principalis offerens etiam infinitè dignus.

Religionis itaque sacrificium in eo differt à redemptionis seu Crucis sacrificio, quod in Cruce

caput, hoc est, Christus sine Ecclesia, quæ est, corpus & plenitudo ejus, se solùm obtulerit; in societate verò Christianorum totus ipse, caput, simul & corpus, offeratur conjunctim per ipsum Sacerdotem magnum, & per fideles qui tanquam ejus membra participes sunt regalis & spiritualis ejus Sacerdotii, ut si holocaustum sit ex omni parte integrum, nihilque totalis victimæ remaneat, quod non igne ardentissimi amoris incendatur.

Hujusce admirabilis Mysterii symbolum S. Cyprianus epist. 63. agnoscit in mixtione aquæ cum vino sacrificii, namque aqua ex Apoc. 17. populus est, & vinum sanguis Domini. Aqua sola est plebs sine Christo, neutra separatim debet esse materia sacrificii; sed mixtio utriusque fit universale Ecclesiæ sacrificium Deo acceptissimum.

Tertiam Missæ instituendæ causam, nempe ut grato animo fiat commemoratio Passionis, & aliorum Dei beneficiorum, commendant tum Scripturæ, tum sancti Patres: *Hoc facite*, ait Dominus Luc. 22. *in meam commemorationem*, juxta quod scriptum est Eccl. 29. *gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Et Apostolus 1. Corinth. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Sanctus Augustinus quoque libro de Spiritu & litt. cap. 11. *Cultus Dei*, ait, *in hoc maximè constitutus est; ut anima Deo non sit ingrata.* Quid vero retribuemus Domino pro infinitis donis, quæ retribuit nobis? Gratitudo enim requirit, ut tantum referatur, quantum acceptum est. Per ipsum ergo offerimus hostiam

laudis

laudis semper Deo, Hebr. 13. vers. 15. nam ex S. Irenæo lib. 4. cap. 32. ne ingrati videremur, Christus instituit hujus sacrificii oblationem, in qua tantum rependimus, quantum accepimus, Christum scilicet, & nos totos cum ipso: *Quotidie immolatur in Ecclesia,* inquit sanctus Augustinus libro contra Judæos cap. 67. *quia in gratiarum actione perpetuò manere debemus.* Unde enim Deo majores gratiæ sunt exhibendæ, quam per Christum Dominum nostrum? *quod faciunt fideles Ecclesiæ sacrificio*, idem in Psal. 49. Hinc Missæ sacrificium maxime sibi vindicat nomen Eucharisticum ex omnibus, quæ ipsi conveniunt; & Sacerdos stans ad altare, alta voce graviter monet fideles his verbis, *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Post hanc vero astantium responsionem, *dignum & justum est*, subsumit, *Verè dignum & justum est*, &c.

Quarta hujus sacrificii causa, ut scil. auxilia & dona, quæcunque Mediator noster per mortem suam promeruit, impetrentur, constat ex omnibus liturgiis antiquissimis, ex Apologia 2. Sancti Justini, ex Apologetico Tertulliani, & ex aliis scriptis SS. Patrum, ubi legimus Ecclesiam semper consuevisse offerre illud sacrificium cum obsecrationibus, postulationibus, gratiarum actionibus pro omnibus hominibus, juxta Apostoli præscriptum 1. ad Tim. cap. 2.

Enimverò si absque sacrificii cruenti injuria, Christus Summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, cœlum ingressus est in proprio sanguine ut appareat vultui Dei, interpelletque pro nobis, Hebr. cap. 9. vers. 24. & c. 7. v. 25. dubitandum non est, quin idipsum præstet in hoc sacrificio, quod celebratur in memoriam Passionis ejus.

Dices: Per Sacramenta fructus Passionis Christi nobis sufficienter applicatur: Ergo frustra sacrificium.

Nego antec. Tum quia Sacramenta aliis non prosunt, quàm suscipientibus: tum quia adultos non disponunt, sed supponunt dispositos, aliàs non illos sanctificant, sed inquinant. At sacrificium pro omnibus offertur, omnibus prodesse potest, etiam infidelibus, & peccatoribus obstinatis, ut dicetur cap. seq. Ex his

Sequitur 1. Religionem Christianam per Missæ sacrificium supra cæteras eminere, quantum veritas figuram, corpus umbram præcellit.

Sequitur 2. Quæ debeat esse fidelium devotio, cùm ad Missæ sacrificium conveniunt, quæve mentis applicatio, nempe ut charitate Christo uniti, una totalis hostia efficiantur, atque per ipsum & cum ipso pari affectu se totos Deo immolent in testimonium suæ dependentiæ, gratitudinis, & pœnitentiæ pro peccatis; cùm enim sacrificium exterius sit signum sacrificii interioris, falsum & mendax darent signum, nisi hoc in se sentirent quod in Christo Jesu, iisdemque erga Deum moverentur affectibus, ut observat Petrus Blesensis epist. ad Richard. Episcopum: *Sacerdotem*, inquit, *hoc sentire oportet, quod in Christo Jesu, non solùm ut se per humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans, stigmata ejus portet in corpore suo, & in ara cordis seipsum Domino crucifigat. Verbum Salomonis est, sedisti ad mensam divitis, scito, quia eadem te præparare oportet. Et in Levitico Sacerdos pellem hostiæ retinet; quia ordo Sacerdotalis postulat, ut dum in mensa altaris hostiam immolat salutarem, quadam contritionis cruce hostiæ se conformet,*

met, *ejus veluti pelle indutus.* Quod autem de Sacerdotibus ſcribit, ad fideles extendendum eſt, qui una cum ipſo ſacrificium offerunt. Quam ergo deriſoria eſt eorum cæremonia, qui cum faſtu & arrogantia interſunt Miſſæ Sacrificio! quàm intempeſtivus eorum riſus, qui confabulantur eo tempore, quo per hoſtiam laudis, & propitiationis profitentur perfectam ſuam ſervitutem, animi dejectionem, uſque ad mortem, & intimum cordis dolorem ob peccata præterita! *Nam qui cuncta, quæ ſunt mundi, deſerunt*, inquit S. Gregorius homil. 12. in Ezech. *& totam mentem igne divini amoris accendunt, hi nimirum omnipotenti Domino ſacrificium & holocauſtum fiunt.*

Sed neſciunt plurimi quid faciant, negligentia & culpa Paſtorum, qui ovibus ſuis Myſterium illud, in quo præcipua & frequentior eorum debet eſſe actio, non aperiunt contra expreſſum Concilii Tridentini præceptum, his verbis conceptum, ſeſſ. 22. cap. 8. *Mandat ſancta Synodus Paſtoribus & ſingulis curam animarum gerentibus, ut .... inter Miſſarum celebrationem .... inter cætera, ſanctiſſimi hujus ſacrificii myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & Feſtis.*

CAPUT VIII.

Quinam ſunt Miſſæ Sacrificii effectus?

Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. hæc de virtute & efficacia Miſſæ ſacrificii docet. *Non ſolùm*, inquit, *pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, rite: juxta*

juxta Apostolorum Traditionem, offertur. Quæ verba, *& aliis necessitatibus*, cùm sint indefinita, ad omnia, quæ ad salutem possunt esse utilia, extendi debent. Quare ad propositam quæstionem

R. Primo, Missæ sacrificium est propitiatorium, valetque ad peccatorum veniam & satisfactionem. Propositio est de fide expresse definita can. 3. ejusdem sess. 22. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium . . . non* (esse) . . . . *propitiatorium . . . neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura Hebr. 5. *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur . . . ut offerat dona & sacrificia pro peccatis;* atqui Christus Dominus est Pontifex secundùm ordinem Melchisedech: ergo sacrificium, quod obtulit & offert in Ecclesia secundùm ordinem Melchisedech, est pro peccatis. Hinc Matth. 26. ait, *Hic est sanguis meus . . . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ Traditione.

S. Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 5. ait, *Christum pro peccatis nostris mactatum offeramus, & nobis eum, qui benignissimus est, propitium reddamus.*

Sanctus Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 48. *offert Christum seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.*

S. Augustinus q. 57. in Leviticum, *in multis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium signatur, in quo fit vera remissio peccatorum.*

Dices: ex Apostolo Hebr. 10. *voluntariè . . . peccantibus . . . jam non relinquitur pro peccatis hostia:* Ergo.

Dist.

Dist. ant. hostia alia ab ea quam Christus in cruce obtulit, Concedo: eadem, Nego ant. Porrò ex dictis eadem est sacrificii cruenti & incruenti hostia, quam Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech offerre non desinit.

Instabis: si per sacrificium Missæ habeatur remissio peccatorum sine labore peccatoris pro quo offertur, frustra sunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ. Ita Kemnitius.

Distinguo, si habeatur eodem modo, Concedo: si diverso, Nego.

Quomodo ergo per Missæ sacrificium remittuntur peccata?

R. In peccato duo sunt distinguenda, scilicet reatus culpæ, & reatus pœnæ temporalis sæpe remanens, dimissa culpa.

Reatus culpæ per Sacramenta immediatè remittitur, per sacrificium vero mediatè tantum, quatenus nempe intuitu hujus sacrificii Deus largitur peccatori gratias actuales, quibus movetur ad pœnitentiam, disponiturque ad Sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, per quod immediatè remissionem culpæ consequitur. Duo namque reconciliationi obstant; scilicet indignatio & ira personæ læsæ ex una parte: ex altera verò contentiosa lædentis malignitas; quare pacis conciliandæ mediator agere debet, 1. apud personam læsam, ut placata iram deponat; deinde apud eum qui læsit, ut culpam agnoscat, pœnitensque & supplex ad eum, quem offendit, accedat. Duo illa cumulatissimè præstat Mediator noster in Missæ sacrificio, 1. placat divinam justitiam per oblationem Sanguinis sui; 2. peccatori gratiam impetrat; quia nisi Deus misericorditer præveniat, nunquam

nunquam ad eum recurret ſupplex, nec à malitia recedet; quod ſatis non advertunt ejus Miniſtri, qui, ut peccatorem Deo reconcilient, vix ad Deum per preces recurrunt, cùm totùm opus ab ipſo pendeat; ſed peccatori unicè incumbunt monitionibus & adhortationibus. Non ſic Mediator noſter qui priùs Deum placare ſatagit, & eatenus ſacrificium eſt propitiatorium. Deinde ab ipſo gratias impetrat, quibus peccator moveatur ad pœnitentiam, quo ſenſu ſacrificium eſt impetratorium. Et hæc juxta doctrinam Concilii Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. *hujus quippe* (ſacrificii) *oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, ſcilicet quatenus per donum Pœnitentiæ ſacrificii intuitu conceſſum, peccator diſpoſitus ad Sacramenta accedit, in quo immediatè fit peccatorum remiſſio.

Reatus pœnæ temporalis per ſacrificium immediatè ſolvitur ſaltem ex parte. Nam ex dicendis Miſſæ ſacrificium legitimè offertur pro defunctis, qui cùm in ſtatu merendi non ſint, nihil conferunt ad illam pœnæ relaxationem. Enimverò creditor poteſt debitum remittere debitori etiam de eo non cogitanti, in quo differt pœnæ relaxatio à culpæ remiſſione, quòd hæc non poſſit fieri ſine interiori peccatoris mutatione, & diſpoſitione, ſi adultus ſit; illa verò ſit merè exterior condonatio.

R. Secundò. Sacrificium Miſſæ prodeſt juſtis ad gratiæ ſanctificantis augmentum, non quidem immediatè ſicut Sacramenta, ſed mediatè, quatenus per illud conceduntur gratiæ actuales, per quas juſti eliciunt bona opera de condigno meri-

meritoria hujus argumenti; patet ex dictis. Nemo autem nescit gratias actuales ad bene operandum, & ad perseverandum esse auxilia.

R. Tertiò. Per sacrificium Missæ impetrantur bona temporalia, v. g. sanitas, salubris aeris temperies, in hypothesi quòd ex Dei ordinatione conferant ad salutem.

Probatur ex continua universalis Ecclesiæ praxi. *Pro infirmis*, inquit S. Chrysostomus hom. 71. in Joan. *& terræ, & maris, & universi orbis fructibus, sacrificamus.* S. Augustinus refert c. 8. libr. 22. de Civit. Dei, Missæ sacrificio vexationem spirituum malignorum cessasse in quibusdam ædibus.

Dices; Christus nobis per mortem non meruit bona temporalia: atqui sacrificium Missæ ea solùm nobis impetrat: quæ Christus promeruit: ergo sacrificium Missæ non impetrat bona temporalia, ac proinde frustra pro iis obtinendis videtur offerri.

Confirmatur 1. Absurdum est in eo Mysterio commoda temporalia petere, in quo communicantes Christi passionibus, & æmulantes similitudinem mortis ejus, nos totos & nostra Deo immolamus. 2. Non sine injuria tantum mysterium refertur ad res vilissimas, v. g. ad avertendam pestem animalium. 3. Ne discipuli terrena in votis haberent, quemadmodum, carnales Judæi, Magister noster eorum contemptum semper docuit, *ne soliciti sitis*, inquit .... *quid manducetis* ... *quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus.* Matth. 6. ad quem locum S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte, notat, Christum non addidisse, secundo loco ista temporalia quærite, ne

ne propter illa cor nostrum dividatur, & eo ardentius talia desideremus, quo non superflua, sed necessaria videntur. Hinc per panem quotidianum, quem in oratione Dominica petimus, monet S. Doctor non cibum corporalem, sed cibum spiritualem esse intelligendum.

Dist. maj. non meruit temporalia, si absolutè considerentur, Concedo; neque enim mortuus est, ut homines nasceremur, aut simpliciter longævi essemus super terram, sed ut ex peccatoribus justi & beati efficeremur: non meruit temporalia in hypothesi, quòd Deus ab æterno præordinaverit per eorum usum & administrationem salvos facere credentes, Nego maj. hoc enim sensu temporalia subsunt ordini divino prædestinationis, quæ facta est in Christo. Porrò fideles sive in oblatione sacrificii, sive in privatis orationibus solam beatam vitam intuentur, ut finem cui adhærent: cætera ut media, quorum alia, ut fides simpliciter necessaria sunt; alia non nisi ex Dei ordinatione; & ideò in omnibus ad Deum tanquam ad omnium bonorum auctorem recurrunt, & quidem in laudem sacrificii nostri, quòd ad tam multiplices se extendat effectus. Quòd si hæc terrena non concedantur, utpotè non necessaria, nec à Deo ordinata ad salutem, non molestè ferunt fideles, imo gratulantur sibi datum pro Christo, non solum ut in eum credant, sed ut etiam pro illo patiantur temporalium privationem, & quæ inde sequuntur incommoda. Ex quibus patet responsio ad tria momenta in confirmationem objectionis proposita.

Ad primum, distinguo, absurdum petere temporalia ex cupiditate & animo his fruendi, Conce-

Concedo: ex charitate & desiderio Deum adipiscendi per media ab ipso ordinata, sive suavia illa sint, sive aspera, Nego.

Ad secundum, distinguo similiter. Injuria afficitur Missæ sacrificium, si referatur ad temporalia, sicut medium ad finem, v. g. medicina ad sanitatem, adeo ut fine cessante, nulla habeatur ratio medii, Concedo: si referatur tanquam causa ad effectum, Nego. Annon pars est cultus divini ad ejus omnipotentiam in omnibus recurrere?

Ad tertium; qui multa ad unum sic refert, ut pro nihilo ea duceret, si ad istud adipiscendum nullatenus conferrent, certe unum diligit, unum quærit, unum propriè æstimat necessarium, quamvis alia quædam secundùm quid dicantur necessaria, v. g. cibus ad vitam corporalem conservandam; attamen cùm quærenti regnum Dei, ut Magister noster præcipit, necessarium non videatur vitam diutius producere, Christianus ex Tertulliano famem non timet, nec panem quotidianum petit tanquam simpliciter necessarium. Per panem autem S. Augustinus intelligit utrumque, spiritualem, & corporalem; sed spiritualem præsertim, hoc est, gratiam, sine qua corporali uti non possumus ad salutem.

CAPUT IX.

Pro quibus offerendum est Missæ sacrificium?

Diximus generatim superiori capite Sacrificium Missæ prodesse justis, & peccatoribus. Sed quæstio hic movetur, utrum prosit omnibus etiam

infidelibus, excommunicatis, & defunctis, liceatque pro iis Miſſam celebrare?

R. 1. Certum eſt ſacrificium Miſſæ offerendum eſſe pro univerſis fidelibus baptizatis, non excommunicatis; quia ſacrificium offertur nomine totius communitatis per Miniſtrum publicum. Hinc in lege veteri ſummus Sacerdos ingrediens Sanctuarium, ad pectus inſculpta ferebat nomina duodecim tribuum in recordationem & memoriale filiorum Iſrael. Exodi 28. & in Liturgia Latina ſic legitur, *tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica ..... & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.* Peccaret ergo Sacerdos, ſi contra Eccleſiæ ritum aliquem ex his, non excommunicatum, à ſua oblatione excluderet.

Dixi, *non excommunicatis*; quia eos excommunicatos, qui dicuntur non tolerati, hoc eſt, per ſententiam Judicis nominatim ut tales declarat, Eccleſia excludit à ſuis orationibus & ſuffragiis, prohibetque ne ad altare nominentur, C. *A nobis*, de ſententia excommunicationis. Poſſunt tamen Fideles & ipſe Celebrans pro iiſdem privatim orare.

R. 2. Poteſt offerri ſacrificium ſaltem indirectè pro non baptizatis, ſive infideles ſint, ut pagani; ſive fideles, ut Catechumeni. Probatur ex communi uſu Eccleſiæ, quæ ſemper oravit, & ſacrificium obtulit pro tranquillitate publica, pro extirpatione hæreſum, extinctione ſchiſmatum, quæ preces directè quidem tendunt ad bonum publicum Eccleſiæ, ſed indirectè ad converſionem infidelium.

Dixi, *ſaltem indirectè*; tum quia hic orandi modus pro infidelibus eſt conformior Eccleſiæ diſci-

disciplinæ, quæ hodie nomina infidelium non solet appellare nisi die Parasceves, quo die etiam fit publica memoria excommunicatorum, ob specialem commemorationem sanguinis Domini pro omnibus effusi; tum quia nulla est expressa prohibitio universalis Ecclesiæ orandi pro non baptizatis, *sacrificamus pro salute Imperatoris pagani*, ait Tertull. lib. ad Scapulam c. 2. & S. Ambr. in Oratione de obitu Valentiniani Imperatoris catechumeni: *Date*, inquit, *Manibus ejus sancta mysteria.* Innocentius quoque III. C. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, vult juges pro eo preces & hostias offerri. Prohibet quidem Concilium Braccarense I. ne offeratur pro catechumenis defunctis; sed præterquam quod illa lex est particularis Ecclesiæ, cùm nos loquamur de lege universali, potuit esse ratio specialis hujusce sanctionis, fortè ad terrendos catechumenos, qui Baptismum suscipere negligebant.

R. 3. Non licet offerre sacrificium pro defunctis damnatis; quia capaces non sunt fructus sacrificii. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* ait S. Augustinus de infante defuncto, Baptismate nondum percepto, lib. de anima, & ejus origine, cap. 9. Porrò damnati nullatenus sunt membra Christi, ne quidem potentia, ut infideles, qui possunt ad agnitionem veritatis venire.

Dices: Ecclesiæ suffragiis & oblationibus pœnæ damnatorum mitigantur, ex S. Augustino lib. Enchir. c. 110. & 112. Imo S. Joannes Damascenus in oratione de mortuis, docet orationibus Sanctæ Theclæ, animam Falconillæ paganæ à pœnis inferni liberatam; similiter & animam Trajani precibus S. Gregorii. Ergo.

Nego ant. namque 1. S. Augustinus non loquitur de damnatis, sed de animabus in purgatorio detentis; verba ejus sunt, *cùm ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.*

2. S. Joannes Damascenus expresse docet lib. 2. de fide c. 4. mortem id esse hominibus quod fuit Angelis casus. Unde opus illud in objectione appellatum non est S. Joannis Damasceni: fabulæ quoque sunt historiæ Falconillæ & Trajani, sicut & ea, quæ ibidem referuntur de conversione damnatorum ad prædicationem Christi Domini, cùm illic commoratus est per triduum mortis. Quis vero crederet Sanct. Gregorium orasse pro defuncto Trajano nominis Christiani persecutore; qui lib. 34. Moral. cap. 13. disertè docet non magis orandum pro infidelibus defunctis, quàm pro diabolo?

R. 3. Licet offerre sacrificium in honorem Sanctorum. Responsio est de fide contra Pseudo-Reformatos definita sess. 22. can. 5. Concilii Tridentini *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

Probatur ex universalis Ecclesiæ Traditione.

S. Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 5. *Cùm hoc sacrificium offerimus*, inquit, *mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum,*

ut

ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus, suscipiat preces nostras.

S. Augustinus tractatu 84. in Joan. sic scribit: *Non sic Martyres commemoramus* (ad altare) *quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis.*

Omnes Liturgiæ Græcæ, sicut & Latinæ, memoriam faciunt SS. *ut assiduas preces pro nobis offerant*, ait Liturgia Sancti Basilii.

Dices: Christus non dixit, hoc facite in Sanctorum, sed in mei commemorationem: ad quæ verba ait Kemnitius in examine Concilii: hæc certè impia profanatio Cœnæ Dominicæ adversa fronte repugnat ejus institutioni, idque non tam apertè, quàm palpabiliter.

Respondeo 1. Christus non prohibuit fieri in Sanctorum commemorationem. 2. in Missæ sacrificio fit commemoratio ita Christi propria, ut nullatenus ad Sanctos extendatur; nam consecratio utriusque speciei est repræsentatio mortis ejus, non verò ullius Sancti.

Instabis: in honorem Sanctorum Ecclesia Romana offert sacrificium, *ut illis proficiat ad honorem*, ait nostra Liturgia; idipsum agnoscunt Patres Tridentini sess. 22. cap. 3. *quamvis*, inquiunt, *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit*, &c. atqui ex dictis oblatio sacrificii est honor supremus & latreuticus: ergo mera videtur superstitio & cultus indebitus sacrificium offerre in honorem Sanctorum.

Distinguo: in honorem SS. Ecclesia offert Sacrificium Deo, tanquam auctori virtutum,

quas per Sanctos operatus est, Concedo; offert ipsis Sanctis, Nego. Unde ex sacrificio quod est gratiarum actionis, supremus honos Deo accedit, non verò Sanctis; quanquam & ad aliquam eorum gloriam cedat, quod fuerint veluti instrumenta in manu Domini virtutum, quemadmodum & in Republica ob reportatam victoriam solemnes Deo gratiæ referuntur, quod aliquo modo vertitur in honorem hominis victoris. Quod autem hæc sit mens Ecclesiæ, patet tum ex laudato textu Concilii Trid. sess. 22. cap. 3. *Quamvis in honorem . . . Sanctorum . . . Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illi sacrificium offerri docet, sed Deo soli . . . de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat.* Tum ex S. Augustino l. Enchiridion c. 110. *cùm ergo sacrificia . . . altaris . . . . . offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt.* Scriptum est enim, *qui autem gloriatur, in Domino glorietur*, non in se, 2. Cor. 10.

Urgebis: ideo Christus Dominus corpus & sanguinem suum nobis tradidit in cœna, ut adituri thronum gratiæ ejus misericordiam consequamur per merita unicæ oblationis ejus: ergo profanatur Cœna Domini, cùm à Deo petitur, ut per merita & preces Sanctornm in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Ita Kemnitius cit. loco. Hinc etiam Sanctus Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 10. quamvis agnoscat ad altare fieri memoriam Sanctorum, negat tamen ibi Sanctos invocari.

Dist. cons. profanatur cœna Domini, si merita & preces SS. adjungantur, ut oblatio sit perfectior, & majoris meriti, Concedo: si adjungantur tantum, ne indignitas nostra obstet (ut non-

nonnunquam contingit) quo minus meritum rei oblatæ per se infiniti valoris nobis applicetur, Nego consեq. alias preces etiam, quibus imploramus oblationis effectum, non minus profanarent cœnam Domini, quàm Sanctorum intercessio; offerendumque esset tremendum illud mysterium animo indevoto & impænitenti, ut misericordia divina magis eluceret, quo nihil fingi potest absurdius.

Quoad S. Augustinum, Martyres nominantur à Sacerdote, qui sacrificat, *ut orent ipsi pro nobis*, cit. tract. 84. in Joan. non ut invocentur per ipsam oblationem, *Deo quippe, non ipsis sacrificat; quia Dei Sacerdos est, non illorum*, cit. lib. 22. de civit. cap. 10. ubi loquitur de invocatione, quæ soli Deo competit, tanquam auctori omnium bonorum.

R. 5. Sacrificium Missæ ritè offertur pro defunctis in Christo; nondum plenè purgatis. Est de fide. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium . . . neque pro vivis, & defunctis . . . offerri debere; anathema sit.* Conc. Trid. sess. 22. can. 3. & sess. 25. decreto de Purgatorio, docet *Purgatorium esse, animasque ibi detentas, Fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio, juvari.*

Probatur 1. ex Scriptura, 2. Macchabæor. 12. *fortissimus Judas . . . duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium . . . . . sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Respondent Novatores hunc librum non esse Canonicum, nec valere, ex Sancto Hieronymo in prologo in librum Proverbiorum, ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

Contra 1. meretur auctoritatem gravissimi Historici etiam apud Judæos, ac proinde sequitur Ecclesiam Romanam nihil in hac parte innovasse, cùm constet Judæos sacrificia obtulisse pro defunctis.

Contra 2. ex eodem S. Hieron. prologo in lib. Machab. *licet non habeantur in canone, tamen ab Ecclesia inter divinorum voluminum annotantur historias.* Enimverò Concilium Carthaginense III. eos reposuit in catalogo librorum Canonicorum, sicut & Innocentius I. Epist. ad Exuperium, & S. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 36. *Machabæorum libros*, inquit, *non quidem Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Ergo auctoritatem habent, si non apud Judæos, saltem apud Christianos ad confirmanda fidei dogmata.

Probatur 2. ex Traditione.

Tertull. lib. de Corona militis c. 3. sic habet, *oblationes pro defunctis annua die facimus*: docetque id traditum esse ab Apostolis.

S. Cyprianus Epist. 66. de quodam Victore, qui cùm moriens ad tutelam Presbyterum nominaret, sic scribit: *Episcopi antecessores nostri... censuerunt, quòd si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur... & ideò non est, quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.*

S. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 5. *maximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.*

S. Chrysostomus hom. 69. *non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

S. Epi-

S. Epiphanius lib. anacephaleosis, & S. August. lib. de hæresibus cap. 35. scribunt Aerium inter hæreticos damnatum, quòd negaret pro mortuis offerendum, sacrificium, idque contra consuetudinem universalis Ecclesiæ ab Apostolis derivatam, ut idem S. Augustinus testatur lib. de cura pro mortuis.

Dices; fictitius est tertius locus, quod purgatorium dicitur, repugnatque Scripturæ textibus; nam Ecclesiastæ 9. legitur, *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio .... erunt apud inferos, quò tu properas.* Et c. 11. *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem ibi erit.* 2. Cor. 5. *omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque .... prout gessit, sive bonum, sive malum.* Hinc SS. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 2. Chrysostomus hom. 2. de Lazaro, Cyprianus contra Demetrium, & Augustinus passim docent, post mortem nullum esse pœnitentiæ aut satisfactioni locum, nec consolationem accepturos, qui in hac vita non abluerunt peccata: Ergo,

Nego ant. namque tertius ille locus necessariò colligitur ex textibus mox allatis, nec quidquam probant, quæ afferuntur in contrarium.

Non primum; si quidem ex eo ad summum concludi potest, bona opera post mortem non esse meritoria; quare dum tempus est, bonum instanter operandum.

Non secundum, quod sic retorquetur contra Adversarios; ergo SS. Patriarchæ & Prophetæ in æternum erunt, ubi ceciderunt; nec Christus ex inferis eduxit eos. Quod Novatores dabunt responsum, ut se ab hac difficultate expediant,

nostrum erit. Nempe in quo statu, sive justitiæ; sive peccati, morietur homo, in eo manebit in æternum; quia post mortem non est pœnitentiæ locus, sed quisque referet prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum, & sic patet solutio ad cetera momenta.

Confirmatur 1. ex c. 12. Matth ubi de peccatis in Spiritum Sanctum dicitur, quòd non remittentur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, *in qua sententia*, ait S. Gregorius lib.4. Dialog.c.39. *datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari.* Præiverat S. Aug. lib.21. de Civit. c. 24. *neque enim de quibusdam veraciter diceretur*, inquit, *quòd non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.* Sic etiam ratiocinatur S. Bernardus serm. 66. in Cant. contra Henricianos, *non credunt*, inquit, *ignem purgatorium restare post mortem ..... quærant ergo ab eo, qui dixit, neque in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatiove peccatorum.*

Confirmatur 2. ex c. 3. 1. ad Cor. *in igne revelabitur* (dies Domini) *& uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit .... Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* In quem locum sic scribit S. August. commentario in Psalm. 6. *Arguuntur in die judicii omnes, qui non habent fundamentum, quod est Christus. Emendantur autem, id est, purgantur, qui huic fundamento superædificant, lignum, fœnum, stipulam. Detrimentum enim patientur, sed salvi erunt, tanquam per ignem.* Et hom. 16. ex lib. quinquaginta homiliarum, quæ nunc est in appendice ser. 251. tanquam S. Cæsarei, qui illum composuit ex verbis S. Augustini:

gustini : *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus, si cujus opus arserit*, &c. *quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora: quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina, & quantùm stulta iniquitas suggesserit, tantùm sapiens pœna desæviet. Illic sermones odiosi, & cogitationes iniquæ, quæ puritatem nobilis animæ infecerant, exundabunt.* Ita Sanctus Ambrosius in Psal. 118. & Origenes hom. 6. in Exodum.

Nec dicat S. Augustinum pluribus in locis, ut lib. de fide & operibus c. 16. & Enchir. c. 88. per ignem, de quo Apostolus, intelligere pœnas hujus vitæ, quibus probantur fideles, utrùm cum cupiditate res hujus mundi possideant; quatenus scilicet, qui sine dolore eas amittunt, nulla se cupiditate fuisse detentos demonstrant; *quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt.* Quos verò rerum amissarum exurit dolor, ita tamen ut non amittant Christum, salvi erunt, sed detrimentum patiuntur per ignem tribulationis. Namque S. Doctor ubique agnoscit locum Apostoli posse intelligi de pœnis temporalibus alterius vitæ, sed quia nonnullis verbis Apostoli abutebantur ad stabiliendum suum errorem, nempe fidem sine operibus sufficere ad salutem, reprobosque non esse in æternum cruciandos, modò fidem servaverint, textum Apostoli ad pœnas præsentis vitæ extendit. Sed præterquamquod in citatis agnoscat posse intelligi de pœnis alterius vitæ, de iisdem ex professo alibi exponit, ut in Psal. 37. his verbis : *Neque in ira tua emendes me : ùt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salvi erunt, sic tamen per ignem*

ignem.... Et quia dicitur, salvus erit: contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. Ubi S. Aug. ex illo Apostoli textu, colligit ignem purgatorium planè diversum à tribulationibus, quibus justi nunc exercentur. Sic S. Gregorius in Psal. 3. *Illum ignem transitorium omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* Et S. Anselmus Commentario in eum Apostoli locum, *Sciendum est*, inquit, *quia gravior est ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita. Omnia enim tormenta, quæ hic sunt, faciliora sunt; & tamen homines ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit jussum, faciunt. Quantò melius est facere, quæ Deus jubet, ne illa graviora patiantur.*

At, inquies, Apostolus loquitur de igne comitante secundum adventum Domini: atqui ignis non subsequetur, sed præcedet mortem. Ergo ex illo textu non potest probari post hanc vitam medium locum existere, in quo aliqui justi temporaliter puniantur.

Resp. 1. distinguendo maj. Apostolus loquitur de igne comitante secundum adventum, ita ut in illo igne necessariò intelligenda sit etiam pœna, quam ob leviores culpas subeunt justi in judicio particulari, quemadmodum SS. Patres intellexerunt, Concedo: ita ut ignis ille solùm spectet eos qui superstites erunt, cùm Dominus secundò adveniet, Nego .maj. namque Apostolus eo loci manifestè docet eos, qui congerunt tanquam lignum aut stipulam leviores maculas, à Deo justè vindicante esse temporaliter puniendos, quod sanè non minùs cadit in justos, qui nunc fato funguntur, quam in eos qui in generali

con

conflagratione corpus exuent. Hos autem præsertim denotat, quia solet commonere Auditores de secundo Adventu Domini, tamquam in corpore permansuri sint, usque ad illum diem; sic enim scribit 1. ad Thess. c. 4. *Quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini ... & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis*, &c.

Respondeo 2. negando min. ignis enim & præcedet, & sequetur mortem cujusque, ac secundùm nonnullos Theologos non purgabit paleas, nec cruciabit justos qui eas collegerint, nisi post eorum mortem; sed communior est sententia, illos cruciandos & purgandos in ipsa generali conflagratione, ut resurgant plenè purgati. Quidni mors tam acerba, & perfecto contriti cordis affectu excepta, Deo interiùs ita movente, idipsum præstaret, quod martyrium? Peracto autem judicio, inquit Estius in hunc locum, ignis in densitatem se colligens, involvet, ac secum rapiet reprobos ad ima terræ in æternum cruciandos, nec jam supererit locus Purgatorius.

Q. 1. *Animæ in Purgatorio detentæ, suntne securæ de sua salute?*

R. Sunt omnino, quia statim post mortem judicium acceperunt, juxta illud Eccli. 11. *In fine hominis denudatio operum illius.*

Q. 2. *Ut quid ergo in Officio Defunctorum precatur Ecclesia, ne absorbeat eas tartarus, & ut eruantur de ore leonis?*

R. Ita precatur Ecclesia, quia Fideles repræsentat tanquam animam exhalantes, & contra mortem confligantes, non sine magno periculo

suæ

ſuæ ſalutis, idque ad excitandam aſtantium devotionem. Idem videre eſt in omnibus fere ſolemnitatibus: in Nativitate exhibet Chriſtum naſcentem, in Paſſione patientem, &c.

CAPUT X.

Quomodo operatur Miſſæ Sacrificium?

R. Primò, non operatur in ratione ſigni, quia ex dictis non eſt inſtitutum, quemadmodum Sacramenta, ad ſignificandam gratiam, ſed ad cultum Deo exhibendum. In Baptiſmo v.g. ablutio corporis ſignificat interiorem animæ mundationem à peccato, & eatenus eam efficit; Sacramenta enim novæ legis efficiunt quod ſignificant. At Sacrificium, ut ſic præcisè, non ſignificat gratiam; vel enim ſumitur inadæquatè pro exteriori oblatione victimæ, vel adæquatè pro exteriore ſimul & interiori oblatione tum victimæ ſenſibilis, tum ipſiuſmet offerentis, qui ſpiritualiter ſe totum Deo devovet, ac myſticè immolat. Priori modo, Sacrificium eſt quidem ſignum, ſed Sacrificii interioris, non vero gratiæ. Poſteriori autem modo eſt exhibitio ſummi honoris erga divinam Majeſtatem, & bonitatem: hæc autem actio, cùm ſit eximiæ charitatis erga Deum, eſt gratiæ impetratoria; imò, ſi fiat ab homine juſto, eſt & meritoria de condigno. Itaque

R. Secundò, Sacrificium operatur per modum impetrationis, ac veluti quædam excellens & præcipua oratio, namque ad preces, quibus homines benevolentiam & gratiam præpotentis ambiunt, mune-

munera ſolent addere, utpote quæ efficaciùs moveant. Hunc autem operandi modum Patres Tridentini Miſſæ ſacrificio tribuunt ſeſſ. 22. c. 2. his verbis : *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit.*

R. Tertiò, impetratio, quæ habetur per Miſſæ Sacrificium, eſt ex opere operato; quia illud dicitur opus operatum, quod non repetitur ex diſpoſitionibus hominis miniſtrantis, aut offerentis : atqui talis eſt illa impetratio; nam Patres Tridentini cit. cap. illam repetunt, tum ex dignitate infinita hoſtiæ, tum ex perſona Chriſti eam offerentis. Et cap. 1. ejuſdem ſeſſionis : *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt*, inquiunt, *quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt.*

Sed alia hic naſcitur difficultas, utrùm virtus Sacrificii ſit infinita, quemadmodum Chriſtus Sacerdos & hoſtia eſt meriti infiniti? Si ſacrificium efficaciam habeat infinitam, æquè prodeſt ſi pro pluribus, ac ſi pro uno offeratur : ſecus ſi habeat finitam. Circa quam difficultatem Theologi abeunt in ſententias oppoſitas.

Alii contendunt Miſſæ Sacrificium ex inſtitutione Chriſti Domini habere virtutem finitam & limitatam, probantque 1. ex communi Catholicorum ſenſu, qui eleemoſynas largiuntur, ut Miſſæ ſacrificium ſibi ſpecialiter applicetur; ergo Catholica ſententia eſt Miſſæ Sacrificium pro uno oblatum, plus ipſi prodeſſe, quam ſi pro pluribus offerretur, ac proinde non habere virtutem infinitam. 2. Summi Pontifices Urbanus VIII. &

Ale-

Alexander VII. prohibent ne Sacerdos, qui plura accepit ſtipendia ad celebrandas totidem Miſſas, per unum Sacrificium debito ſuo ſatisfacere præſumat, declarantque eum, qui id præſumpſerit, peccare contra juſtitiam, & ad reſtitutionem teneri. 3. Si Miſſæ efficacia eſſet infinita, fruſtra ad eandem rem impetrandam innumera offerrentur Sacrificia, 4. Sicut Sacramento ineſt virtus applicandi uni merita Paſſionis Chriſti, ſic Sacrificio applicandi pluribus: atqui virtus illa finita eſt in Sacramento: Ergo & in Sacrificio.

Probatur min. exemplo parvulorum, in quibus Sacramenta Confirmationis & Euchariſtiæ agunt quantum poſſunt, cùm in iis nullum repeBriant obicem; & tamen gratiam finitam, eamque æqualem producunt. Nihilominus

R. Verior videtur eorum ſententia, qui docent Miſſæ Sacrificium eſſe valoris infiniti, quia ex dictis idem eſt cum Crucis ſacrificio: Ergo ſicut ſacrificium Crucis vim habet infinitam ad promerenda nobis divina beneficia; ſic ſacrificium Miſſæ ad ea nobis impetranda ſeu applicanda; inſtitutum enim eſt ad applicanda, quæ Chriſtus per paſſionem ſuam nobis promeruit.

Confirmatur 1. ex praxi univerſalis Eccleſiæ ſecundùm quam Sacerdos tenetur offerre ſacrificium pro omnibus vivis & defunctis, etiamſi ſtipendium ab aliquo acceperit, ut pro eo ſpecialiter celebretur. Fieret autem ei injuria, ſi ſacrificium pro pluribus oblatum, minùs ipſi prodeſſet. Ergo in Eccleſiæ ſententia valor ſacrificii non minuitur, dum in plures dividitur, ad proinde infinitus eſt. Favet c. *Non mediocriter*, de conſecr. diſt. 5. in quo ſic legitur: *Dum pro cunctis animabus*

animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nil minùs, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Præterea optat Ecclesia, hortatur, imò præcipit, ut fideles frequenter ad Missam Parochialem conveniant. Porrò si ex ea propter astantium multitudinem minor fructus à singulis esset percipiendus, præferenda esset Missa privata, cui pauciores adsunt: quod est absurdum.

Respondent Theologi Morales, quos Casuistas vocant, triplicem Sacrificii fructum esse distinguendum, scilicet generalem pro omnibus; specialem pro eo, qui stipendium solvit; & specialissimum, qui proprius est Celebrantis: docentque virtutem Sacrificii esse infinitam in ordine ad primum effectum, finitam verò ad alios. Sed ejusmodi divisio triplicis fructus supponit quod probandum est, nempe valorem Sacrificii Missæ esse finitum sub uno respectu, & sub alio infinitum.

Confirmatur 2. si idem numero Sacramentum posset pluribus applicari, quemadmodum Sacrificium, æque prodesset omnibus. Deinde licèt ad unum dicat ordinem, non videtur habere virtutem limitatam & finitam. Enimverò sicut accedens potest magis & magis in infinitum esse dispositus; sic Sacramentum vim habet producendi gratiam majorem, & majorem in infinitum; nullus enim dixerit accedentem posse esse tam perfectè dispositum, ut Sacramentum nihil in eum agat.

Ad momenta sententiæ oppositæ sigillatim respondetur.

Ad primum, majorem fructum ex Sacrificio percipiunt, qui meliùs sunt dispositi, quales cen-

ſentur qui eleemoſynas conferunt, & curant ut pro ſe ſpecialiter offeratur. Item, qui intermiſſis negotiis, ad Sacrificium conveniunt, & in eo miniſtrant; hi enim majorem fidem & devotionem præſeferunt.

Ad ſecundum, ideò Summi Pontifices prohibuere, ne plura ſtipendia pro uno Sacrificio acciperentut: 1. Quia oppoſita ſententia probabilitate non caret. 2. Quia minueretur cultus divinus, ſi Sacerdos uno Sacrificio vellet ſatisfacere pro largis eleemoſynis oblatis, ut ſingulis anni diebus celebretur. 3. Quia hæc ſordida Sacerdotum avaritia in grave Fidelium verteretur ſcandalum.

Dices: Sacerdos, qui ſic ageret, contra juſtitiam non peccaret, nec ad reſtitutionem teneretur, cùm in noſtra ſententia Fideles non damnum paterentur.

Nego ſequelam; namque Sacerdos non accipit ſtipendium tanquam Sacrificii pretium; hoc enim eſſet impium & ſimoniacum, ſed tanquam eleemoſynam ſuo miniſterio reſpondentem; quia Dominus ordinavit iis, qui altari deſerviunt, de altari vivere, 1. Cor. 9. Lex autem Eccleſiaſtica aut uſus communiter receptus, fixit quid & quantum Sacerdos pro quolibet miniſterio debeat accipere; unde peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, ſi plus accipiat pro uno miniſterio, quàm lege præfixum eſt, niſi ultro offeratur ab iis, qui ſciunt legem.

Ad tertium nimis probat illud argumentum; ex illo enim concludere liceret Miſſæ Sacrificium nullam habere efficaciam ex opere operato, cùm aliquando fruſtra repetatur ad unum & eundem

eſſe-

effectum obtinendum. Vera itaque hujusce defectus ratio repetenda eſt ex indignitate eorum, pro quibus offertur. *Dicendum*, inquit S. Thomas q. 79. art. 7. ad ſecundum, *quòd ſicut Paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus, quantùm ad ſufficientiam, ſed effectum non habet, niſi in illis, qui Paſſioni Chriſti conjunguntur per fidem & charitatem; ita & hoc ſacrificium, quod eſt memoriale Paſſionis Dominicæ.* Et art. 5. *Quamvis ergo hæc oblatio ex ſuâ quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Hinc Cajetanus docet Sacrificia, & alia ſuffragia, non prodeſſe infallibiliter omnibus animabus in Purgatorio detentis, ſed iis duntaxat, quæ dum in corpore exiſterent, hoc ſubſidium per bona opera ſunt promeritæ. Confirmari poteſt noſtra reſponſio exemplo Indulgentiarum, quæ ſecundum veriorem ſententiam, plenè non ſolvunt à reatu pœnæ temporalis, niſi eos, qui Deo per ſeipſos ſatisfacere curant, adeo ut Indulgentiæ ſint ipſis ſupplementum quoddam infirmitatis, & impotentiæ, vel ſaltem merces egregii alicujus operis; alias fideles, præſertim divites, pœnitentiæ labores, & alia bona opera prætermitterent ſub obtentu Indulgentiarum, & Miſſarum magno numero poſt ſuum obitum celebrandarum.

Ex hac reſponſione non ſequitur Miſſæ Sacrificium non prodeſſe, niſi diſpoſitis; id enim falſum eſt, cùm ex cap. præcedenti, utiliter offeratur ad obtinendam primam converſionis gratiam pro infidelibus & peccatoribus etiam obduratis. Sed ſenſus noſtræ reſponſionis eſt tantam poſſe eſſe peccatoris indignitatem, ut Deus per Sacri-

ficium exoratus, nihil suæ indignationis remittat. Addendum est etiam nullatenus pœnam temporalem remittere, nec gratiam sanctificantem augere in his, qui soluti non sunt à reatu peccati mortalis; quia hi duo effectus remissionem peccati mortalis necessario supponunt. Ergo Missæ Sacrificium licet per se efficax, non habet infallibilem effectum.

Ad quartum, nihil inde concludi potest, nisi quòd Sacrificium & Sacramenta non habeant infinitum effectum, quod verissimum est; quia nihil creatum potest esse infinitum. Sed quemadmodum ex eo quòd Deus creaturam infinitam producere non possit, non licet negare infinitam ejus omnipotentiam; sic nec Sacrificii & Sacramentorum infinitam virtutem: quia non nisi finitos effectus possunt habere. Ratio autem cur in infantibus æqualis gratia producatur per Sacramenta, cùm in adultis producatur inæqualis, ea est, quòd virtus activa Sacramenti per dispositiones adulti majores aut minores determinetur ad intensius aut remissius operandum: at verò parvuli æqualiter se habent ad Sacramenta, quorum capaces sunt; vel enim nondum sunt baptizati, vel jam baptizati; si primum, nullam habent dispositionem: si secundum, Baptismus in illis est æqualis dispositio. Quare cùm ex illorum parte nihil determinet virtutem activam Sacramentorum ad intensiorem, vel remissiorem effectum, ad Deum qui illum determinet, recurrere necesse est.

CAPUT

CAPUT XI.

Utrùm extet aliquod præceptum offerendi Miſſæ Sacrificium?

R. Omnes Fideles præcepto naturali, divino & Eccleſiaſtico tenentur offerre Miſſæ Sacrificium, ſaltem per Miniſtrum publicum, ei præſentia ſua & votis cooperando, niſi obſtet Eccleſiæ interdictum in pœnam gravioris delicti.

Dixi 1. *ſaltem per Miniſtrum publicum:* quia c. 16. primæ partis hujus Tract. evicimus contra Novatores, ſolos Sacerdotes habere poteſtatem conſecrandi, ergo per ſe immediatè offerendi; nam ex dictis cap. 5. hujus ſecundæ partis oblatio in conſecratione conſiſtit. Utrùm autem Sacerdotes aliquando teneantur celebrare, expendemus in decurſu hujus capitis.

Dixi 2. *ei præſentia ſua, & votis cooperando;* quia Fideles ea intentione ad Miſſæ Sacrificium convenire debent, ut per celebrantem, tanquam per Miniſtrum publicum, Chriſtum verum Agnum, & Hoſtiam immaculatam novi Teſtamenti, & ſeipſos veluti ejus membra Deo offerant, eique ſupremum cultum exhibeant, ut cap. 7. fusè explicuimus.

Dixi 3. *niſi obſtet Eccleſiæ interdictum:* quia Pœnitentes antiquitus hora Sacrificii è conventu Fidelium ejiciebantur; nunc quoque excommunicati Sacris interdicuntur, ſed congrua ſatisfactione impedimentum quamprimùm removere tenentur. His explicatis,

Prima reſponſionis pars, quæ eſt de præcepto naturali, manifeſtè colligitur ex c. 3. nam ex ibi

dictis Sacrificium propriè dictum, Deo debetur lege naturali : atqui in Religione Chriſtiana, Miſſa eſt unicum Sacrificium propriè dictum : ergo Fideles lege naturali tenentur illud offerre, præſentia ſua & votis celebranti ſe adjungentes.

Secunda pars, quæ eſt de præcepto divino, ſequitur ex præcedenti ; namque naturalem ſacrificandi legem Chriſtus Dominus determinavit ad hoc unicum Sacrificium : ergo Fideles & lege naturali, & lege divina illud offerre tenentur.

Tertia pars, quæ eſt de præcepto Eccleſiaſtico, neminem latet. Quis enim non didicit ab infantia illud Eccleſiæ præceptum : *Les Dimanches Meſſes ouiras, & Fetes de commandement ?* ubi Eccleſia determinat tempus audiendi Miſſam, quod nec lex naturalis, nec divina præfixerant.

Q. 2. *Obligatne illud præceptum ſub peccato mortali ?*

R. Dubium non eſt quin obliget ſub mortali ; ſic enim habetur can. 10. Apoſtolorum : *Omnes Fideles, qui conveniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, ſcripturas Apoſtolorum, & Evangelia audiant : qui autem non perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, convenit communione privari*, ideſt, excommunicari. Et Can. 27. Concilii Agathenſis circa initium ſexti ſæculi, referturque C. *Miſſas*, de conſecratione diſt. 1. *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas tenere ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præſumant, qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur*. Gravis autem pœna ſupponit gravem culpam.

Q. 3. *Satisfacitne præcepto, qui duas aut tres partes ſimul audit à totidem celebrantibus ?*

R. Affirmarunt nonnulli Moderni, quibus obſtitere ſuis cenſuris primùm Lovanienſes anno 1657.

1657. Archiepiscopi Senonensis & Parisiensis anno 1658 Dehinc Innocentius XI. anno 1679. ac demum Clerus Gallicanus anno 1700.

Q. 4. *Qui Missa jam inchoata Ecclesiam ingressus est, satisne est ad implendum præceptum, si partem alterius Missæ audiat, quemadmodum Clericus, qui omisit primum nocturnum Officii divini, satisfacit recitandi præcepto, si partem omissam suppleat, nec tenetur integrum Officium repetere?*

R. Non satisfacit, sed aliam Missam integrè audiat necesse est, quantumcunque reclament plures Moderni, quia Liturgiæ partes magis sunt inter se ordinatæ & connexæ, quàm partes Canonici Officii; aliæ enim sunt præparatoriæ ad Sacrificium, aliæ pertinent ad ejus essentiam, aliæ sunt fructus & participatio Sacrificii, adeò ut ordo ille inverti nequeat.

Q. 5. *Sufficitne ad peccatum mortale non interfuisse cuilibet Liturgiæ parti?*

R. Minimè; quia levitas materiæ excusat à graviori culpa.

S. autem Antoninus 2. parte existimat mediam aut tertiam partem esse materiam gravem.

Ergo, qui ex negligentia accedit inchoata Missa venialiter saltem peccat, quemadmodum Beneficiarius, qui aliquam partem leviorem Officii Canonici prætermittit; quia præceptum integrè non implet, nec totam Missam tenet, ut colligitur ex laudato can. Concilii Agathensis.

Dixi: *Ex negligentia;* Quia si nulla sit in his levioribus negligentia, nulla quoque erit culpa. Hinc excusandi sunt inferiores Ministri, qui identidem ad sacellum recurrunt, ut afferant ad Sacrificium necessaria, puta, vinum, thus, &c.

 modò

modò in sacello, aut in aliis locis sine necessitate non immorentur, nec confabulationibus vacent.

Duo tamen hic sunt observanda. Primum, ante Missam paranda esse, quæ solent præsupponi; ut dum peragitur Sacrificium; Ministri his tantum actionibus incumbant, quas Officii solemnitas requirit; nam si accidentali occasione vinum v.g. extra Ecclesiam esset quærendum, nec tam citò afferendum, dum interim celebrans prosequitur Sacrificium usque ad tertiam partem, Minister aliam Missam, si possit, audire tenetur. Secundum, nonnulli Theologi, ut Suaresius hic, probabile censent, eum non satisfacere præcepto, qui abest, licèt per breve tempus, cùm Sacerdos consecrat, aut communicat; quia, inquiunt illi hujusmodi actiones sunt de essentia, aut integritate Sacrificii. Unde censendi sunt abfuisse à Sacrificio, qui his partibus non interfuerunt.

Q. 6. *Quæ ex parte adstantium requiruntur, ut satisfaciant Ecclesiæ præcepto?*

R. Quatuor, nempe præsentia, intentio, seu voluntas, attentio, & pia voluntatis affectio, sive devotio.

Præsentiam exigunt verba legis: intentionem seu voluntatem obedientia præcepto debita, quæ est actus voluntatis, præterquamquod actio, quæ fit præter voluntatem, non est humana, nec rationalis: attentionem verò & devotionem exigit ipsa actionis natura; auditio enim Missæ ex dictis 1. est cultus Dei supremus. Deus autem non colitur nisi amore. 2. Est oblatio Sacrificii: oblatio vero est species orationis excellentissimæ, quæ nulla est sine applicatione mentis ad divina.

Dices:

Dices: Attentio & devotio ſunt actus merè interiores: atqui Eccleſia nec ulla humana poteſtas poteſt præcipere actus merè interiores, cùm de his judicari non poſſit. Ergo.

Diſtinguo min. Non poteſt præcipere directè, Transeat: Indirectè, quatenus præcipit actum exteriorem, qui non poteſt perfici ſine actu interiore, Nego min. & conſ. Namque pater aut herus, dum opus externum imperat Filio, aut famulo, indirecte eum obligat ad eliciendum interiorem voluntatis actum, qui dicitur intentio, & ſine quo obedientiam præſtare nequit. Nullus enim dixerit non peccare filium, aut famulum, qui invito & reluctante animo opus injunctum perficit. Porrò Miſſæ auditio, quæ propriè oratio eſt cum oblatione, non poteſt conſiſtere ſine intentione, attentione, & pia aliqua affectione.

Ergo præceptum non implet, graviterque peccat, niſi ſupleverit aliam Miſſam audiens, qui toto tempore ſacrificii, vel ſaltem tertia ejus parte confabulatur, nec reverentiam exteriorem exhibet, oculos huc & illuc circunferens, vel mente divagatur cum advertentia, ſive ſupina negligentia, contrariamque Caſuiſtarum opinionem Clerus Gallicanus temerariam, ſcandaloſam, erroneam, & impietati faventem declaravit anno 1700. vel denique aſtat ex mera curioſitate ſpectandi, aut ſtudio addiſcendi cæremonias, ſuavitatem cantus percipiendi. His annumerandi ſunt, qui lectioni incumbunt ſolo diſcendi deſiderio.

Difficultas circa attentionem ſupereſt, utrum ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui inter Miſſarum ſolemnia peccata ſacramentaliter deponit?

Bonacina primum affirmaverat, sed postea re maturius expensa, sententiam mutavit, negavitque hujusmodi satisfacere, quod verum videtur, ubi prolixior est confessio, occurruntque nonnulla discutienda, non sine magna tum Confessarii, tum pœnitentis contentione, quæ excludit attentionem, & piam animi affectionem ad Sacrificium requisitam.

Q. 7. *Quid attendere debet Fidelium religio & pietas, dum Missæ Sacrificio intersunt?*

R. Meminisse debent 1. se ad Missam convenire, ut Sacrificium Deo offerant per Sacerdotem, tanquam per Ministrum publicum. 2. Sacrificium exterius esse signum sacrum sacrificii interioris, adeò ut signum mendax exhibeant, nisi sincero animo se ut victimam offerant. 3. Cùm Christus sit in hoc sacrificio principalis offerens, & præcipua victima, Fideles in hoc tremendo mysterio, cum ipso conjungi tanquam membra capiti, ut per ipsum & in ipso fiant unus offerens, unaque totalis hostia infinitè digna. 4. Missam esse unicum Christianorum Sacrificium, eminenterque continere quatuor sacrificiorum veterum species propter totidem Dei perfectiones continuò ab homine colendas, ut explicuimus cap. 1. pag. 666. & seq. Ex his autem sequitur Missam esse audiendam eo mentis affectu, quem fusè exposuimus cap. 7. pag. 709. & seq. ad quam brevitati consulentes remittimus Lectorem, non solùm ut discat, sed opere compleat, & aliis prædicet, ubi se dabit occasio, quæ ibi tradita sunt.

Diximus etiam cap. 21. 1. part. astantes Missæ Sacrificio debere communicare spiritualiter, Eccle-

Ecclesiam quidem vehementer optare, ut & sacramentaliter communicent; sed hac de re nullum esse præceptum divinum, nec Ecclesiasticum.

Q. 8 *Utrum ad Missæ Sacrificium solis justis accedere liceat?*

R. Primò, certum est Sacerdotem celebrantem graviter peccare, si sit alicujus criminis conscius: tum quia in hac actione Eucharistiam, ut Sacramentum est, conficit & recipit: tum quia ipsamet sacrificii oblatio præcise sumpta, utpotè quæ sit sacratissima, & nomine totius Ecclesiæ facta, sanctitatem exigit in Ministro ad eam deputato & consecrato, juxta illud Exodi 19. v. 22. *Sacerdotes .... qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Quodsi, necessitate urgente, Sacerdos criminis reus, absque sacramentali confessione defectu Confessarii contritus celebraverit, quamprimum confiteatur ex Conc. Tridentino sess. 13. cap. 7.

R. Secundò, certum est Ecclesiam à sacrificio removisse peccatores, qui pœnitentiæ publicæ gradus decurrebant, nisi ultimum, qui dicebatur consistentium, attigissent.

R. Tertiò, constat excommunicatis etiam toleratis, non licere Sacrificio interesse; quia excommunicatio definitur censura, qua baptizatus separatur ab Ecclesiastica Fidelium Communione. Ergo excommunicatus, qui cum eis in Sacrificio communicaret, censuram violaret, graviterque peccaret. Verum quidem est ex Decreto Concilii Constantiensis & Basileensis, Fideles non teneri vitare excommunicatos, qui ut tales non fuerint nominatim declarati, Sacerdotemque posse absque peccato celebrare, præsente v. g. Hære-

Hæretico, nondum expresse denuntiato; sed Decretum illud nullatenus favet hujusmodi excommunicatis toleratis, ut ibidem declaratur.

R. Quartò, peccator nullo excommunicationis aut interdicti vinculo ligatus, non est à Missæ Sacrificio repellendus, quia Missa est sacrificium propitiatorium. Ergo peccator ad illud recurrere debet, ut Deum sibi propitium reddat.

R. Quintò, irreverenter & sine debita dispositione accedit, nisi de peccatis doleat, vel saltem donum pœnitentiæ sincerè & suppliciter petat.

Probatur 1. auctoritate.

Conc. Tridentinum sess. 22. cap. 2. hanc à peccatoribus exigit dispositionem: *Docet sancta Synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur.*

Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 65. *Cùm hæc agimus*, inquit, *nos ipsos Deo in cordis contritione mactemus.*

Concilium III. Mediolanense, tit. de his quæ spectant ad Sacrificium Missæ, sic habet: *Cùm audiendæ Missæ rationem populum docet Parochus, eum sæpe admoneat, ut se quisque colligens, si sibi alicujus mortiferi peccati reatu mortuus est, summo ex eo dolore affectus, supplex à Deo veniam petat.*

Angelus à Clavasio, verbo *Feriæ*, scribit, *Fidelis audiat Missam integram, & conteratur, vel saltem atteratur, qui est in peccato mortali.*

Denique, ordo Liturgiæ Latinæ præscribit, ut antequam Sacerdos ad altare ascendat, stet infra gradum infimum, ubi inclinatus, publicè se peccatorem confiteatur, veniam precetur, circum-

circumſtantesque roget, ut pro ſe apud Deum intercedant cum omnibus ſanctis, quos invocat; tum circumſtantes exemplo celebrantis, ſimilem confeſſionem emittunt; & ſic omnibus per pœnitentiam præparatis, altare conſcendit, & Miſſam inchoat.

Meminit S. Auguſtinus ſerm. 351. num. 6. aliàs hom. 50. non abſimilem ritum ſua ætate obſervari ſolitum; ſic enim ſcribit: *Unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus.*

Probatur 2. ratione duplici.

Prima: Oblatio Sacrificii ſpecies eſt orationis excellentiſſimæ. Scriptum eſt autem, Proverb. 28. verſ. 9. *Qui declinat aures .... ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Atqui qui vult obſtinatus permanere in peccato, declinat aures ne audiat legem. Ergo.

Secunda: Qui ſatisfactionem exterius exhibet pro offenſa, quam vult retractare, ſed repetere proponit, is certè perſonam læſam non placat, ſed offendit, irridetque: atqui talis eſt peccator, qui in propoſito peccandi permanens, offert propitiatorium Miſſæ ſacrificium: videturque imitari ſacrilegos illos milites, qui in deriſionem flectebant genua coram Chriſto Domino, & ſurgentes dabant ei alapas, Joan. cap. 19.

Dices: Ergo ejuſmodi peccator à Miſſæ Sacrificio abſtinere debet.

R. Abſurdè, ne dicam impiè, ejuſmodi concluſio elicitur. Quid enim tam abſurdum, quàm docere mandata non eſſe implenda; ſed prorſus rejicienda, ex eo quòd peccatum ſit ea malè exequi: v. g. Horas Canonicas à Clericis non eſſe

esse recitandas, quia peccant, si absque attentione ac devotione eas persolvant: peccatorem ab oratione Dominica debere abstinere; quia, ut notat Bellarminus libro 2. de bonis operibus cap. 6. mendaciter, & veluti mimicè petit ut fiat Dei voluntas, & sanctificetur nomen ejus, dum obstinato animo contra voluntatem Dei pugnat, nomenque ejus blasphemare facit suis scandalis. Annon rectius concluditur & orandum in spiritu, & Missæ sacrificium offerendum, ut Deus inde propitius factus, voluntatem à servitute peccati liberet? alioquin non sine offensione Fidelium prædicatur peccatorem obstinatum debere abstinere à Missæ sacrificio; maximè cùm constans sit Ecclesiæ doctrina sacrificium diebus Festis non posse negligi sine gravi peccato, nec hactenus Ecclesia definierit peccatorem graviùs peccare, si permanente affectu peccandi, sacro interfuerit.

Q. 9. *Satisne est Sacerdotibus, si Missæ Sacrificium offerant laicorum more?*

Cajetanus Commentario in art. 10. q. 82. S. Thomæ, scripserat de Sacerdotibus, qui rarò, aut nunquam celebrant omni impedimento cessante, peccare quidem, & venialiter tantum; sed Pius V. hanc doctrinam utpotè molliorem expungi voluit. Quare juxta sanam doctrinam

R. Primò, Sacerdotes jure divino tenentur aliquando celebrare. Probatur ex Scriptura Hebr. cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*; Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Patres Tridentini sess. 22. cap. 1. docent Chri-

Christum Apostolis, & eorum in Sacerdotio successorihus præcepisse, ut offerrent: *Uti*, inquiunt, *semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.*

Dices: Sacerdotes non magis tenentur offerre, quam prædicare, & confessiones audire, atqui Clementina, *ne in agro*, optat Monachos ad Sacerdotium promoveri, etiamsi spes non sit, fore ut Hierarchicis functionibus sub Episcopis dent operam: Ergo.

Nego maj. Namque Sacerdoti non incumbit prædicare, aut confessiones audire, nisi jurisdictionem acceperit, & plebs curæ ejus demandetur. Quare sufficit, ut ad illa munera obeunda sit idoneus, & paratus Episcopo præcipienti obtemperare. At in Sacerdotem assumitur, ut sacrificia offerat: ergo ex sua assumptione celebrare tenetur.

Instabis: Sacerdotes sanctitate & miraculis conspicui, prorsus sacrificandi munus sibi interdixerunt: Ergo.

Nego conseq. Quia paucorum factum, quod, ut bonam in partem interpretemur, facit eorum virtus non vulgaris, in exemplum trahendum non est: contra verò tenendum illud S. Ambrosii apud S. Thomam quæst. 81. art. 10. *Grave est quòd ad mensam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus; sed gravius, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus.* Denique tepidis illis Sacerdotibus, cum S. Bernardo epist. 91. num 3. respondendum, *si de sanctis & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certè sanctitatem, quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt.*

R. Secundò, præcepto Ecclesiastico Sacerdotes aliquando celebrare tenentur. Sic enim habe-

habetur in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. cap. *Dolentes referimus . . . Sunt qui Miſſarum celebrant ſolemnia vix quater in anno, & quod deterius eſt, intereſſe contemnunt . . . . hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis, penitus inhibemus.* Hæc autem pœna graviorem culpam ſupponit.

Q. 10. *Quoties Sacerdos celebrare tenetur?*

R. 1. Circa quoslibet Sacerdotes ſic ſanxit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 14. de reformatione: *Curet Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* Et Concilium primum Mediolan. part. 2. de frequenti divini Sacrificii oblatione, *Tridentini Concilii auctoritatem ſecuti præcipimus Sacerdotibus, cujuscunque gradus ſint, ut Dominicis & reliquis Feſtis diebus Miſſam celebrare non omittant.* Item, Concilium Remenſe anno 1583. *Sacerdotes,* inquit, *non tantùm diebus ſolemnibus, ſed etiam Dominicis, ſæpiusque, ſi fieri poteſt, ſacrificent.*

R. 2. Paſtores tam frequenter celebrare debent, ut ſuo muneri ſatisfaciant, & Tridentino citata ſeſſ. 23. cap. 14. Richulfus Sveſſionenſis anno. 889. art. 3. ſtatutorum ſic Parochos alloquitur: *Habete, quæſumus, ſtudium in Miſſarum quotidiana celebratione, & invitate Parochianos veſtros, ut ſi ad alios conventus venire non ſufficiant, ſaltem Miſſas frequentius audire non prætermittant.* Enimverò ſi Synagoga ex divino præcepto juge Sacrificium, hoc eſt, quotidianum, manè ſcilicet & veſperè, obtulit; in præcipuis Religionis Chriſtianæ Eccleſiis, quales ſunt Parochiales, parem cultum deeſſe non convenit. Hinc Apoſtoli quotidie

circa

circa domos frangebant panes, Act. 2. Prioribus etiam sæculis bis in die celebrabatur: *Liturgias*, inquit Theodoretus epist. 145. sæculo quinto, *in Ecclesia obimus tam ineunte die, quam desinente.* Et S. Cyprianus tertio sæculo epist. 61. sic scribit: *Decimas ex fructibus accipientes* (Clerici) *ab altari & sacrificio non recedant, & die ac nocte cælestibus rebus & spiritualibus serviant.* Quin & Valfridus cap. 21. de rebus Ecclesiasticis, refert summum Pontificem Leonem una die septies, vel novies, Missarum solemnia celebrasse, cum sanctus Bonifacius Moguntinus semel tantum per diem. At Alexander II. circa annum 1061. sic statuit apud Yvonem Carnotensem 2. parte decreti, & Gratianum de consecrat *sufficit Sacerdoti unam Missam in die uno celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit .... quidam tamen unam faciunt pro defunctis, & aliam de die, si necesse fuerit.* Ex his autem concludimus Pastores teneri, non quidem quotidie, ut vult Scotus, sed sæpius, quàm Dominicis & Festis, Sacrum facere. De Episcopis speciatim dicitur cap. ult. de Privilegiis in sexto, non decere illos ullam diem transire sine Missa absque rationabili causa.

R. 3. Capellanus toties celebrare tenetur, quoties fundator præscribit. Sed hic advertendum est onus Missæ quotidianæ impositum Capellano vel ratione loci, in quo vult fundator quotidie celebrari, vel sine respectu ad locum: si primum, Capellanus debet celebrare singulis diebus, nullo dempto, vel per se, vel per alium, si aliquo impedimento, v. gr. morbo, detentus sit. Si secundum, adhuc observandum, quid ferat contractus fundationis; si enim in eo legitur,

tur, vel per se, vel per alium quotidie celebret, nulla dies sine sacrificio debet prætermitti: sed si Capellanus simpliciter ad quotidianam Missam astringitur, intentio fundatoris præsumitur, ut id fiat 1. salva honestate & devotione, adeò ut Capellanus tum possit juxta communem Theologorum doctrinam sacrificium non offerre, cùm minus se dispositum sentit, ut colligitur ex cap. *Significatum*, de Præbendis: Quod tamen rariùs contingere oportet. 2. Nisi obstet Capellani corporalis infirmitas unius aut alterius hebdomadæ; namque herus famuli sui stipendia haud minuere solet, si brevi ægritudine detentus sit. Quòd si diutius duraret infirmitas, substituendus esset Vicarius, nisi nimia beneficii tenuitas excusaret.

Q. 11. *Expeditne singulos Sacerdotes quotidie celebrare?*

R. 1. Expedit quotidie celebrare cum debitis dispositionibus. 2. Peccat Sacerdos, reusque existit corporis & sanguinis Domini, si sine debitis dispositionibus offerat. 3. Deest officio suo, si ex negligentia ab altari abstineat, vel mores corrigere non curet, quò semper sit dispositus ad offerendum. Patet ex dictis capite 21. 1. partis, confirmaturque ex S. Bonaventura cap. 5. de præparat. ad Missam, ubi sic Sacerdotem alloquitur: *Proba te ipsum ex quanta charitate, & quali fervore accedis. Non solum cum mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, & per inconsiderationem, sive distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis. Licèt non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum, &*

ineptum

ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres, & stipulæ per afflatum Spiritus & flammam charitatis consumantur. Ideo cave ne nimis tepidus, & inordinatus accedas & inconsideratus; quia indigne sumis, non accedis reverenter, circumspectè, & consideratè. Unde Apostolus, judicium sibi manducat & bibit. Quod apertius insinuat, cùm dicit, ideò inter vos multi imbecilles sunt per fidei inconstantiam, & infirmi, id est, gravi peccato sauciati, scilicet per teporem, & desidiam. O quam graves angustiæ me undique affligentes! accedere indignè, horrendum est judicium: non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabilis est culpa. Nam cum Sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, privat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates. Item non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei, & tamen scriptum est, maledictus, qui facit opus Dei negligenter, *Ultimo, quantum in se est, evacuat divinum cultum, & latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis. Ergo quantùm potes, toto conatu per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem, & devotionis flammam, expelle à te omnem teporem & negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona.*

Enimverò Sacerdotes, & alii Clerici non à publicis Reipublicæ oneribus eximuntur, neque fidelium oblationibus sustentantur, ut otio diffluant, & propriis cupiditatibus indulgeant; sed ut, quæ Domini sunt, curent, sancti corpore &

ſpiritu permaneant, continuò rebus divinis incumbant, mediatoresque pro populo apud Deum precibus & ſacrificiis ſemper agant; quibus ſi defuerint, nullum hominum genus in Republica tam inutile, tamque ſuperfluum fingi poteſt, ut latè proſequitur S. Bernardus tract. de vita & moribus Clericorum.

Objiciunt Novatores: Chriſtus cœnam in Apoſtolorum cœtu celebravit, & ut ita facerent præcepit, *hoc facite*, inquit. Idem præſtiterunt Apoſtoli 1. Corinth. 11. & ſucceſſoribus obſervandum tradidere. Unde S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnenſes, *ubi Epiſcopus fuerit, ibi & plebs congregetur*. Et S. Baſilius in Pſal. 115. circa finem, *non in latebris deliteſcens ſacrificabo, ſed publicum exhibebo tibi ſacrificium, aſſumpto mecum univerſo populo.* Ergo uſus Miſſarum privatarum eſt illicitus.

Nego conſequentiam, utpotè quæ ex antecedente nullatenus erui poſſit. Namque 1. Dominus, ut ſæpe monuimus, non præcepit niſi ſubſtantiam operis, circumſtantias verò reliquit Eccleſiæ diſpoſitioni, quod ipſimet adverſarii agnoſcere coguntur, cùm in ſua cœna non obſervent omnia quæ cœnam Dominicam comitata ſunt; non lavant pedes, non panem azymum aſſumunt, non cœnam communem præmittunt, nec horam expectant veſpertinam. 2. Ad ſummum ex allatis textibus colligi poſſet, fideles ex præcepto divino aliquoties in unum convenire debere ad Euchariſtiam celebrandam, quod Eccleſia hactenus obſervavit. Sed nullo Scripturæ, aut veterum Patrum teſtimonio probari poteſt Miſſas privatas abſolutè fuiſſe prohibitas, quan-

quanquam nec propriè privatæ, ſed communes dici debent, cum à publico Miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus Fidelibus, licet abſentibus & diſperſis, celebrentur, ut ait Tridentinum Conc. ſeſſ. 22. cap. 6.

Dixi, *abſolutè;* Namque improbantur imprimis Miſſæ Schiſmaticorum, & Acephalorum, qui à legitimis Paſtoribus ſe ſegregant, de quibus SS. Ignatius & Baſilius in objectione laudati, & Concil. Laodicenum cap. 55. Deinde, quæ in privatis oratoriis in præjudicium Eccleſiæ Parochialis celebrantur. His caſibus exceptis,

Privatarum Miſſarum uſus in Eccleſia ſemper fuit probatus, & retentus. Tempore perſecutionis fideles privatim in omni loco & tempore Dominica ſolemnia celebrabant, ex Tertull. lib. de fuga in perſecut. cap. 14. *Sit tibi*, inquit, *& in tribus Eccleſia.* S. Ambroſius Romæ trans Tiberim in domo clariſſimæ Matronæ ſacrificium obtulit, ex Paulino in ejus vita. Sanctus Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. refert unum ex ſuis Presbyteris ad domum quandam à ſpiritibus malignis vexatam perrexiſſe, *ibi*, inquit, *obtulit ſacrificium Corporis Chriſti . . . Deo protinus miſerante, ceſſavit vexatio.* Concil. Agathenſe initio ſexti ſæculi permittit can. 21. oratoria privata, in quibus Miſſæ peragantur *propter fatigationem familiæ.* Similem licentiam eodem ſæculo conceſſit S. Gregorius lib. 2. Epiſt. 9. & lib. 5. Ep. 45. teſtaturque lib. 5. Ep. 50. Palladium in Eccleſia à ſe extructa altaria tredecim collocaſſe Concil. Moguntinum anno 847. pro Ludovico Rege Germaniæ Miſſarum tria millia & quingentas celebrari juſſit. Et eodem circiter tempore Angelbertus Abbas S. Richarii præcepit ut ſingulis

gulis diebus ad minus triginta à Fratribus per diversa altaria Missæ agerentur, exceptis duabus conventualibus, & solemnioribus in Chronico Centullensi lib. 2. cap. 11. tom. 4. Spicilegii.

CAPUT XII.

Quando & ubi offerendum est Missæ Sacrificium?

R. Primò, quolibet die celebrare licitum est, excepto die Parasceves, quo Ecclesia sacrificium cruentum veluti præsens ante oculos exponit, adeo ut consentaneum non videatur per incruentum sacrificium, commemorationem illius facere tanquam rei præteritæ, cùm præsens exhibeatur illo die & sabbato sequenti, usque ad noctis crepusculum, quo Stella in cœlo apparere incipit, ex capite *Sabbato*, dist. 3. de consecratione; tunc enim solemnitas Resurrectionis Dominicæ, quæ nocte contigit, canticis lætitiæ, & Missæ sacrificio celebratur, ex ordine Romano, Rabano, Hugone Victorino, & aliis. Sed cùm hodie refriguerit Fidelium devotio, Ecclesia nunc solemnitatem Resurrectionis anticipat circa meridiem. Utrum autem manè liceat Missam privatim celebrare, non una est Ecclesiarum disciplina.

R. Secundò, jure communi Missa non debet ante auroram absolvi, & post meridiem inchoari. Ita Pius V. Constitutione sua, quæ incipit *Sanctissimus*, & in Rubricis Missalis.

Dixi, *jure communi*; Namque 1. cap. *nocte sancta*, de consecrat. dist. 5. licitum est nocte Nativi-

tivitatis à galli cantu, non ſolum ſemel, ſed & ter Miſſam celebrare, dummodo ablutio non ſumatur in duobus primis ſacrificiis. Nullum tamen extat præceptum trinam Miſſam ſive celebrandi, ſive audiendi. 2. Propter neceſſitatem poteſt hora vel præveniri, ut ſi æger eſſet viatico reficiendus, & populus peregrinaturus tempus auroræ non poſſet expectare: vel differri, ut ſi die ſolemni concio publica ultra meridiem fuerit producta. Si Sacerdos die feſto viarum difficultate detentus, non potuit ante meridiem, ut ſperabat, pervenire ad locum, ubi ſacrificium erat facturus, poteſt Miſſam inchoare ante primam horam poſt meridiem. 3. Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut hora licitè præveniatur, aut differatur, præſumiturque ejus diſpenſatio in quibusdam regni partibus, ubi hyeme Miſſa celebratur tribus aut quatuor horis ante lucis ortum.

R. Tertiò, regulariter ſacrificium Miſſæ non debet offerri, niſi in domo Deo conſecrata; vel ſaltem auctoritate Epiſcopi benedicta. Ita decrevit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. Decreto de vitandis in Miſſæ ſacrificio. Habetur etiam cap. *Nullus*, de conſecratione, ſub comminatione depoſitionis, quæ pœna ſupponit gravem culpam. Domus autem illa Deo dicata apud Scriptores Eccleſiaſticos, dicitur 1. domus oratoria, Græcè Baſilica, Latinè Regia: 2. Memoria; quia in memoriam SS. Martyrum ſolebat erigi: 3. Titulus, quia Chriſtiani ſolebant demonſtrare aliquo ſigno, nimirum Crucis, hanc domum eſſe cultui divino mancipatam, quemadmodum locus fiſco addictus, aliquo titulo, puta imagine Imperatoris, aut inſcriptione

 deno-

denotabatur : 4. Templum, nunquam verò fanum aut delubrum. 5. Ecclesia, per quam vocem sumitur contentum pro continente, Ecclesia enim idem est ac congregatio, quæ apud Judæos dicitur Synagoga.

Dixi, *regulariter*; Quia in casu necessitatis: ut si Ecclesia, quæ in pago unica est, subitò corruat, aut igne absumatur, vel si in itinere positis Ecclesia defuerit, licet offerre in loco profano, cum dispensatione tamen Episcopi, nisi instet necessitas, v. g. dies festus, nec ad Episcopum recurri possit. Habetur cap. *Concedimus*, de consecratione.

Q. 2. *Debeturne templis aliqua reverentia?*

R. Debetur; quia ex Concilio Nicœno II. rebus sacris convenit Religionis honos: atqui Templa inter res sacras numerantur: Ergo. Unde apud omnes Theologos irreverentia in locum sacrum, est una ex speciebus sacrilegii.

Q. 3. *Quandonam peccatur contra reverentiam locis sacris debitam?*

R. Cùm in usus communes & profanos convertuntur (nisi adsit evidens necessitas) multo magis si in usus per se malos. Hinc S. Hieronymus in cap. 3. Danielis, de Baltassare Babylonis Rege, qui ad mensam profanam sacra vasa adhibuit, sic scribit: *Quamdiu vasa fuerant in idolio Babylonis, non est iratus Dominus; videbantur enim* (Babylonii) *rem Dei, secundùm pravam quidem opinionem, divino cultui consecrasse: postquam autem humanis usibus divina contaminant, statim pœna sequitur post sacrilegium.*

Probatur 1. ex Scriptura, Marci 11. Christus Dominus non sinebat, ut quisquam transferret vas per Templum, idest, per extimum Templi atrium, quod erat via commoda & compendiosissima,

ſiſſima, inquit Cornelius à Lapide, pergentibus in ſuperiorem urbem, vel in regiam Joan. 2. & Matth. 21. de Templo ejecit vendentes & ementes columbas, licèt ad uſum Templi: *Nuſquam reperitur*, inquit Alexander II. cap. *Ex multis Dominum tanta ſeveritate peccatores corripuiſſe ſicut illos vendentes & ementes in Templo.* 1. Cor. 11. de comeſſationibus profanis in Templo; *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis?* &c.

Probatur 2. ex jure Eccleſiaſtico. Conſilium II. Lugdunenſe ſub Gregorio X. can. 25. multos actus communes prohibet: *Nullus*, inquit, *in locis iiſdem ſeditionem excitet* (id eſt, bellum gerat) *conclamationem moveat* (ideſt, tripudia & ludos clamoſos, ut habetur cap. *Cum decorem*, de vita & honeſtate Clericorum) *ceſſent in illis Univerſitatum & Societatum quarumlibet conſilia*, de rebus ſæcularibus, & politica gubernat.) *Ceſſent vana, & multò fortiùs fœda & profana colloquia; ceſſent confabulationes quælibet . . . ne ubi peccatorum venia eſt poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis earumque cœmeteriis negotiationes. In his ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat & proceſſus judicum ſæcularium, ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in iiſdem locis, omni careant robore firmitatis.* Cap. *qua fronte*, prohibentur placita Eccleſiaſtica.

Innocentius III. C. *Relinqui*, de cuſtodia Euchariſtiæ, *firmiter*, inquit, *prohibemus, ne hujuſmodi ſupellectilia, tam Clericorum, quàm aliorum, in Eccleſia admittantur niſi propter hoſtiles incurſus, & alias neceſſitates urgentes.*

Concilium Tridentinum multa ex recenſitis prohibet Decreto de vitandis & obſervandis in

Missæ Sacrificio, Episcopisque injungit, ut cætera ab ipso non expressa corrigant, quod imprimis sanctus Carolus executus est in Concilio Mediolanensi primo & quarto, in quibus minima quæque reprehenduntur, placetque ea exscribere, ut Clerici discant, quomodo debeant in domo Dei conversari, & exigere sacris locis reverentiam.

Concilium itaque Mediolanense primum à Sede Apostolica approbatum, sic habet de locis sacris: *Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi liceat; neque hastam, aliave hujusmodi in eam inferre; ne mendici eleemosynarum causa in Ecclesia vagentur, sed extra Ecclesiam consistant. Adhibeatur diligentia, & gravi pœna mulctaque agatur, ut & Ecclesiæ, & oratorii & cœmeterii parietes ab urina, aliisve cujusvis generis sordibus mundi conserventur.*

Ex cœmeteriis vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ cujusvis generis, aut arbusta excidantur.

Nec fœnum ex his succidatur, neve herba virescens, quæ bestiis pabulo sit. Stabula armentorum, & cujusvis animalium inde procul sint.

In iisdem ne lignorum strues fiat, nec cœmentorum vel lapidum acervus sit, nec denique quidquam loci illius decori & sanctitati repugnans.

Ne omnino cujusquam rei profanæ schedulæ Ecclesiarum aut cœmeteriorum foribus, parietibus, aut in quovis loco sacro in posterum affigantur.

Ne Officinæ tabulæve quovis materiæ genere, vel ipsis parietibus inhærentes, vel in cœmeteriis construantur.

Ne Ecclesiæ aut Capellæ tecta palearum acervis, neve aliqua lignorum strue onerentur.

Ne item à parte superiori cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat: quæ verò loca jam ejusmodi sunt, omnino amoveantur. Ne

Ne frumentum ullumve tritici, aut leguminum genus, ne poma item, ne instrumenta ad prædiorum rusticorum usum comparata; ne denique quidquam à domo Dei alienum in Ecclesia Deo consecrata, aut in Oratorio, aut etiam cœmeterio reponi, aut acervari ab ullo quovis homine liceat. Vetitumque prætereà sit, nisi cùm interdum aliter Episcopus censuerit, clavem ullius Ecclesiæ aut Oratorii etiam ruralis laicis hominibus, præsertim verò colonis committi.

Ne campanæ in iis conflentur.

Ne in cœmeterio frumentum quasi in area ventiletur, fruges expendantur; ne verò telæ, pannive linei aqua madefacti ad Solem ibi exponantur; neque in eo fœminæ maresque colo quidquam neant, aut aliud opus faciant sacrorum locorum rationi alienum, Ecclesiæ ostia, cœmeteria item, aut Rectori, aut etiam aliis usui ne sint, res profanas, oneravе asportantibus, quasi per viam publicam transeuntibus: cui rei planè ut occurratur, cautionem omnem Episcopus adhibeat.

Ne grammaticæ humanarumque Literarum rudimenta, quæ sæpè inanibus gentilium fabellis traduntur, aut aliæ omninò Literæ præter sacras, in Ecclesia exponantur.

Altaria, sacræ tabellæ, & imagines, ac parietes ipsi perpetuo niteant; pavimentum autem, saltem octavo quoque die diligenter verratur. Hæc omnia præstari cujusvis Ecclesiæ sit cura Rectoris.

Dixi in responsione, *nisi adsit evidens necessitas:* hunc enim casum excipit Innocentius III. cit. cap. de custodia Eucharistiæ.

Q. 5. *Omnis actio per se mala, si fiat in Ecclesia, contrahitne circumstantiam sacrilegii in sacramentali Confessione necessariò exprimendam?*

R. Primò, certum est, quòd si actio mala specialiter prohibita in Ecclesia, pertingat ad malitiam

tiam peccati mortalis, circumſtantia illa loci ſacri in ſacramentali Confeſſione neceſſariò ſit exponenda; & ratio eſt, quia hæc loci circumſtantia novam addit peccati ſpeciem, utpotè quæ pugnet contra ſpecialem Religionis virtutem.

R. Secundò, omne peccatum, ſaltem externum, in Eccleſia, etiamſi ſpecialiter lege Eccleſiaſtica non ſit prohibitum, ſacrilegii malitiam continet; quia ex dictis actus profani, & alibi liciti, repugnant ſanctitati loci ſacri, fiuntque illiciti ex eo præcisè, quòd locum Deo conſecratum ad uſum profanum, contra ejus propriam inſtitutionem convertant: ergo à fortiori actus per ſe mali, ſi in loco ſacro exerceantur, fiunt ſacrilegi; quia multò magis repugnant ſanctitati loci, quàm actus ex objecto indifferentes. Unde ſi mortaliter ſint mali, in ſacramentali Confeſſione videntur cum illa circumſtantia exprimendi; præſertim quando non ſine gravi injuria loci ſacri in eo exercentur.

Dixi 1. *Si ad malitiam peccati mortalis pertingat*; Quia actus malus, etiam ſpecialiter prohibitus in loco ſacro, poteſt eſſe tantum venialis, vel ex defectu deliberationis, vel ex levitate materiæ; namque furari unum aut alterum aſſem in Eccleſia, eſt peccatum tantum veniale, contrahitque ſacrilegii ſpeciem ſolummodo venialem, quæ neceſſario in ſacramentali Confeſſione non eſt exprimenda. Hinc docet Suarez, colloquia otioſa in loco ſacro contrahere quidem ſpecialem malitiam ex circumſtantia loci, ſed venialem; quia materia eſt levis, niſi id fiat cum aliquo ſcandalo.

Dixi 2. *Peccatum ſaltem externum*; Nam de peccato merè interno, non ita conſtat apud omnes Theo-

Theologos. Suarez cum quibusdam aliis existimat cogitationem v.g. castitati contrariam, nullam contrahere malitiam ex circumstantia loci, ac proinde non esse sacrilegam; quia, inquit, actus interior, cùm sit merè spiritualis; non sit propriè in loco sacro & sensibili, nec ullam ad eum habet rationem, ac proinde nullam irreverentiam contra illum continet. Sed ratio illa non convincit, videturque irreverenter se gerere, qui turpia in loco sacro mente revolvit.

Q. 5. *Quinam actus mali specialiter prohibentur in loco sacro?*

R. Quatuor.

Primus, est furtum, Cap. *Quisquis*, dist. 17. qu. 4. ubi Joannes Papa observat furtum sacrilegum tripliciter committi posse, nempe auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de non sacro, aut sacrum de non sacro, ut si quis calicem in Parochi domicilio furaretur: in quo jus canonicum invenitur contrarium juri civili statuenti, quod si res privatorum in æde sacra depositæ subreptæ fuerint, furti actionem non esse sacrilegii, idest, furti hujusmodi reos non esse puniendos pœna sacrilegorum; sed malè inde colligunt nonnulli, furari rem profanam in loco sacro, non esse sacrilegium.

Secundus, est injuriosa sanguinis effusio cap. *Si Ecclesia*, de consecratione.

Tertius, est homicidium voluntarium & injuriosum cap. *Proposuisti*, de consecratione.

Quartus, est pollutio voluntaria, seu seminis humani effusio: quod extendendum est etiam ad copulam conjugalem, quæ licèt per se sit honesta, tamen specialiter prohibetur in loco sacro.

Q. 6.

Q. 6. *Suntne aliqui actus ita prohibiti in loco sacro, ut propter eos polluatur, reconciliationeque indigeat?*

R. Quinque numerantur.

Primus, est sanguinis effusio, cap. *Proposuisti*, de consecratione. Debet autem illa effusio esse injuriosa, & mortaliter mala, alioquin non polluit Ecclesiam.

Dixi: *effusio;* Quia mutilatione, quæ est sine sanguinis effusione, non violatur Ecclesia; nomine autem effusionis intelligitur copia sanguinis. Unde aliquæ guttulæ non polluunt Ecclesiam.

Secundus, est homicidium voluntarium & injuriosum cap. *Proposuisti*, & cap. *Si motum*, de consecratione. Injuria autem fieret loco sacro, violareturque Ecclesia, si in ea Judex reum suspenderet, non vero si ad mortem eum condemnaret; aut si quis ob justam defensionem ibidem alium occideret.

Ex his sequitur, non pollui Ecclesiam, si quis extra percussus ad eam confugeret, ibique vel occumberet, vel magnam sanguinis copiam emitteret: contra vero Ecclesiam pollui, si in ea vulnus infligatur, & percussus tam celeriter exeat, ut sanguis non profluat, aut mors non sequatur, nisi in loco profano. Hoc posterius tamen negat Suarez.

Tertius, est adulterium, & qualiscunque humani seminis effusio voluntaria. Quòd si sit involuntaria, non polluit Ecclesiam, ex sancto Antonino 3. parte.

Quartus, est sepultura nominatim excommunicati, Cap. *Consuluisti*, de consecratione. Unde licèt prohibitum sit etiam sub anathemate in Concilio Turonensi anno 1583. sepelire in loco sacro publi-

publicum hæreticum, non pollueretur tamen in hypotheſi, quod non fuiſſet nominatim denuntiatus.

Quintus, eſt ſepultura Infidelis non baptizati (excipe, niſi Catechumenus ſit, cap. *Eccleſiam*, diſt. 1. de conſecratione.) Quod multi extendunt ad infantem non baptizatum, niſi in utero matris mortuus & incluſus ſit; ſed hanc extenſionem alii probabiliùs rejiciunt, quamvis illicitum ſit infantes non baptizatos in loco ſacro ſepelire, & inde cadavera illa, ſi fieri poſſit, ſint extrahenda. Advertes

1. Eccleſiam non cenſeri violatam, ſi aliquid eorum, quæ dicta ſunt, contigerit in loco ſejuncto proprio muro, aut tabulato fixo, à reliquo Eccleſiæ corpore: qualis eſt locus ſupra Eccleſiæ fornicem, aut campanile.

2. Cœmeterium violari & pollui iiſdem modis, quibus Eccleſia.

3. Eccleſia violata, cenſeri etiam cœmeterium violatum, ſi contiguum ſit; nam principale trahit ad ſe acceſſorium, contra verò violato cœmeterio, non ideò violata Eccleſia cenſetur; nam quod minùs eſt, non trahit ad ſe majus, capite *Una*, de conſecratione Eccleſiæ, in ſexto, ubi additur: *Si plura cœmeteria ſint cohærentia, ſed medio pariete ſejuncta, eorum altero violato, alterum propterea non reputatur violatum.*

Dixi, *ſi contiguum ſit*; Nam violata Eccleſia, non violatur cœmeterium ab ea diſtans.

4. Si Eccleſiæ violatio ſit ſecreta, Eccleſiam non eſſe reconciliandam; quia ſicut nemo amittit jus conſervandæ ſuæ famæ, quamdiu crimen ejus manet occultum; ſic ne Eccleſia minùs idonea cenſeri debet, quominùs in ea celebretur Officium divinum,

vinum, ex eo quòd in ea aliquid clam contigerit.

At, inquies, si postquam Sacerdos celebravit in Ecclesia secretò violata res posteà in aliorum notitiam veniat, indigebitne Ecclesia reconciliatione?

R. Non una est Theologorum sententia; alii enim affirmant Ecclesiam in hac hypothesi non indigere reconciliatione; quia Sacrificium in ea oblatum haberi debet pro reconciliatione. Alii contra contendunt Ecclesiam esse reconciliandam. 1. Quia opposita sententia nullo jure nititur. 2. Quia si celebratio Missæ instar reconciliationis esset habenda, Sacerdos mala fide celebrans in Ecclesia polluta, censendus esset eam reconciliare. 3. Quia si Episcopus dispenset ad tempus, ut in Ecclesia violata celebretur (quod ob causam necessariam fieri posse communiter docent) tempore elapso Ecclesia nihilominus reconcilianda erit.

Q. 7. *Quale est peccatum celebrare in Ecclesia, quam celebrans novit esse pollutam?*

R. Est grave peccatum: Quia materia est gravis, nullam tamen propterea celebrans incurreret censuram aut irregularitatem; quia nulla in jure est expressa.

Q. 8. *Quid faciet Sacerdos, si, dum celebrat, Ecclesia violetur?*

R. Si violatio contingat post Canonem incœptum, perficienda est Missa; quia jam censetur quasi substantialiter inchoatum sacrificium, quod non debet intermitti. Si autem ante Canonem violetur, relinquendum est altare, donec Ecclesia fuerit reconciliata.

Q. 9. *Per quem fieri potest reconciliatio Ecclesiæ violatæ?*

R. Si

R. Si ab Episcopo fuit consecrata, docent communiter Theologi non posse reconciliari, nisi per Episcopum, aut saltem per Sacerdotem, ex speciali mandato Summi Pontificis: quod si fuerit tantùm benedicta, posse reconciliari per simplicem Sacerdotem ab Episcopo delegatum. At inolevit consuetudo in Galliis, ut Sacerdotes Ecclesias consecratas ex delegatione Episcopi reconcilient etiam cum aqua, communi benedictione sanctificata.

Q. 10. *Quandonam Ecclesia consecrata execratur, seu consecrationem amittit?*

R. Cum parietes secundùm majorem partem destructi, aut absumpti sunt: c. *Ligneis*, de consec. Ecclesiæ, vel altaris ubi habetur: *Si tecta, aliaque ligna Ecclesiæ combusta sint illæsis parietibus, consecrationem non amittit, quia consecratio in parietibus consistit.* Hæc autem destructio duobus modis contingere potest. 1. Si Ecclesiæ parietes brevi temporis intervallo ita absumantur incendio, ut omnis crusta, vel major pars auferatur, licèt parietes non corruant; quia consecratio potissimùm consistit in exterioribus crustis. 2. Si Ecclesiæ parietes secundùm majorem partem de repente corruant; quia tunc Ecclesia, quæ consecrata fuerat, non censetur permanere. Secus si minor pars Ecclesiæ corruat, vel si minores partes crustarum aut parietum sensim, & per temporum intervalla corruant & reficiantur, quia moraliter censetur eadem Ecclesia subsistere: multominùs Ecclesia suam amitteret consecrationem per solam dealbationem superficiei.

Advertes 1. discrimen esse inter Ecclesiæ pollutionem, & execrationem. Nam polluta Ecclesia, polluuntur etiam omnia altaria, quæ in

ea fixa ſunt, quemadmodum & vice verſa altare pollui non poteſt, quin etiam Eccleſiæ corpus polluatur. At verò ſi Eccleſia execretur combuſtis, aut deſtructis parietibus, non ideo altaria execrantur, ſicul nec altari per fractionem execrato, Eccleſia execratur.

Advertes 2. prohibitum eſſe dirutam Eccleſiam, quæ conſecrata fuerat, ad ſæculares uſus convertere. Regula enim generalis eſt: quæ ſemel ſunt conſecrata, non debent in uſus profanòs converti, c. *Ligna*, de conſecr. ubi habetur, *Ligna Eccleſiæ dedicatæ, vel igni eſſe comburenda, vel ad aliam Eccleſiam, vel ad profectum Monaſterii eſſe adhibenda.*

Q. 11. *Quid eſt immunitas Eccleſiarum?*

R. Eſt privilegium locis ſacris jure canonico & civile conceſſum, ut ſint loca refugii, ex Concilio Aurelianenſi I. ubi ſic habetur: *Id conſtituimus obſervandum quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omninò non liceat.* Nec etiam prohibere poteſt quominus ad eos victus & veſtitus deferantur, lege *Præſenti*, codice de his, qui ad Eccleſiam confugiunt. Poteſt tamen Judex cuſtodiam Eccleſiæ apponere ne reus effugiat.

Excipiuntur tamen in jure nonnulli caſus, in quibus reum ab Eccleſia abſtrahi licet: primus, ſi crimen in ipſa Eccleſia commiſerit. Secundus, ſi publicus latro fuerit, vias publicas paratis inſidiis obſidendo, vel nocturnus depopulator agrorum, cap. *Inter alia*, de immunitate Eccleſiarum. Tertius ſi per induſtriam occiderit proximum ſuum, ſeu per inſidias, ſeu venenum cap. 1. *de homicidio.*

Advertes 1. hanc immunitatem eſſe tantùm introductam, reſpectu Judicum ſæçularium, non verò

rò Ecclesiasticorum, Clericosque delinquentes posse auctoritate Ordinarii extrahi ex Ecclesia ad Judicium Ecclesiasticum. 2. Ejusmodi juribus derogatum esse in Galliis.

CAPUT XIII.

Quid observandum circa altare, & ejus suppellectilem?

R. In quocumque loco Missa celebretur, altare lapideum ab Episcopo consecratum requiritur, c. *Altaria*, de consecr. dist. 1. *Quædam novellis & Ecclesiasticis regulis*, inquit S. Leo ep. 82. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, *sibi prohibita noverint* (Presbyteri) *sicut Presbyterorum, aut Diaconorum, aut Virginum consecratio, sicuti constitutio altaris, ac benedictio vel unctio.* Attamen cùm hæc dispositio sit juris Ecclesiastici, Summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, potest concedere Abbati, vel simplici Sacerdoti, facultatem consecrandi altaria.

Q. 2. *Quandonam altare censetur execratum, & amisisse benedictionem?*

Duplicis generis est altare: aliud fixum, quod alicui loco seu basi affixum est: aliud portatile seu mobile, quod etiam dicitur viaticum; consistitque in simplici tabula lapidea, eaque angustiore. His præsuppositis,

R. 1. Altare fixum execratur, si motum fuerit è loco suo sine sua basi, Cap. *Quod in dubiis*, de consecr. ubi sic habetur: *Tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari.* Mobile autem altare consecrationem non amittit;

etiamsi à ligno, in quo inclusum est separetur, nisi fortè in ligno loculus Reliquiarum inclusus sit. In hoc enim casu execraretur secundum plures Theologos; sed Reliquiæ solent recludi in ipso lapide.

R. 2. Utrumque altare, sive fixum, sive portatile consecrationem amittit per enormem, seu notabilem effractionem, ut habetur in citato cap. *Quod in dubiis.* Fractio autem censetur notabilis, si in nulla parte confracti lapidis Calix cum hostia reponi possit. Utrùm autem ablato cornu, in quo signum Crucis solet unctione imprimi, altare execratum censeatur, alii affirmant, alii probabilius negant, standum est judicio Episcopi. Certum est manere execratum, etiamsi partes, quæ separatæ non sufficiunt ad continendum Calicem & hostiam, calce aut alio modo coadunentur.

Addere liceat, prohiberi cap. ult. dist. 2. de consecratione, ne in altari, in quo Episcopus celebravit, Presbyter eodem die celebrare præsumat, idque ob Episcopi reverentiam; sed excipi debet, nisi Episcopus licentiam ipsi dederit, vel necessitas urgeat.

Monet S. Carolus altare portatile ita collocandum esse supra tabulam non consecratam, ut tantisper emineat, quo faciliùs Celebrans cavere possit, ne Calix, sive hostia deponatur extra lapidem consecratum.

Q. 3. *Estne necesse ad consecrationem altaris, ut Reliquiæ sanctorum in eo recludantur?*

R. Res non est omninò certa, multi Theologi contendunt, sine Reliquiis SS. altare non posse consecrari, consecratumque execrari ablatis Reliquiis, vel fracto sigillo loculi, in quo sunt recon-

conditæ, probantque suam sententiam, 1. ex c. *Ad hæc*, de consecr. in quo sic legitur: *Si altare motum fuerit, aut lapis ille, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari.* 2. Ex Can. 7. Concilii Nicæni II. ubi prohibetur, ne templa sine sacris Reliquiis consecrentur. 3. Ex usu Ecclesiæ, quæ sic orat ad Introitum Missæ, *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hìc sunt.* Alii, ut Suarez, Sotus, Conincus & cæteri, negant Reliquiarum inclusionem esse essentialem consecrationi altaris, ac proinde censent altare manere consecratum, etiamsi extractæ sint Reliquiæ, quia multa reperiuntur altaria sine Reliquiis consecrata, monentque Rubricarum Interpretes hæc verba laudatæ Orationis, *quorum Reliquiæ hic sunt*, esse omittenda, quando nullæ sunt Reliquiæ in altari, quod signum est Reliquias ad consecrationem altaris non requiri tanquam aliquid essentiale, citatosque canones non vigere. Sed facilè non est recedendum à communi Ecclesiarum praxi, firmata communiori Theologorum sententia, nempe altare sine Reliquiis non esse consecratum. Quare cura sit Parochi ineuntis possessionem Ecclesiæ, diligenter inspicere num altaria sint integra: experientia enim constat plures Sacerdotes in hac parte esse admodùm negligentes, solitosque celebrare in altaribus confractis.

Q. 4. *Quibus instructum debet esse altare, ut in eo ritè celebrari possit?*

R. Requiruntur Calix cum patena, mappæ, quæ dicuntur pallæ & toballiæ, corporale, purificatorium, velum, Crux, lumen, Missale, pulvinar, bursa, circa quæ nonnulla sunt observanda.

De Calice cum Patena?

Q. 1. *Ex qua materia Calix debet esse confectus?*

R. Calix cum patena debet esse non ligneus, nec vitreus, nec æreus, sed aureus, vel argenteus, & ab Episcopo consecratus; sic enim habetur cap. *Vasa*, de consecr. dist. 1. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus .... nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus ... ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus Sacerdotum sacrum mysterium Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat.* Et cap. *ut Calix*, de consecr. dist. 1. *Ut Calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat. De ære, aut aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat; nullus autem in ligneo aut vitreo Calice præsumat Missam cantare. Posset tamen fieri pes Calicis ex cupro sive ære; sed cuppa debet esse argentea, intus inaurata, simul cum patena.*

Cùm consecratio Calicis sit juris merè Ecclesiastici; potest simplex Sacerdos ex dispensatione Summi Pontificis Calicem consecrare, hancque dispensationem habent nonnulli Abbates & Superiores Regularium; sed observandum est hujusmodi dispensationes consecrandi altaria & Calices, ipsis concedi pro Oratoriis sui Ordinis tantùm.

Q. 2. *Quomodo execratur Calix, sive Patena?*

R. Primò, per notabilem fractionem, ut si pes fixus separetur à cuppa; de pede autem tornatili secus judicandum est; quia eo separato, Calix fractus non censetur.

R. Se-

R. Secundò, si interior cuppæ superficies inauretur; quia consecratio præcipuè intelligitur esse in hac superficie. Si tamen ex longo usu illa superficies sensim deperdatur, tandemque nihil auri remaneat, Calix non amittit suam consecrationem. De patena sicut de Calice sentiendum est.

Q. 3. *Calix, vel Patena amittitne suam consecrationem, si ab Aurifice tangatur, in ignem mittatur, & resarciatur?*

R. Non amittit, si nulla fiat fractio, nec mutetur superficies interior sive cuppæ, sive patenæ; quia nullo Canone statuitur execrari Calicem in his casibus, vel etiam in hypothesi, quod eo quis sacrilegè usus fuisset in mensa communi.

Q. 4. *Si Sacerdos celebrasset, Calice aut altari non consecrato, censereturne illa consecrata?*

Non conveniunt Theologii: alii negant, alii affirmant, & pro sua quisque sententia easdem ferè proferunt rationes, quas præcedenti cap. adduximus ad quæstionem; an Ecclesia polluta habeatur pro reconciliata, eo ipso quò in ea sacrificium fuit oblatum. Ad suadendum tamen altare præsertimque Calicem in hac hypothesi consecrari, urget hæc ratio, quòd contactus Corporis Domini, & aspersio Sanguinis ejus, in quo omnia mundantur, majorem efficaciam habeat ad sanctificandum altare & Calicem, quàm ulla Ecclesiæ oratio & benedictio. Scio opponi posse exemplum Baptismi sine cæremoniis ab Ecclesia præscriptis administrari; illæ enim supplendæ sunt propter rationes alibi allatas, etiamsi certum sit infantem esse plenè purgatum & sanctificatum. Major quippe reverentia altaribus &

vasis sacris conciliatur, si ritu ab Ecclesia præscripto sanctificentur.

Sanbovius tamen tom. 2. casu 79. distinguit inter altare & Calicem, contenditque altare non manere consecratum ex sacrificio super illud oblato; quia opposita sententia nullo jure, nullave auctoritate fulcitur: Calicem verò consecrari ex solo contactu Sanguinis Christi; quia S. August. conc. 2. in Psal. 113. de vasis aureis & argenteis, quæ Ecclesia in ministerium sacrificii adhibet, sic scribit: *Pleraque instrumenta & vasa ex ejusmodi materia, vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicantur.*

De Mappis, Corporalibus, & aliis linteaminibus.

Rubricæ Missalis requirunt,

Primò, tres mappas, quarum una saltem sit auctoritate Episcopi benedicta. Altera potest duplicari, & pro duabus reputari. In quibusdam Diœcesibus unica duplicata adhibetur. Conveniunt omnes Theologi gravis culpæ reum esse Sacerdotem, qui sine mappa offerret; sed nonnulli, ut Suarez, non tantam culpam agnoscunt, si non esset benedicta, nec alia haberi posset.

Secundò, Corporale auctoritate Episcopi benedictum. Habetur c. *Consulto*, de consecr. dist. 1. Satius & commodius est, si in ejus extremitate nullum sit ornamentum, sed mundities in eo imprimis est servanda. Immunditiem gravem in Corporalibus & Calicibus vulgò damnant peccati mortalis. *Præcipimus*, inquit Innoc. III. de Custodia Eucharistiæ, *ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda & nitida conserventur. Nimis enim absurdum est in Sacris sordes quærere, quæ dedecerent etiam in profanis.*

Tertiò,

Tertiò, pallam, quæ cùm sit quædam pars Corporalis, olim indivisa, nunc autem separata, debet benedici eadem benedictione, qua Corporale, & confici ex eadem materia, scilicet lino, saltem ex ea parte, quæ tangit Calicem.

Quartò, purificatorium, velum, & bursam, pro quibus nulla extat benedictio, quod signum est ea non necessario esse benedicenda. Imò de velo nihil habetur in jure, nec apud antiquos Auctores, forsitan quia Corporali operiebant oblata. In quibusdam Ecclesiis Cathedralibus etiamnunc velum non adhibetur, tam in Missis privatis, quàm in solemni.

Denique requirunt Missale cum pulvinari, Crucem & lumen. Sine Missali nullus celebrare debet, quantumvis in memoria confidat. Crux debet esse exsculpta, in qua imago Crucifixi dependeat; sine gravi peccato omitteretur: imo sine ullo, si commodè haberi non posset. Lumen præcipitur cap. ultimo de celebratione Missarum. Præceptum illud sub mortali obligat, secundùm communem Theologorum doctrinam: duas candelas requirunt Rubricæ Missalis, in necessitate una sufficeret. Debent esse ex cera, non ex sebo, & alia viliori materia; neque pro candela adhibere licet lucernam ex oleo. Meminit Gavantus cujusdam Decreti Congregationis sacrorum Rituum, quo statuitur ne in Missis privatis, etiam Vicariorum generalium, plusquam duo cerei ardeant, ut consulatur modestiæ Celebrantis. Monet quoque Concilium Trident. sess. 22. Decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ, ne certus candelarum numerus ex aliquo superstitioso cultu adhibeatur.

Q. 1. *Eſtne antiquus mos accendendi lumina inter Miſſarum ſolemnia?*

R. Colligitur eſſe antiquiſſimum 1. ex Concilio IV. Carthaginenſi quarto ſæculo, ubi habetur, Acolythum in Ordinatione ſua accipere ab Archidiacono candelabrum cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari. 2. ex Sancto Hieronymo, qui contra Vigilantium ſcribit, in Eccleſia Catholica ſolere accendi cereos in meridie, quando Evangelium canitur: *non ad fugandas tenebras*, inquit S. Iſidorus, *ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*, ut ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Evangelio, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.*

Q. 2. *Quibus perſonis competit ſacra vaſa & lintea contingere?*

R. 1. Quamdiu in iis Corpus, aut Sanguis Domini continetur, nullus, præter Sacerdotem aut Diaconum, contingere poteſt ſine gravi peccato, deſumitur ex Cap. *Non oportet*, diſt. 23. 2. Eadem vaſa ſacra, etſi vacua ſint, ſicut corporalia & purificatoria, fas non eſt laicis & fœminis etiam Sanctimonialibus attingere, cap. *Etiam ſancta*, diſt. 1. de conſecr. & cap. *Sacratas*, diſt. 23. hujus præcepti transgreſſio, ſi contemptus abſit, eſt tantum venialis, imo nulla erit culpa, ſi adſit aliqua neceſſitas, aut honeſta cauſa. Nam Cap. *Nemo*, de conſecrat. ſtatuitur, ut corporalia & purificatoria, antequam laicis dentur, priùs à Diacono laventur in pelvi ad id præparata. Acolythis olim concedebatur contingere Calicem vacuum, ſed ſtandum eſt hodiernæ conſuetudini. 3. Alia ornamenta benedicta, quæ Corpus & Sanguinem Domini immediatè non contin-

contingunt, cum reverentia omnibus etiam laicis tangere licitum est.

CAPUT XIV.

Utrum Ecclesia mysticas vestes licitè instituerit?

Valdenses, dehinc Lutherani & Calvinistæ, sacrarum vestium usum rejecerunt, uti verbo Dei contrarium: tum quia Christus Dominus communibus vestibus Cœnam celebravit: tum quia omnes Eucharistiæ benedictiones ut meras superstitiones abominantur.

Contra hos Hæreticos Concilium Tridentinum doctrinam Catholicam asseruit sess. 22. c. 5. nempe vestes sacras ex apostolica disciplina & Traditione esse utiles ad Sacrificii Majestatem commendandam, & mentes fidelium piè excitandas. Et can. 7. sic definiit: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis: anathema sit.*

Probatur 1. hæc definitio ex Traditione. Concilium IV. Carthaginense Can. 41. prohibet, ne Diaconi utantur alba, nisi in sacro ministerio. S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, scribit, omnem Clerum in sacrificii celebratione candidis vestibus uti. Idem testatur S. Chrysostomus hom. 83. in Matth. Concilium Braccarense III. cap. 3. vult, ut Sacerdos Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini sumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumseptus, ut qui imperturbatus

batus consistere debeat inter prospera & adversa. Concilium Toletanum IV. cap 39. sanxit debere Levitam in sinistro humero orarium portare; quia prædicat; dexteram autem partem habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat. In Concilio Laodiceno cap. 22. & 23. Subdiaconi prohibentur uti orario. S. Gregorius in Brittanniam, præter sacra vasa, misit etiam vestimenta Sacerdotalia & Clericalia, ex Joanne Diacono in ejus vita lib. 2. cap. 27. & Beda lib. 1. Historiæ cap. 29.

Probatur 2. ratione ducta à simili. Reges ac Magistratus in publicis actionibus, non vulgari utuntur vestitu, sed alio angustiore, quo & reverentia ipsis concilietur, & simul imperium eorum, & potestas repræsentetur. Decebat ergo, ut in hac sacratissima actione Sacerdos peculiari & splendidiori habitu uteretur, tum ad reverentiam mysterii, tum ad Passionem Domini idoneè repræsentandam, tum ad sui ipsius commonitionem. *Sunt enim hæc ornamenta*, inquit Yvo Carnotensis serm. de rebus Ecclesiasticis, *virtutum insignia, quibus tanquam Sacramentis utentes, admonentur quid debeant appetere, quid vitare.*

Confirmatur ex omnium gentium usu, quæ semper in veste splendidori sua sacra perfecerunt.

Q. 2. *Quotuplicis generis sunt ornamenta Sacerdotalia?*

R. Sex numerant, eorumque significationes mysticas prosequuntur Scriptores octavi & noni sæculi; scilicet Alcuinus cap. de vestibus sacris, Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, Amalarius lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis. Sunt autem illa ornamenta, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, casula seu planeta, quo-

quorum significationes morales indicant preces, quæ pro singulis induendis ordinatæ sunt. Amictus est veluti galea spiritualis, significatque spem, & firmam Sacerdotis in Deum fiduciam. Alba perfectam munditiam; cingulum castitatem; manipulus cordis compunctionem, estque velut sudarium ad lacrymas defluentes colligendas. Stola seu orarium aliquando sumitur pro veste talari, sine qua Clerici procedere non debent, Cap. *Nullus.* Hìc autem accipitur pro veste sacra, estque symbolum innocentiæ per jugum Christi reparandæ. Est etiam signum jurisdictionis & oneris, quo premuntur Pastoris humeri. Casula denique, seu planeta repræsentat charitatem, quæ omnibus virtutibus supereminet, eas protegit, illustrat, & suaves reddit.

Q. 3. *Estne necesse ut singula Sacerdotalia ornamenta benedicantur ab Episcopo, vel ab habente facultatem?*

R. Affirmant communiter Theologi; quia inquiunt, universalis consuetudo in hac parte vim habet legis, obligatque sub mortali, à quo tamen nonnulli excusant, si solum cingulum benedictionem amisisset.

Q. 4. *Quandonam ornamenta Sacerdotalia amittunt benedictionem?*

R. Amittunt per fractionem, & eam immutationem, quæ pristinam formam tollat. Hinc non remanet benedictio, si manica albæ dissuatur, licet mox denuo consuenda; si cingulum totaliter ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum sufficiat. Dixi, *totaliter*; nam si antequam facta esset partium divisio, inter se connecterentur, benedictione sua non privaretur. Contra verò, si hæ vestes duplices sint, id est ex duplici parte inte-

interiori, & exteriori constantes, singulæ partes etiam separatæ manent benedictæ; quia retinent suam integram formam. Idem dicendum, si pars interior sit detrita, exterior verò integra, & vice versa; sola enim detrita execrata est. Sed observandum est hujusmodi vestes posse esse ita laceras, ut etiamsi formam ac proinde benedictionem non amittant, iis tamen uti non liceat.

Q. 5. *Quid faciendum de iis vestibus detritis, & ad Sacrificium ineptis?*

R. Non possunt in usus profanos converti, sed sunt igni tradendæ, vel defodiendæ, Cap. *Altaris* dist. 1. de consecratione. Vasa verò argentea, vel aurea igne transmutata possunt deservire usibus profanis, quia moraliter non remanent eadem.

Q. 6. *Res, quæ usibus profanis deservierunt, possuntne altaribus consecrari?*

R. Possunt, præsertim si earum mutetur forma, ut advertit S. Augustinus delubra Paganorum in templa conversa sunt.

Q. 7. *Si aliqua ex vestibus Sacerdotalibus desit, nec haberi possit, omittendumne est Missæ Sacrificium etiam in casu necessitatis?*

R. Pensandum est, quatenus ex una parte sit defectus, & ex altera quanta sit celebrandi necessitas. Namque 1. in communi & profano vestitu nunquam licet offerre: quod etiam verum est, si desit altare consecratum, sive calix, sive patena, sive corporale. 2. si tanta sit celebrandi necessitas, puta si frequens populus sine scandalo dimitti non posset, celebrare liceret sine manipulo, aut cingulo. Si autem tanta non sit necessitas, si v. g. Sacerdos aliter satisfacere non possit

possit præcepto audiendæ Missæ ex S. Antonino, præstat non audire, quam indecenter celebrare. Monent communiter, in casu necessitatis licitum esse uti stola pro cingulo, vel manipulo pro stola.

Q. 8. *In vestibus induendis preces pro singulis in Missali descriptæ, suntne ex præcepto recitandæ?*

R. Communis est Theologorum sententia, paucis repugnantibus, hujusmodi preces ex præcepto recitandas, nec sine peccato posse omitti, quia ita expresse præscribunt Missalis regulæ. Levitas tamen materiæ à peccato mortali excusaret, quidquid in contrarium dicant nonnulli. Idem videtur dicendum de Officio nocturno cum Laudibus ante Missam præmittendo, nisi causa honesta excuset, v. g. si instet hora celebrandi, & populus aut persona gravis expectet, vel commodum celebrandi tempus elabatur. Preces autem, quæ vulgo dicuntur, *Præparatio ad Missam*, non obligant, quia in Missali proponuntur pro opportunitate Sacerdotis dicendæ, quod præceptum non sonat.

CAPUT XV.

Utrum Ritus Sacrificii sit probandus?

Novatores quatuor in nostra liturgia reprehendunt. Primum, quòd constet cæremoniis, quæ nec in natura, nec in Scriptura fundamentum habent; sed sunt meræ hominum Traditiones. Secundum, quòd peregrina & ignota, non vulgari lingua peragatur. Tertium, quòd nonnulla secreto pronuntientur. Quartum, quòd multa erronea, & superflua, quæ sapiunt verbosita-

bositatem, contineat. De quibus sigillatim dicendum.

DE CÆREMONIIS.

Aliæ sunt à natura institutæ, ut inter orandum levare oculos in cœlum, tundere pectus, genuflectere; aliæ in Scripturis mandatum, aut exemplum habent, ut Psalmos cantare: aliæ denique sunt institutionis humanæ, & ab Ecclesiæ Pastoribus præceptæ. Pseudo-Reformati postremas solummodo impetunt.

Atque ut justam rixandi causam prætexant, multa comminiscuntur mendacia. Dicunt 1. Catholicos in hujusmodi cæremoniis præcipuum Dei cultum reponere, quamvis Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. doceat post Tertullianum & Sanctum Augustinum, cæremonias esse adminicula, quibus fidelium mentes ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem sustollantur: ad essentialia Religionis se habere, sicut arborum folia ad fructus conservandos, atque esse resecandas, si multitudine obruant, ut ait S. Augustinus Epistola 55. olim 19. 2. Catholicos docere peccatum esse mortale, & anathemate dignum, si minimum quid in his cæremoniis mutetur, cùm tamen Concilium Tridentinum hanc mutationem prohibeat solis inferioribus sess. 7. canone 13. constansque sit Theologorum doctrina, levitatem materiæ in iis, sicut in aliis præceptis, excusare à peccato mortali. 3. quod aliquibus cæremoniis tribuamus Sacramentorum efficaciam, licet omnium Catholicorum una sit sententia, nullam cæremoniis convenire virtutem ex opere operato,

operato, ſed ſolum vel ex opere operantis, vel ex ſuffragiis Matris Eccleſiæ, quæ quibusdam cæremoniis nobis applicantur. 4. Concilium Tridentinum approbare quoscunque ritus ab hominibus excogitatos, licet abſurdiſſimos; quod eſt manifeſta calumnia; nam cit. can. 13. non loquitur niſi de receptis, & approbatis Eccleſiæ Catholicæ ritibus, contra quos diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ, & ex S. Auguſtino Epiſt. 54. aliàs 118.

Eccleſiæ auctoritatem inſtituendi & præcipiendi hoc tertium genus cæremoniarum fusè probavimus tract. de Sacramentis in genere, ubi etiam expendimus juſtas cauſas, cur Eccleſia prohibuerit uſum vulgaris linguæ in publicis precibus. Quare circa cæremonias ſolùm hic breviter ſubjicienda ſunt, quæ praxim ſpectant.

Primum. Peccatum eſt omittere aliquam cæremoniam, & quidem mortale, ſi omiſſio fiat in re gravi, niſi invincibilis inadvertentia excuſet; quia illa omiſſio eſt transgreſſio præcepti, *Caveant, ne Sacerdotes*, inquit Concilium Trid. ſeſſ. 22. Decreto de obſervandis, &c. *ritus alios aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili uſu receptæ fuerint.* Et Pius V. in principio Miſſalis, ſic habet: *mandantes, & strictè omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, ut Miſſam juxta ritum, modum, & normam, quæ per Miſſale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant.*

Quæ autem materia cenſeatur gravis, non ita facilè definiri poteſt. Quare periculoſum eſt, ne, quæ nobis videntur minoris momenti, oculis di-

vinæ Majeſtatis graviſſima cenſeantur, & quæ fortaſſe levia cæteris in rebus haberi poſſent, ea multo graviora ſint, collata cum auguſtiſſimo ſacrificio, cujus finis eſt ſupremus omnipotenti Deo cultus deferendus; nam ſi conſtans Scholæ doctrina peccati mortalis obnoxios facit, qui tantillum aquæ cum vino admiſcere in calice neglexerit, quæ omiſſio levis hic cenſebitur?

Præter mixtionem aquæ ſatis conveniunt Theologi gravem eſſe materiam, Epiſtolam, Evangelium, Præfationem, & hoſtiæ fractionem, non vero canticum, *Gloria in excelſis*, ſymbolum, unam aut alteram collectam. A graviori autem peccato excuſari non poſſunt, qui truncant & deglutiunt magnam verborum partem, vixque ullam collectam, & orationem præſertim Canonis integram pronuntiant, in quo peccato Superiores etiam communicant, qui moniti tantam irreverentiam non impediunt.

Dixi, *præſertim Canonis*, ſtrictius enim obligat; quamvis levitas materiæ à peccato mortali etiam hic excuſare poſſit.

Advertes præceptum Eccleſiæ etiam transgredi Sacerdotes, qui proprias preces fundunt ſive dum levant, ſive dum percipiunt Chriſti Corpus; nam Pius V. poſt citata verba, *mandantes & præcipientes*, ſubdit, *ne etiam in Miſſæ celebratione, alias orationes, & preces addere, vel recitare præſumat.* Et Concil Trid. cit. decreto, *ne . . . preces . . . adhibeant præter eas*, &c. Notat tamen Suarez non peccaturum directè contra hoc præceptum, qui non animo mutandi ritum, ſed privatæ devotioni ſatisfaciendi, nonnulla interſereret. Sed hæc ſingularitas nec probari, nec tolerari poteſt.

Atque

Atque ut Sacerdotes intelligant, quantum ad miniſterii ſui decorem, majeſtatemque pertineat, vel minimas cæremonias accuratius obſervare, meminiſſe eos oportet myſteriorum noſtrorum cæremonias inſtitutas eſſe veluti loquentes pictu-ras, quæ rerum latentium ſanctitatem ſenſibilibus ſignis repræſentant. Jam vero quis neget tabel-lam paucis, iisque rudioribus lineis exaratam, oculos inſuaviter verberare, donec perita arti-ficis manus lineis tenuibus iiſque penè infinitis colorem, ſitum, umbras, diſtantiam, propin-quitatem ſingularum partium repræſentaverit? Idem prorſus in myſteriorum noſtrorum tractatio-ne cernere eſt; alii ſcitè & ornatè, alii indecen-ter ea peragunt; quia illi diligenter curant ſin-gula, iſti nonniſi graviora, quæ juvantur minu-tioribus, & ab iis mutuantur ſplendorem ſuum. Sic Sacerdos v. g. indecorè aſtantem populum ſa-lutat; quia quatuor aut quinque prævias omiſit cæremonias tanquam leviores, quas præſcribit Rubrica, ut ſalutatio compoſitè & decenter fiat. Quo uno exemplo declaratur minutioribus hujus-modi omiſſionibus, non modicam deformitatem in Miſſæ ſacrificium induci.

Secundum. Satis non eſt nullas omiſiſſe cæ-remonias, niſi & ipſi ſuum pondus, gravitasque affuerit, remota præcipitatione omni, quæ ea-rum dignitatem corrumpit. Qui commotior, ac celerior juſto celebrat, gravem corporis ſitum amittat neceſſe eſt: omnes motus ejus agitatio-nes ſunt incompoſitæ, circumſtantium oculis gra-ves. Exemplo ſint repetita Crucis ſigna ſuper ob-latis: ſi fuerint impreſſa celerius, quis ludicram geſticulationem hiſtrionis alicujus non dixerit

risum moventis, non pietatis sensum excitantis, adeò ut levius peccasse videri posset omisisse omnino, quam ita percurrisse festinanter?

Similiter impensiori studio animadvertendum, singulas voces eo pronuntiare affectu, ut ex celebrantis corde exire videantur, sintque sinceræ interpretes devotionis internæ, qua animatus ad sacrificium debet accedere. Quippe non loquitur, ut Deo intimos sensus aperiat, qui ei jam satis noti sunt; verum ut attentionem sui ipsius moveat, circumstantium pietatem accendat. Distinctè igitur singulas syllabas pronuntiet ea voce, quæ rerum repræsentatarum magnitudini respondeat; nempe volubilitas illa, qua nonnulli verba proferunt, ex natura sua ita mentem rapit, ut nulla ei relinquatur libertas assurgendi ad cogitationem rei per ejusmodi verba significatæ. Hinc debilitantur animæ vires, devotio extinguitur, fideles, qui adsunt, male de celebrante sentiunt, dum in id intentum vident, ut quàm celerrimè absolvat: manus provocatur vindicis Dei qui per Prophetam dixit, *maledicam benedictionibus vestris, quia non posuistis super cor.*

Tertium. Quantalibet reverentia exterior appareat, inanis est coram Deo, nisi comites animi affectus habeat. *Absque hoc*, inquit Sanctus Bernardus, *honor non habet gratiam; & qui de amore non venit honor, non honor est, sed adulatio.* Sedulitas, & diligentia singularis, qua Judæi cæremonias Mosaicæ legis observabant, non obstitit, quominus Deus eorum oblationes respuerit; quia externo illi apparatui, ac pompæ, cordis intima non respondebant. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu & veritate oportet*

ado-

adorare. Joan. 4. Enimverò quid cultus ille exterior in religione censeri debet? Scilicet tanquam arborum folia, quæ foyent fructus, arcent à frigore, & à solis ardoribus illæsos præstant: cæremoniæ enim à Christo & ab Ecclesia institutæ sunt ad alendam pietatem, accendendum, fovendumque fervorem charitatis. Cui igitur satis fuerit externum corporis habitum ad decorem composuisse, timeat sortem illius ficulneæ, cui maledixit Dominus, cum inter exuberantium foliorum pulchritudinem nullos in ea fructus deprehendit. Quæ autem debeat esse Celebrantis devotio, diximus cap. 7.

De Ritu, quo nonnulla submissa voce dicuntur.

Lutherus lib. de formula Missæ, liberum reliquit an alta, an submissa voce pronuntientur verba cœnæ, sed Kemnitius ejus discipulus in examine Conc. p. 2. contendit esse contra institutionem Dei, si secreto dicantur. 1. quia Christus Dominus voce intelligibili Cœnam instituit, præcepitque Apostolis, ut idipsum facerent. 2. quia hunc morem à primis sæculis Ecclesia observavit; nam ex S. Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 9 ad verba consecrationis populus respondere solebat, *Amen*. Unde Justinianus in Novella 123. præcepit, ut liturgia alta voce recitetur; nempè magici incantatoris est, inquiunt Pseudo-Reformati, nonnulla demurmurare. Sed contra.

1. Christus Dominus liberum reliquit Ecclesiæ alta, vel submissa voce sacrificium peragere.

Probatur, quia ex sæpius dictis hæc potestas perpetuò in Ecclesia fuit, ut in mysteriorum nostrorum celebratione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ utilitati fidelium, & ipsorum mysteriorum venerationi, pro rerum & locorum varietate magis judicaret expedire; atqui non pertinet ad substantiam Sacrificii modus ille verba recitandi: Ergo Domiminus ita Apostolis rem ipsam, non modum præcepit. Voce elatiori usus est; quia docebat eos, quibus verbis sacrificium perficeretur, quod etiamnunc observant Episcopi in ordinatione Sacerdotum.

2. Ritus, quo nonnulla secreto in Missa dicuntur, non est damnandus. Ita definiit Concilium Tridentinum sess. 22. can. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ Ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur damnandum esse ..... anathema sit.* Et cap. 5. docet ejusmodi Ritu majestatem sacrificii commendari, fideliumque mentes ad rerum divinarum meditationem sustolli.

Probatur ex omnibus liturgiis antiquissimis, tum Græcis, tum Latinis, quæ præscribunt nonnulla silentio dicenda, & altiori voce concludenda his verbis; *per omnia sæcula sæculorum.*

Respondet Kemnitius cit. loco, hæc intelligenda de voce moderata & sine cantu, quæ possit percipi à circumstantibus.

Contra. Primo, vox græca significat rem omnino occultam, & ita Græci eam interpretantur, secretò Liturgiæ partem legentes. Secundò, Innocentius I. Epist. 1. dicit pacem dandam post omnia verba, quæ aperire non licebat. Porrò si ea

si ea populus circumstans audire consuevisset, non erat, cur Innocentius aperire timeret. Hunc secreto pronuntiandi morem Patres Tridentini vindicant tanquam laudabilem.

Nihil in Liturgia superfluum, nihilve erroneum.

Probatur. Tota nostra Liturgia constat actionibus, & verbis: atqui nihil fit in ea, nihilve dicitur, quod pietatem & reverentiam non spiret: ergo revera nihil in Liturgia reprehendi potest, tanquam superfluum, & erroneum. Ita declaravit & definiit Concilium Tridentinum sess. 22. can. 4. & can. 6.

Quoad actiones, quæ ad tres classes reduci possunt.

In prima habentur omnes actiones præscriptæ, ut tremendum mysterium cum decore & modestia peragatur. Ad hoc confert, quod Sacerdos ad altare procedat oculis demissis, & incessu gravi, quòd pectus percutiat, dum dicit *mea culpa*, jungat manus ad illa verba, *in unitate Spiritus Sancti*, elevet verò dicens, *sursum corda*, quia ad venustatem & decorem pertinet, quòd actio sit conformis locutioni. Vertit se ad populum, dum illum salutando monet his verbis: *Dominus vobiscum*, naturale enim & decens, ut convertamur ad eum, quem alloquimur; bis quidem salutando non se vertit, nempe in præfatione, & in fractione Hostiæ; quia nunc major debet esse attentio ad mysteria proposita, nec decet ab iis oculos declinare.

In secunda classe sunt actiones, quibus Sacerdos testatur suam erga Deum reverentiam & cultum;

cultum; tales ſunt inclinationes corporis, genuflexiones, elevatio oculorum & manuum in cœlum, *illuc ſuſcipiunt Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis*, inquit Tertull. Apol. cap. 30. *capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus;* ad hoc enim ſpectat elevatio ſanctiſſimi Sacramenti ſtatim poſt conſecrationem, ut à populo adoretur, conjunctio etiam digitorum, quibus Corpus Domini tetigit Sacerdos, ne, ſi particulæ adhærerent, diſpergantur; *Calicis enim, aut panis aliquid decuti in terram anxiè patimur*, ait idem Tertullianus cap. 3. de corona Militis. In ſignum etiam reverentiæ Sacerdos oſculatur altare, & Miſſale, finito Evangelio. Eſt & aliud oſculum, quod datur à Sacerdote primo Miniſtro, & ab iſto aliis ſucceſſive, quod eſt ſignum amoris & benevolentiæ, de quo fit mentio in antiquis Liturgiis & apud SS. Cyrillum catech. 5. Chryſoſtomum 77. in Joan. & Juſtinum Apologia 2.

In tertia claſſe habentur omnes illæ actiones, quæ propter ſignificationem moralem, aut myſticam præſcriptæ ſunt. Tales ſunt 1. translatio Miſſalis à parte dextra ad ſiniſtram, per quam ſignificatur translatum Dei verbum à Judæis ad Gentiles. 2. aquæ mixtio cum vino, quæ ſignificat conjunctionem populi cum Chriſto, ex S. Cypriano Epiſt. 63. 3. ablutio digitorum, non ad abluendas corporis ſordes, inquit S. Cyrillus Catech. 5. ſed in ſymbolum oportere nos mundari à peccatis etiam leviſſimis. Unde notat S. Thomas non integras manus ablui, ſed digitorum extrema. 4. extenſio manuum ſuper oblata in teſtimonium, inquit Euſebius lib. 1. demonſtr.

Evan-

Evangelicæ, reatus nostri in hostiam translati. 5. usus frequens signi Crucis; quia ex Sancto Thoma consecratio hujus Sacramenti, & fructus ejus procedit ex Passionis Christi merito. Quæ autem significatio specialis respondeat unicuique signo Crucis, docent rubricarum interpretes. Addit idem S. Thomas Sacerdotem signo Crucis non benedicere oblata consecrata; nam quod majus est, non benedicitur à minore, sed solùm commonere virtutem Crucis in hoc mysterio operari. Quam autem antiquus sit usus signi Crucis in mysteriorum celebratione, patet tum ex omnibus Liturgiis, tum ex S. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. S. Chrysostomo hom. 50. in Matth. & S. Augustino tract. 118. in Joan. 6. thurificatio, ad significandum Christi bonum odorem, quia ad fideles derivatur Ministrorum officio, juxta illud 2. ad Cor. c. 2. *odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Hujus thurificationis meminerunt antiquiores Liturgiæ, & S. Damasus in vita S. Sylvestri, inter vasa sacra numerat thuribula. De cereis accensis jam diximus. In Missa solemni procedente Sacerdote ad altare, Ministri cum lumine præcedunt, ut habetur in Liturgia S. Chrysostomi: quo significatur virum Ecclesiasticum lucere virtutum splendore. Denique fit fractio Hostiæ, quæ secundum S. Thomam significat divisionem, quæ facta est in Passione sive partium corporis per flagella, clavos, & lanceam, sive animæ à corpore. Porrò in his nihil est, quod hæretici reprehendant, etiamsi de illis Ecclesia legem sanxerit; nam Calvinus ipse suas cæremonias præscripsit, docetque lib. 4. Institutionum, Ecclesiam dissolvi suis nervis,

deformari, & dissipari, si unicuique liceat mutare cæremonias.

Quoad verba, cùm Lutheranis non displiceant, quæ dicuntur in Missa Catechumenorum, illamque partem retinendam olim censuerint, non est cur in illa diutiùs immoremur. Præit confessio peccatorum; quia exigit mysteriorum sanctitas, ut nonnisi cum magna humilitate, & conscientiæ puritate ad ea Sacerdos accedat; nec est speciosa laus in ore peccatoris. Fideles quoque circumstantes peccatores & pœnitentes se profitentur; cùm enim sacrificium eorum nomine sit offerendum, & obstinatus peccator sincerum cultum Deo exhibere non possit, necesse est ut accedant corde contrito, convenientissimumque fuit ut publicè hanc animi sui præparationem profiterentur. Auctorem hujus Confessionis faciunt alii Damasum, alii Pontianum Damaso antiquiorem. Similis Confessio reperitur in Liturgia S. Jacobi.

Oratio dirigitur ad Patrem, concluditurque per Filium, per quem accessum habemus ad Patrem ita sanxit Concilium III. Carthaginense: dicitur autem Collecta; quia nomine totius populi in unum collecti funditur, colligitque singulorum vota & attentionem. Unde Sacerdos præmittit, *Oremus*, & in fine populus respondet, *Amen*, id est, *fiat*, *fiat.* Hujusce cæremoniæ meminerunt Sanctus Justinus Apologia secunda, Hieronymus Præfat. in epist. ad Galatas.

Post Collectam sequitur lectio ex Propheta, vel ex Apostolo, deinde ex Evangelio: de his meminit S. Justinus citata Apologia can. 9. Apostolorum, Concilium Laodicenum, & Carthaginense

ginense IV. Post lectionem Epistolæ dicitur Responsorium, quia populus respondet Lectioni affectibus, præsertim pœnitentiæ: dicitur etiam Graduale, quia canebatur dum Diaconus gradum ascenderet ad Evangelium decantandum. Sequitur *Alleluja*; displicet Luthero, quòd omittatur diebus jejunii; illud tamen sanxit Concilium Toletanum IV. imò testatur S. Augustinus epist. 119. nunc 55. suo tempore non fuisse decantatum, nisi diebus Dominicis, in signum lætitiæ ob Domini resurrectionem, & singulis diebus à Paschate ad Pentecosten. Unde S. Gregorius aliquando reprehensus fuit, quòd extra tempus Paschale jusserit ad Missas cani *Alleluja*, in omnibus festis, exceptis iis, quæ incidunt inter Septuagesimam & Pascha, cui reprehensioni respondet lib. 7. epist. 63. usum illum non à se incœpisse, sed introductum tempore S. Damasi.

Ante offertorium Sacerdos astantium mentes excitat hac salutatione, *Dominus vobiscum*, & admonitione, *Oremus.*

Præfationem esse antiquissimam colligimus ex Sancto Cypriano, libro de expositione Dominica, ubi sic scribit: *Sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere.* Quàm verò aptè sequatur Canticum Angelicum, nemo non videt.

Canon hìc inchoatur, protenditurque ad Orationem Dominicam exclusivè, ex sancto Gregorio citata Epist. 63. Canon autem idem est ac Regula non mutanda, quemadmodum aliæ Liturgiæ partes pro diversitate solemnitatum mutantur.

Ad

A Veteribus quoque vocatur actio, ideſt ritus, quo legitimè perficitur oblatio. Hinc commemoratio ſanctorum Martyrum quæ interſeritur in Canone, dicitur fieri infra actionem, hoc eſt, poſt Orationem, à qua cœpit Canon.

Antiquiſſimus eſt Canon, ſiquidem illum referunt Alcuinus, Amalarius, & alii Scriptores octavi & noni ſæculi, eo ordine quo habemus. Non unum habet auctorem; nam ex Concilio Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. quædam ejus partes ab Apoſtolis ſunt traditæ, aliæ ab antiquioribus Pontificibus identidem inſtitutæ; ſanctus Leo addidit, ut in ejus vita legitur, *ſanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*; refertque Beda lib. 2. Hiſtoriæ, ſanctum Gregorium inſeruiſſe, *dieſque noſtros in tua pace diſponat.* Unde cùm S. Gregorius cit. Epiſtola ſcribit quendam Scholaſticum (ſive illud nomen ſit proprium, ſive appellativum, idemque ſonet ac Doctor) compoſuiſſe Canonem, ſenſus eſt, quòd in ordinem redegerit partes Canonis jam ante ipſum inſtitutas, quemadmodum dicuntur ſancti Baſilius & Chryſoſtomus compoſuiſſe ſuas Liturgias, non enim credendi ſunt auctores omnium precum, ex quibus Liturgiæ illæ conſtant.

Novatores multis capitibus impugnant Canonem, 1. quòd in eo fiat memoria SS. Martyrum. 2. Quòd pro animabus in Purgatorio detentis oret Sacerdos. Sed eorum objectionibus jam ſatisfecimus cap. 9. 3. Quod alia bene multa ſuperflua, confuſa, contradictoria, falſa, vel etiam impia in Canone contineantur. Contra quæ Novatorum probra Patres Tridentini ſic habent ſeſſ. 22. cap. 4. *Eccleſia Sacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit,*

stituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quòd non maximè sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium . . . . erigat. Et Canone sexto : *si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.*

Probatur hujus doctrinæ veritas expendendo singula, quæ objici possunt.

Prima objectio, videtur falsum supponere hæc Oratio, *& in electorum tuorum jubeas grege numerari,* nempe electionem fieri in tempore, cùm tamen facta sit ab æterno.

R. Sacerdotem non petere simpliciter, ut Deus nos eligat, sed ut consequatur effectum æternæ electionis.

Secunda, verbositatem continent hæ Orationes, *quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris :* & peracta consecratione *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.*

R. His verbis exprimuntur perfectiones in hostia requisitæ, quas ipse Apostolus verbositatis non arguendus describit cap. 12. ad Romanos, his verbis, *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Rogat itaque Sacerdos, ut Deus facere dignetur hostiam, *benedictam*, idest, ut ex profana, benedicta fiat per consecrationem; *adscriptam*; id est, adscribatur & numeretur inter dona, quæ Deo probantur : *ratam*, idest, ita firma sit, & stabilis illa Dei approbatio, ùt fructum certum & perpetuum ex illa oblatione percipiamus : *rationabilem*, idest, ut bene, rationabiliter, & prudenter offeratur à nobis; & ita, juxta Apostolum, rationabile sit obsequium nostrum. Denique *acceptabilem,*

bilem, id eſt, digna ſit, tum ex parte rei oblatæ, ſeu doni, tum ex parte Miniſtri offerentis, quæ à Deo acceptetur: ita exponunt Alcuinus, & Innocentius tertius.

Tertia. Circa conſecrationem dicitur quòd Chriſtus Dominus elevaverit oculos ſuos in cœlum, benedicendo panem & calicem, quòd porrigendo dixerit, *æterni teſtamenti*, *myſterium fidei*, quod tamen falſum eſt, cùm apud nullum Evangeliſtam legatur.

R. Multa Chriſtus dixit, quæ ſola Traditione & ſine ſcripto ad nos devenerunt. Porrò credendum eſt juxta regulam S. Auguſtini, hæc verba ab Apoſtolis fuiſſe tradita, cùm Eccleſia Romana iis ſemper uſa fuerit.

Quarta. In Oratione, quæ ab his verbis incipit poſt conſecrationem, *unde & memores*, *Domine*, multa abſurda continentur. Namque 1. dum Sacerdos orat in hunc modum, *ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris*, videtur velle reconciliare Chriſtum Patri. 2. Præfert oblationem Abelis & Abrahæ, oblationi corporis Chriſti. 3. Supponit eſſe altare in Cœlo, ad quod vult deferri ſolam oblationem per manus Angeli, quaſi eſſet minùs accipienda, ſi manibus Chriſti ſummi Sacerdotis offerantur.

Reſp. ad ſingula. Non orat Sacerdos pro Chriſti reconciliatione, ſed pro noſtra infirmitate; quamvis enim oblatio ex parte rei, quæ offertur, & ex parte principalis offerentis, ſemper Deo placeat, tamen ex parte Miniſtri & populi aſtantis, poteſt non placere, & eſſe actio ſacrilega. Rogat igitur Sacerdos, ut Deus tribuat nobis fidem, & religionem veterum Patriarcharum, ut debito

debito modo Sacrificium longè præstantiùs offeramus, succurrantque nobis sancti Angeli, qui orationibus fidelium præesse solent: & sic patet responsio ad secundum & tertium momentum; quòd autem dicatur sublime altare, metaphorica est locutio, desumpta ex capite sexto Apocalypseos.

Quinta. In commemoratione pro defunctis est manifesta contradictio; ibi enim dicuntur dormire in somno pacis, & tamen Sacerdos adprecatur illis locum lucis & pacis.

R. Qui in Purgatorio purgantur, jam quiescunt liberi à tentationibus, & de sua salute securi, sed perfectè non quiescent, nisi adepta visione beatifica, pro qua citiùs obtinenda orat Sacerdos.

Sexta. In ultima Canonis Oratione videtur Sacerdos negare meritum bonorum operum, *non æstimator meriti*, inquit, *sed veniæ*, *quæsumus*, *largitor*, quæ verba maxime placent Kemnitio.

R. Sensus hujus Orationis est, neminem in particulari fiduciam habere in suis meritis; cùm ex una parte ignoremus utrùm amore an odio simus digni, & ex altera parte conscii simus nos multùm peccasse.

In hac Oratione fit iterum commemoratio SS. Martyrum. 1. S. Joannis, an Baptistæ, an Evangelistæ, quæstio est. Probabilior videtur Walfridi sententia, intelligendum esse Joannem Baptistam, qui fuit Martyr; nam de S. Joanne Evangelista ante consecrationem facta est mentio. S. Stephanus licèt Diaconus præponitur S. Mathiæ Apostolo, quia hic observatur ordo Passionis, non dignitatis.

Cur

Cur autem fiat commemoratio SS. nisi Martyrum excepta B. Maria V. hanc rationem affert Innocentius III. lib. 3. cap. 10. quòd cultus Martyrum in Ecclesia præcessit cultum aliorum Sacerdotum, institutaque est hæc Oratio antequam memoria SS. Confessorum publicè celebraretur. Aliam affert rationem Auctor Libri de sancta Virginitate apud sanctum Augustinum capite 45. nempe commendanda erat dignitas Martyrii, quod est aliquod genus sacrificii. Præmittitur B. Virginis memoria, tum propter ejus singularem excellentiam, tum quia plusquam Martyr passa est.

Septima. Hæc verba: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*, absurdè dicuntur de Christo, sub speciebus panis & vini latente; ipse enim sanctitas & vita est, ac proinde nec sanctificari, nec vivificari potest.

R. His verbis olim Sacerdos benedicebat fidelium oblationes, & novos fructus, quos Deus semper creat, seu producit, sanctificat per preces Ministrorum; vivificat, dans eis accretionem, benedicitque, ut nobis prosint ad sanitatem. Nunc verò Ecclesia has preces non absurdè aptat materiæ, ex qua corpus & Christi sanguis conficiuntur; namque Deus semper creat, sive producit frumentum & racemos, vivificat, sive perducendo ad maturitatem, sive convertendo panem & vinum; quæ ex his conficiuntur, in corpus & sanguinem Domini, qui est Panis vivus.

Hic desinit Canon. Reliqua Liturgiæ sunt vel præparationes ad Communionem, vel gratiarum actiones post Communionem.

Præmit-

Præmittitur Oratio Dominica juxta morem antiquissimum, ut constat tum ex Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos: tum ex S. Gregorio cit. Epist. 63. ubi scribit, Apostolos ante Canonem institutum oblationis hostiam ad hanc solam orationem consecrasse, hoc est, alias preces verbis consecrationis non addidisse. Unde patet sanctum Doctorem hujusce ritus non esse Auctorem, sed retinendum sanxisse, fortè quia alicubi omittebatur.

Octava objectio est Lutheri contra hæc verba, *commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Absurdum est, inquit, dicere consecrationem hac mixtione fieri. Deinde blasphemia est dicere commisceri corpus Christi cum ejus sanguine; namque vivus est Christus & indivisus; denique perperam tribuitur illi commixtioni virtus conferendæ vitæ æternæ.

R. Primò, non petit Sacerdos, ut tunc fiat consecratio, sed ut jam facta, sit nobis ad vitam æternam: virtus autem conferendi hunc effectum non tribuitur mixtioni, sed corpori & sanguini Domini. Unde patet solutio ad tertium Lutheri momentum. Porrò significatur per illam mixtionem, interprete Amalario, Resurrectio Domini, in qua anima per mortem separata rediit ad corpus. Potest etiam dici mixtionem illam esse consecrationem, quatenus est signum sacrum, adhibeturque ad significandum effectum spiritalem, quo sensu dicimus consecrari corpus Christi, quatenus ponitur in altari tanquam hostia Deo consecrata.

R. Secundò, corpus & sanguis Christi non

miſcentur in propria ſpecie, cùm ſub ea ratione ſint indiviſa, ſed in ſpecie panis & vini, ſecundùm quam corpus dicitur frangi & tangi.

CAPUT XVI.

Satisfit nonnullis difficultatibus circa ritum Sacrificii Miſſæ.

Q. 1. *Miſſa debetne eſſe conformis Officio diei?* R. Debet, niſi gravis cauſa excuſet, tum quia Cap. *Quidem*, de celebratione Miſſarum reprehenduntur Sacerdotes, qui prætermiſſo diei Officio, Miſſas, quas votivas vocant, frequentiùs celebrant: tum quia ſacra rituum Congregatio prohibuit, ne Miſſæ votivæ dicantur in Feſtis ſolemnibus & duplicibus?

Dixi, *niſi gravis cauſa excuſet;* Nam in exequiis v. gr. præſente corpore, Miſſa de Defunctis celebranda eſt.

Ex his ſequitur Sacerdotem, qui ratione beneficii, vel ſtipendii tenetur Miſſam celebrare de B. Virgine, vel de Defunctis, poſſe, imò debere diebus Dominicis & Feſtis duplicibus ſacrum facere de die; quia præſumitur fundator Eccleſiæ filius juxta matris præſcriptum ſuum legatum inſtituiſſe.

Q. 2. *Licetne Miſſam ſine Miniſtro celebrare?*

R. Prohibetur Can. *Propoſuiſti*, & ſeſſ. 21. Concilii Baſileenſis ubi inter alios abuſus notatur mos quarundam Eccleſiarum, in quibus Sacerdotes ſine Miniſtro celebrant, prohibeturque ne in poſterum id fiat. Refert tamen Laymanus hunc mo-

rem

rem viguiſſe ſuo tempore in quibuſdam Germaniæ partibus, maximè in pagis.

Q. 3. *In caſu neceſſitatis licetne uti mulieris miniſterio?*

R. Non licet; nam. c. 1. de cohabitatione Clericorum habetur: *Nulla fœmina præſumat ad altare accedere, vel Presbytero miniſtrare; &* ita obtinuit uſus, qui pro lege habendus eſt. Addit Suarez ſatius eſſe ſine Miniſtro celebrare, quàm fœminam habere adjutricem. Attamen in quibuſdam Belgii partibus, fœminæ, etiam ſine neceſſitate miniſtrant.

Q. 4. *Quid ſi ſit aliqua celebrandi neceſſitas, poteritne Sacerdos ſine Miniſtro Sacrificium offerre?*

R. Negat ſanctus Antoninus loco jam citato; affirmat verò Soto, exemplumque affert hujus neceſſitatis, nempe ſi aliter Sacerdos non poſſet ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, probabilior videtur Soti ſententia, in hypotheſi quòd viaticum eſſet miniſtrandum periculosè ægrotanti.

Q. 5. *Miſſa inchoata poteſtne aliquando intermitti?*

R. Certum eſt non licere, niſi urgeat neceſſitas, ex cap. *Nullus*, de celebratione Miſſarum: *Nullus Sacerdos, cùm cœperit: imperfecta officia præſumat omninò relinquere: ſi quis hæc temerariè præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.*

Dixi, *niſi urgeat neceſſitas;* Nam Theologi communiter docent, relinquendum altare etiam poſt conſecrationem, ut Sacramentum Pœnitentiæ miniſtretur homini in extremis conſtituto.

CAPUT XVII.

De ſtipendio Celebrantibus conceſſo.

Quæ graviora circa ſtipendium occurrunt, ea expendimus Tractatu de Religione, ubi de Simonia; utrùm ſcilicet honeſtum ſit ac licitum eleemoſynam ſeu ſtipendium accipere pro ſacris functionibus, poſſitque aliquando in iis Simonia committi? Leviora quædam duntaxat ſuperſunt hic examinanda.

Q. 1. *Quod eſt honeſtum ſtipendium Sacerdotis celebrantis?*

R. Quod taxatum eſt lege, vel conſuetudine ab Epiſcopo probata.

Q. 2. *Qui amplius requirit, quàm fuerit taxatum, teneturne reſtituere?*

R. Tenetur; Quia nihil ſupra taxationem illi debetur; & quod ultra accipit, illud involuntariè conferri cenſetur.

Q. 3. *Quid ſi ampliùs ultrò offeratur?*

R. Vel offerens novit taxationem, vel ignorat: ſi novit, cenſetur gratis & liberaliter dare: ſi ignorat, Sacerdos tenetur illum monere tantundem ſibi non deberi.

Q. 4. *Qui minora ſtipendia accipit pro pluribus Miſſis, poteſtne licitè ea in unum ſufficiens conjungere, & unica ſacrificii oblatione ſatisfacere?*

R. Affirmant nonnulli Theologi morales, probantque argumento à ſimili, nempe famulus, inquiunt, qui ob paupertatem coactus eſt paciſci pro minori mercede, poteſt damnum reſarcire occultè, ſubripiendo è bonis domini ſui. Verùm utraque propoſitio damnata eſt: prior quidem ab Ur-

Urbano VIII. anno 1625. declaravitque ejusmodi Sacerdotes ad restitutionem teneri : posterior verò in probationem prioris assumpta, ab Innocentio XI. ann. 1679. & à Clero Gallicano anno 1700. & meritò, quia pacta sunt strictè servanda; alioquin nulla fides in humana societate.

Dices; Concilium Trident. sess. 25. cap. 4. de reformatione, permittit Episcopis Missas, pro quibus celebrandis tenujores eleemosynæ à testatoribus sunt assignatæ, ad minorem numerum reducere : Ergo.

Distinguo anteced. permittit in diversa hypothesi, Concedo : In ea hypothesi, de qua est quæstio, Nego antecedens. Concilium itaque tum permittit reduci numerum Missarum, cùm vel reditus pro illis celebrandis constituti, sunt imminuti, vel quod erat congruum stipendium propter raritatem pecuniæ tempore contractus, jam evasit incongruum & insufficiens ; æquum enim est, ut imminuto stipendio, minuatur & Officium. Sed fidelitati & bonis moribus repugnat non servare pactum, etiamsi nulla supervenerit notabilis mutatio in re, pro qua initum fuit.

Q. 5. *Licetne Sacerdoti post acceptum stipendium, aliud iterùm accipere pro eodem Sacrificio, cum intentione cedendi in gratiam offerentis eam fructus partem, quæ ipsi tanquam Ministro contingit?*

R. Non potest, probaturque ex Alexandro VII. qui anno 1665. hancce quorundam recentiorum propositionem proscripsit, *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.*

Q. 6. *Beneficiarius, qui ratione Beneficii tenetur certis diebus Sacrificium offerre, v. gr. Curatus diebus Dominicis & Festis, potestne illud idem Sacrificium applicare offerentibus stipendium?*

R. Non potest, ex Decreto Urbani VIII. anno 1625. Et ratio est, quia duplicatum stipendium acciperet pro uno & eodem Sacrificio, fructus enim Beneficii habent rationem stipendii.

Q. 7. *Qui pinguius accepit stipendium, potestne partem stipendii retinere, & Missam quam celebrandam susceperat, alteri Sacerdoti committere, concedendo alteram stipendii partem, quæ sit sufficiens secundùm Ordinarii taxationem?*

R. Iidem Summi Pontifices Urbanus VIII. an. 1625. & Alexander VII. anno 1665. damnarunt hanc propositionem: *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Alexandro VII. præiverat eodem anno Academia Parisiensis: *Hæc propositio, ut jacet*, inquit; *falsa est & scandalosa, favet turpi lucro, avaritiæ & injustitiæ.* Et ratio est, quia Sacerdos ille vel Ecclesiæ administrator absque justo titulo illam partem retineret; neque enim gratuitò illi donata est, sed cùm onere celebrandi Missam: ergo cùm illud onus in alium rejiciat, beneficium quoque in illum refundere debet, alioquin esset injustus, & ad restitutionem teneretur. Administratores tamen Ecclesiæ, ex eodem Urbano, aliud retinere possunt pro expensis cereorum, panis, vini, & paramentorum. Ita tamen, inquit Summus Pontifex, si expensis deductis supersint pecuniæ hoc modo comparatæ, Missæ celebrentur pro iis, qui illas obtulerunt.

Q. 8.

Q. 8. *An iſta reſponſio ſit extendenda ad Beneficiarios, Capellanos, & Parochos, ſi quando quæ ſunt ſui muneris, ut ſacrificii oblatio, per alios exequantur?*

R. Minimè, quia titulo Beneficii plura onera ſunt annexa, putà debitum perſolvendi Horas Canonicas, cura animarum, & alia, ratione quorum pinguiores reditus Beneficiario ſunt aſſignati.

Q. 9. *Licetne Sacerdoti anticipatè Miſſas celebrare pro iis, qui ſtipendia oblaturi ſunt?*

R. Non licet; id enim prohibuit Paulus V. Reſcripto ad ſuum Nuntium in Hiſpania, ubi hujuſmodi abuſus invaleſcebat contra antiquum Eccleſiæ morem, & gravi Fidelium ſcandalo, ac incommodo; ſupponatur enim quis oblaturus ſtipendium in remiſſionem peccatorum, quæ nondum commiſerat, cùm pro eo Sacrificium peractum eſt, fructum ex eo intentum non percipiet; quia propitiatio ſeu indulgentia obtineri nequit pro peccatis ſecuturis.

Q. 10. *Eſtne licitum Sacerdoti, vel Æدituo, ſtipendia magno numero accipere pro totidem Miſſis, quas prævidet non poſſe celebrari, niſi, poſt diuturnum tempus?*

R. Minimè, niſi in id conſentiant offerentes. Et ratio eſt, quia in iſta ſtipendii collatione intercedit ſpecies contractus innominati, *do ut facias*, hoc eſt, ut ſacrificium offeras pro peregrinaturo, pro infirmo decumbente; pro lite juſtè ſuſcepta, ut feliciter ſuccedat, pro vincenda gravi tentatione, &c. Atqui procraſtinando continget cùm offeretur ſacrificium peregrinationem eſſe peractam, defunctum infirmum, cauſam perditam, tentationem prævaluiſſe, &c. Nec dicas apud Deum haberi rationem pii affectus, quo offertur

fertur stipendium ; namque conditiones contractus ex stricta justitia servari debent : atqui non datur stipendium, nisi ea conditione, quòd Sacrificium, stante causa offeratur : Ergo. Atque hac ratione evincitur Missam celebrandam in Ecclesia ab offerentibus stipendium designata, quia hac conditione, & non aliàs obtulerunt.

Q. II. *Parochi possuntne reducere vetera legata, quorum reditus ita sunt imminuti, ut non possint oneribus impositis suppositis sufficere?*

R. Non possunt ; sed ad Episcopum recurrere debent Ita Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. de reformatione.

FINIS.



